HANS H. ØRBERG

LINGVA LATINA

PER SE ILLVSTRATA

PARS I

FAMILIA ROMANA

LINGVA LATINA PER SE ILLVSTRATA I
FAMILIA ROMANA

HANS H. ØRBERG

LINGVA LATINA

PER SE ILLVSTRATA

PARS I

FAMILIA ROMANA

DOMVS LATINA

ANNO MMIII

LINGVA LATINA PER SE ILLVSTRATA
PARS I: FAMILIA ROMANA
© Hans H. Ørberg 1991
Omnia proprietatis iura reservantur
Ex officina typographica *Special-Trykkeriet Viborg*
anno 1991 et, paucis correctis, 1996, 1997, 1998, 1999, 2001, 2002, 2003
Imagines delineavit *Peer Lauritzen*
ISBN 87-997016-5-0

LINGVA LATINA
PER SE ILLVSTRATA

PARS I: FAMILIA ROMANA
PARS II: ROMA AETERNA
INDICES
COLLOQVIA PERSONARVM
EXERCITIA LATINA I & II
GRAMMATICA LATINA
PLAVTVS: AMPHITRYO
CAESAR: DE BELLO GALLICO
PETRONIVS: CENA TRIMALCHIONIS

Domus Latina, *Skovvangen 7*
DK-8500 Grenaa, Dania
orberg@lingua-latina.dk

INDEX CAPITVLORVM

		pāgina
Cap. I.	IMPERIVM ROMANVM	7
	LITTERAE ET NVMERI	9
II.	FAMILIA ROMANA	13
	LIBER TVVS LATINVS	16
III.	PVER IMPROBVS	19
IV.	DOMINVS ET SERVI	26
V.	VILLA ET HORTVS	32
VI.	VIA LATINA	41
VII.	PVELLA ET ROSA	48
VIII.	TABERNA ROMANA	54
IX.	PASTOR ET OVES	63
X.	BESTIAE ET HOMINES	69
XI.	CORPVS HVMANVM	77
XII.	MILES ROMANVS	85
XIII.	ANNVS ET MENSES	95
XIV.	NOVVS DIES	103
XV.	MAGISTER ET DISCIPVLI	110
XVI.	TEMPESTAS	118
XVII.	NVMERI DIFFICILES	126
XVIII.	LITTERAE LATINAE	135
XIX.	MARITVS ET VXOR	145
XX.	PARENTES	154
XXI.	PVGNA DISCIPVLORVM	163
XXII.	CAVE CANEM	172
XXIII.	EPISTVLA MAGISTRI	179
XXIV.	PVER AEGROTVS	187
XXV.	THESEVS ET MINOTAVRVS	195
XXVI.	DAEDALVS ET ICARVS	203
XXVII.	RES RVSTICAE	211
XXVIII.	PERICVLA MARIS	222
XXIX.	NAVIGARE NECESSE EST	232
XXX.	CONVIVIVM	242
XXXI.	INTER POCVLA	251
XXXII.	CLASSIS ROMANA	261
XXXIII.	EXERCITVS ROMANVS	273
XXXIV.	DE ARTE POETICA	284
XXXV.	ARS GRAMMATICA	296
	TABVLA DECLINATIONVM	307
	KALENDARIVM ROMANVM	312
	INDEX VOCABVLORVM	313
	INDEX GRAMMATICVS	326

IMPERIVM ROMANVM
Britannia
Oceanus Atlanticus
Germania
Rhenus
Gallia
Danuvius
EVROPA
Hispania
Corsica
Tiberis
Roma
Tusculum
Italia
Sardinia
Brundisium
Lemnos
Lesbos
ASIA
Delphi
Chios
Graecia
Samos
Sicilia
Naxus
Sparta
Rhodus
Syria
Melita
Creta
AFRICA
Arabia
Aegyptus
Nilus



IMPERIVM ROMANVM

Rōma in Italiā est. Italia in Eurōpā est. Graecia in Eurōpā est. Italia et Graecia in Eurōpā sunt. Hispānia quoque in Eurōpā est. Hispānia et Italia et Graecia in Eurōpā sunt.

-a -ā:
Italia...
in Italiā
est sunt:
Italia in Eurōpā *est;*
Italia et Graecia in Eurōpā *sunt*

Aegyptus in Eurōpā nōn est, Aegyptus in Āfricā est. Gallia nōn in Āfricā est, Gallia est in Eurōpā. Syria nōn est in Eurōpā, sed in Asiā. Arabia quoque in Asiā est. Syria et Arabia in Asiā sunt. Germānia nōn in Asiā, sed in Eurōpā est. Britannia quoque in Eurōpā est. Germānia et Britannia sunt in Eurōpā.

Estne Gallia in Eurōpā? Gallia in Eurōpā est. Estne Rōma in Galliā? Rōma in Galliā nōn est. Ubi est Rōma? Rōma est in Italiā. Ubi est Italia? Italia in Eurōpā est. Ubi sunt Gallia et Hispānia? Gallia et Hispānia in Eurōpā sunt.

est-ne...?
–ne = ...?

Estne Nīlus in Eurōpā? Nīlus in Eurōpā nōn est. Ubi est Nīlus? Nīlus in Āfricā est. Rhēnus ubi est? Rhēnus est in Germāniā. Nīlus fluvius est. Rhēnus fluvius est.

-us -ī:
Nīlus fluvi*us* est;
Nīlus et Rhēnus fluvi*ī* sunt

parvus ↔ magnus

fluvi*us* magn*us*/parv*us*
fluvi*ī* magn*ī*/parv*ī*

-a -ae:
Corsica īnsul*a* est;
Corsica et Sardinia īnsul*ae* sunt

īnsul*a* magn*a*/parv*a*
īnsul*ae* magn*ae*/parv*ae*

-um -a:
Brundisium oppid*um* est;
Brundisium et Tūsculum oppid*a* sunt

oppid*um* magn*um*/parv*um*
oppid*a* magn*a*/parv*a*

Graecus -a -um

Rōmānus -a -um
< Rōma

Nīlus et Rhēnus fluviī sunt. Dānuvius quoque fluvius est. Rhēnus et Dānuvius sunt fluviī in Germāniā. Tiberis fluvius in Italiā est.

Nīlus fluvius magnus est. Tiberis nōn est fluvius magnus, Tiberis fluvius parvus est. Rhēnus nōn est fluvius parvus, sed fluvius magnus. Nīlus et Rhēnus nōn fluviī parvī, sed fluviī magnī sunt. Dānuvius quoque fluvius magnus est.

Corsica īnsula est. Corsica et Sardinia et Sicilia īnsulae sunt. Britannia quoque īnsula est. Italia īnsula nōn est. Sicilia īnsula magna est. Melita est īnsula parva. Britannia nōn īnsula parva, sed īnsula magna est. Sicilia et Sardinia nōn īnsulae parvae, sed īnsulae magnae sunt.

Brundisium oppidum est. Brundisium et Tūsculum oppida sunt. Sparta quoque oppidum est. Brundisium est oppidum magnum. Tūsculum oppidum parvum est. Delphī quoque oppidum parvum est. Tūsculum et Delphī nōn oppida magna, sed oppida parva sunt.

Ubi est Sparta? Sparta est in Graeciā. Sparta est oppidum Graecum. Sparta et Delphī oppida Graeca sunt. Tūsculum nōn oppidum Graecum, sed oppidum Rōmānum est. Tūsculum et Brundisium sunt oppida Rōmāna. Sardinia īnsula Rōmāna est. Crēta, Rhodus, Naxus, Samos, Chios, Lesbos, Lēmnos, Euboea sunt īnsulae Graecae. In Graeciā multae īnsulae sunt. In Italiā et in Graeciā sunt multa oppida. In Galliā et in Ger-

māniā multī sunt fluviī. Suntne multī fluviī et multa oppida in Arabiā? In Arabiā nōn multī, sed paucī fluviī sunt et pauca oppida.

sunt-ne...?
paucī -ae -a ↔ multī -ae -a: multī/paucī fluviī, mult*ae*/pauc*ae* īnsul*ae*, mult*a*/pauc*a* oppid*a*

Num Crēta oppidum est? Crēta oppidum nōn est! Quid est Crēta? Crēta īnsula est. Num Sparta īnsula est? Sparta nōn est īnsula! Quid est Sparta? Sparta oppidum est. Rhēnus quid est? Rhēnus est magnus fluvius. Num ōceanus Atlanticus parvus est? Nōn parvus, sed magnus est ōceanus.

num Crēta...est? = est-*ne* Crēta...?
num...? ... *nōn*...: *num* Rōma in Graeciā est? Rōma in Graeciā *nōn* est

Ubi est imperium Rōmānum? Imperium Rōmānum est in Eurōpā, in Asiā, in Āfricā. Hispānia et Syria et Aegyptus prōvinciae Rōmānae sunt. Germānia nōn est prōvincia Rōmāna: Germānia in imperiō Rōmānō nōn est. Sed Gallia et Britannia sunt prōvinciae Rōmānae. In imperiō Rōmānō multae sunt prōvinciae. Magnum est imperium Rōmānum!

-um -ō:
imperi*um* Rōmān*um*
in imperi*ō* Rōmān*ō*



III LITTERAE ET NVMERI

I et II numerī sunt. III quoque numerus est. I, II, III numerī Rōmānī sunt. I et II sunt parvī numerī. CIↃ magnus numerus est.

I = ūnus (1)
II = duo (2)
III = trēs (3)
CIↃ (M) = mīlle (1000)

A et B litterae sunt. C quoque littera est. A, B, C sunt trēs litterae. A est littera prīma (I), B littera secunda (II),

A = 'ā'
B = 'bē'
C = 'cē'
trēs = III (3)

Γ = 'gamma'
Latīnus -a -um = Rōmānus
D = 'dē'
Δ = 'delta'

C littera tertia (III). Γ littera Graeca est. C est littera Latīna. C et D litterae Latīnae sunt. Γ et Δ sunt litterae Graecae.

vocābul*um: in* vocābulō
capitul*um* prīm*um* (cap. I): *in* capitulō prīmō
mīlle = CIↃ/M (1000)
sex = VI (6)

Fluvius et *oppidum* vocābula Latīna sunt. *Ubi* quoque vocābulum Latīnum est. In vocābulō *ubi* sunt trēs litterae. In capitulō prīmō mīlle vocābula sunt.

In vocābulō *īnsula* sex litterae et trēs syllabae sunt: syllaba prīma *īn-*, secunda *-su-*, tertia *-la*. In vocābulō *nōn* sunt trēs litterae et ūna syllaba.

ūnus -a -um = I (1)

Quid est III? III numerus Rōmānus est. Γ quid est? Γ littera Graeca est. Num C littera Graeca est? Nōn littera Graeca, sed littera Latīna est C. Estne B littera prīma? B nōn littera prīma, sed secunda est. Quid est *nōn*? *Nōn* est vocābulum Latīnum. *Nōn, sed, magnus, numerus* vocābula Latīna sunt. *Vocābulum* quoque vocābulum Latīnum est!

(numerus) singulāris: I; plūrālis: II, III...

fluvi*us* magn*us*
fluvi*ī* magn*ī*

-us -ī

exemplum
exempla

īnsul*a* magn*a*
īnsul*ae* magn*ae*

-a -ae

GRAMMATICA LATINA

Singulāris et plūrālis

[A] Nīlus fluvi*us* magn*us* est.
Nīlus et Rhēnus fluvi*ī* magn*ī* sunt.
'Fluvi*us*' singulāris est. 'Fluvi*ī*' plūrālis est. Singulāris: *-us*. Plūrālis: *-ī*.

Exemplum: numerus, numerī.
I parv*us* numer*us* est. I et II parv*ī* numer*ī* sunt.

[B] Corsica īnsul*a* magn*a* est
Corsica et Sardinia īnsul*ae* magn*ae* sunt.
'Īnsul*a*' singulāris est. 'Īnsul*ae*' plūrālis est. Singulāris: *-a*. Plūrālis: *-ae*.

Exempla: littera, litterae; prōvincia, prōvinciae.

A litter*a* Latīn*a* est. A et B litter*ae* Latīn*ae* sunt. Gallia est prōvinci*a* Rōmān*a*. Gallia et Hispānia prōvinci*ae* Rōmān*ae* sunt.

[C] Brundisium oppid*um* magn*um* est.

Brundisium et Sparta oppid*a* magn*a* sunt.

oppid*um* magn*um*
oppid*a* magn*a*

'Oppid*um*' singulāris est. 'Oppid*a*' plūrālis est. Singulāris: *-um*. Plūrālis: *-a*.

-um -a

Exempla: vocābulum, vocābula; exemplum, exempla.

Littera est vocābul*um* Latīn*um*, nōn Graec*um*. *Littera* et *numerus* nōn vocābul*a* Graec*a*, sed Latīn*a* sunt.

PENSVM A

pēnsum
pēnsa

Nīlus fluvi– est. Nīlus et Rhēnus fluvi– —. Crēta īnsul– —. Crēta et Rhodus īnsul– sunt. Brundisium oppid– —. Brundisium et Tūsculum oppid– —.

Rhēnus fluvi– magn– est. Tiberis est fluvi– parv–. Rhēnus et Dānuvius nōn fluvi– parv–, sed fluvi– magn– sunt. Sardinia īnsul– magn– est. Melita īnsul– parv– est. Sardinia et Sicilia nōn īnsul– parv–, sed īnsul– magn– sunt. Brundisium nōn oppid– parv–, sed oppid– magn– est. Tūsculum et Delphī nōn oppid– magn–, sed oppid– parv– sunt.

Crēta īnsul– Graec– est. Lesbos et Chios et Naxus sunt īnsul– Graec–. In Graeciā mult– īnsul– sunt. In Galliā sunt mult– fluvi–. In Italiā mult– oppid– sunt. In Arabiā sunt pauc– fluvi– et pauc– oppid–.

A et B litter– Latīn– sunt. C quoque litter– Latīn– est. *Multī* et *paucī* vocābul– Latīn– sunt. *Ubi* quoque vocābul– Latīn– est. I et II numer– Rōmān– sunt. III quoque numer– Rōmān– est.

Vocābula:
fluvius
īnsula
oppidum
ōceanus
imperium
prōvincia
numerus
littera
vocābulum

PENSVM B

Sicilia — est. Italia īnsula — est. Rhēnus — est. Brundisium — est. Sicilia et Sardinia — magnae sunt. Melita īnsula — est. Britannia nōn — parva, sed — — est. Brundisium nōn —

capitulum
syllaba
exemplum
pēnsum
magnus
parvus
Graecus
Rōmānus
Latīnus
multī
paucī
ūnus
duo
trēs
sex
mīlle
prīmus
secundus
tertius
est
sunt
in
et
sed
nōn
quoque
-ne?
ubi?
num?
quid?
grammatica
singulāris
plūrālis

—, sed — magnum est. Est— Brundisium in Graeciā? Brundisium — est in Graeciā, — in Italiā. — est Sparta? Sparta est in Graeciā: Sparta oppidum — est. Delphī — oppidum Graecum est. Euboea, Naxus, Lesbos, Chios — Graecae sunt. In Graeciā sunt — īnsulae.

Quid est III? III — est. — est A? A littera est. A, B, C — Latīnae sunt. — r littera Latīna est? r — littera —, sed littera — est. *Īnsula* — Latīnum est.

PENSVM C

Ubi est Rōma?
Estne Sparta in Italiā?
Ubi est Italia?
Ubi sunt Syria et Arabia?
Estne Aegyptus in Asiā?
Ubi sunt Sparta et Delphī?
Ubi est Brundisium?
Quid est Brundisium?
Num Crēta oppidum est?
Estne Britannia īnsula parva?
Quid est Tiberis?
Quid est D?
Num Δ littera Latīna est?
Estne II magnus numerus?



FAMILIA ROMANA

1 Iūlius vir Rōmānus est. Aemilia fēmina Rōmāna est. Mārcus est puer Rōmānus. Quīntus quoque puer Rōmānus est. Iūlia est puella Rōmāna.

Mārcus et Quīntus nōn virī, sed puerī sunt. Virī sunt Iūlius et Mēdus et Dāvus. Aemilia et Dēlia et Syra sunt fēminae. Estne fēmina Iūlia? Nōn fēmina, sed parva puella est Iūlia.

Iūlius, Aemilia, Mārcus, Quīntus, Iūlia, Syra, Dāvus, Dēlia Mēdusque sunt familia Rōmāna. Iūlius pater est. Aemilia est māter. Iūlius pater Mārcī et Quīntī est. Iūlius pater Iūliae quoque est. Aemilia est māter Mārcī et Quīntī et Iūliae. Mārcus fīlius Iūliī est. Mārcus fīlius Aemiliae est. Quīntus quoque fīlius Iūliī et Aemiliae est. Iūlia est fīlia Iūliī et Aemiliae.

Quis est Mārcus? Mārcus puer Rōmānus est. Quis pater Mārcī est? Iūlius pater Mārcī est. Quae est māter

ūnus (I) vir
duo (II) virī

ūnus puer
duo puerī

-que = et —: Mēdus-*que* = *et* Mēdus

Iūlius ∞ Aemilia
pater | *māter*

Mārcus Quīntus Iūlia
fīlius *fīlius* *fīlia*

quis? quae?
quis est Mārcus?
quae est Iūlia?
quis est pater Mārcī?
quae est māter Mārcī?

Mārcī? Māter Mārcī est Aemilia. Quae est Iūlia? Iūlia est puella Rōmāna. Quae māter Iūliae est? Aemilia māter Iūliae est. Pater Iūliae est Iūlius. Iūlia fīlia Iūliī est.

quī?
quī sunt fīliī?

Quī sunt fīliī Iūliī? Fīliī Iūliī sunt Mārcus et Quīntus.

Iūlia-que

Mārcus, Quīntus Iūliaque sunt trēs līberī. Līberī sunt

fīliae-que

fīliī fīliaeque. Mārcus et Quīntus et Iūlia sunt līberī Iūliī

duo = II (2)

et Aemiliae. In familiā Iūliī sunt trēs līberī: duo fīliī et ūna fīlia.

Estne Mēdus fīlius Iūliī? Mēdus fīlius Iūliī nōn est, *II* Mēdus est servus Iūliī. Iūlius dominus Mēdī est. Iūlius dominus servī est. Dāvus quoque servus est. Mēdus et Dāvus duo servī sunt. Iūlius est dominus Mēdī et Dāvī. Iūlius dominus servōrum est et pater līberōrum.

Estne Dēlia fīlia Aemiliae? Dēlia nōn est fīlia Aemiliae, Dēlia ancilla Aemiliae est. Aemilia domina Dēliae est. Aemilia domina ancillae est. Syra quoque ancilla est. Dēlia et Syra duae ancillae sunt. Aemilia domina ancillārum est.

duo duae duo:
duo servī
duae ancillae
duo oppida

cuius? Iūliī, Aemiliae

Cuius servus est Dāvus? Dāvus servus Iūliī est. Cuius ancilla est Syra? Syra est ancilla Aemiliae.

quot? I, II, III...
quot fīliī?
quot fīliae?
quot oppida?
centum = C (100)

Quot līberī sunt in familiā? In familiā Iūliī sunt trēs līberī. Quot fīliī et quot fīliae? Duo fīliī et ūna fīlia. Quot servī sunt in familiā? In familiā sunt centum servī. In familiā Iūliī sunt multī servī, paucī līberī. Iūlius est dominus multōrum servōrum.

'Duo' et 'trēs' numerī sunt. 'Centum' quoque numerus est. Numerus servōrum est centum. Numerus lībe-

rōrum est trēs. Centum est magnus numerus. Trēs parvus numerus est. Numerus servōrum est magnus. Numerus līberōrum parvus est. In familiā Iūliī magnus numerus servōrum, parvus numerus līberōrum est.

magnus numerus servōrum = multī servī
parvus numerus līberōrum = paucī līberī

Mēdus servus Graecus est. Dēlia est ancilla Graeca. In familiā Iūliī sunt multī servī Graecī multaeque ancillae Graecae. Estne Aemilia fēmina Graeca? Aemilia nōn est fēmina Graeca, sed Rōmāna. Iūlius nōn vir Graecus, sed Rōmānus est.

multae-que

Sparta oppidum Graecum est. Sparta, Delphī Tūsculumque tria oppida sunt: duo oppida Graeca et ūnum oppidum Rōmānum. In Graeciā et in Italiā magnus numerus oppidōrum est. In Galliā est magnus numerus fluviōrum. Fluviī Galliae magnī sunt. Māgnīne sunt fluviī Āfricae? In Āfricā ūnus fluvius magnus est: Nīlus; cēterī fluviī Āfricae parvī sunt. Suntne magnae īnsulae Graecae? Crēta et Euboea duae īnsulae magnae sunt; cēterae īnsulae Graecae sunt parvae. —

trēs tria:
trēs līberī
trēs litter*ae*
tri*a* oppid*a*

magnus numerus oppidōrum = multa oppida
magnus numerus fluviōrum = multī fluviī
magnī-ne

cēterī -ae -a

III Quis est Cornēlius? Cornēlius dominus Rōmānus est. Iūlius et Cornēlius duo dominī Rōmānī sunt. Mēdus nōn est servus Cornēliī. Mēdus servus Iūliī est.

Cornēlius

Cornēlius: "Cuius servus est Mēdus?"

Iūlius: "Mēdus servus meus est."

Cornēlius: "Estne Dāvus servus tuus?"

Iūlius: "Dāvus quoque servus meus est. Servī meī sunt Mēdus et Dāvus et cēterī multī..."

meus -a -um

tuus -a -um

Cornēlius: "Estne Dēlia ancilla tua?"

Iūlius: "Dēlia est ancilla mea, et Syra quoque ancilla mea est. Ancillae meae sunt Dēlia et Syra et cēterae multae. Familia mea magna est."

Cornēlius: "Quot servī sunt in familiā tuā?"



Iūlius: "In familiā meā sunt centum servī."

Cornēlius: "Quid?"

Iūlius: "Numerus servōrum meōrum est centum."

Cornēlius: "Centum servī! Magnus est numerus servōrum tuōrum!"

ecce duo librī ⟶





ūnus liber
duo librī

novus -a -um ↔
antīquus -a -um

LIBER TVVS LATINVS

Ecce duo librī Latīnī: liber antīquus et liber novus. LINGVA LATINA est prīmus liber tuus Latīnus. Titulus librī tuī est 'LINGVA LATINA'. Liber tuus nōn antīquus, sed novus est.

In LINGVA LATINA sunt multae pāginae et multa capitula: capitulum prīmum, secundum, tertium, cētera. 'IMPERIVM ROMANVM' est titulus capitulī prīmī. Titulus capitulī secundī est 'FAMILIA ROMANA'. In capitulō secundō sunt sex pāginae. In pāginā prīmā capitulī secundī multa vocābula nova sunt: *vir, fēmina, puer, puella, familia,* cētera. Numerus vocābulōrum Latīnōrum magnus est!

pāgina

GRAMMATICA LATINA

Masculīnum, fēminīnum, neutrum

masculīnum (*m*) < *masculus* = vir
fēminīnum (*f*) < fēmina
neutrum (*n*) = nōn *m*, nōn *f*

[A] 'Serv*us*' est vocābulum masculīnum.
[B] 'Ancill*a*' est vocābulum fēminīnum.
[C] 'Oppid*um*' est vocābulum neutrum.

Exempla:

-*us*

[A] Vocābula masculīna: fīlius, dominus, puer, vir; fluvius, ōceanus, numerus, liber, titulus. Masculīnum: *-us (-r)*.

-*a*

[B] Vocābula fēminīna: fēmina, puella, fīlia, domina; īnsula, prōvincia, littera, familia, pāgina. Fēminīnum: *-a*.

-*um*

[C] Vocābula neutra: oppidum, imperium, vocābulum, capitulum, exemplum, pēnsum. Neutrum: *-um*.

genetīvus (*gen*)

Genetīvus

[A] Masculīnum:

servī
servōrum

Iūlius dominus servī (Dāvī) est.
Iūlius dominus servōrum (Dāvī et Mēdī) est.
'Servī' genetīvus est. 'Servōrum' quoque genetīvus est.
'Servī' genetīvus singulāris est. 'Servōrum' est genetīvus plūrālis. Genetīvus: singulāris *-ī*, plūrālis *-ōrum*.

-*ī* -*ōrum*

[B] Fēminīnum:

ancill*ae*
ancillārum

Aemilia domina ancill*ae* (Syr*ae*) est.
Aemilia domina ancillārum (Syr*ae* et Dēli*ae*) est.
'Ancill*ae*' genetīvus singulāris est. 'Ancillārum' est genetīvus plūrālis. Genetīvus: singulāris *-ae*, plūrālis *-ārum*.

-*ae* -*ārum*

[C] Neutrum:

vocābulī
vocābulōrum

D est prīma littera vocābulī 'dominus'.
Numerus vocābulōrum magnus est.
'Vocābulī' genetīvus singulāris est. 'Vocābulōrum' est genetīvus plūrālis. Genetīvus: singulāris *-ī*, plūrālis *-ōrum*.

-*ī* -*ōrum*

PENSVM A

Mārcus fīli– Iūliī est. Iūlia fīli– Iūliī est. Iūlius est vir Rōmān–. Aemilia fēmin– Rōmān– est. Iūlius domin–, Aemilia domin– est. Mēdus serv– Graec– est, Dēlia est ancill–

Vocābula nova:
vir
fēmina
puer
puella
familia
pater
māter
fīlius
fīlia
līberī
servus
dominus
ancilla
domina
liber
titulus
pāgina
antīquus
novus
cēterī
meus
tuus
centum
duae
tria
-que
quis?
quae?
quī?
cuius?
quot?
masculīnum
fēminīnum
neutrum
genetīvus

Graec–. Sparta oppid– Graec– est.

Iūlius pater Mārc– est. Mārcus est fīlius Iūli– et Aemili–. Mēdus servus Iūli– est: Iūlius est dominus serv–. Iūlius dominus Mēd– et Dāv– est: Iūlius dominus serv– est. Numerus serv– magnus est. Dēlia est ancilla Aemili–: Aemilia domina ancill– est. Aemilia domina Dēli– et Syr– est: Aemilia domina ancill– est. In familiā Iūli– est magnus numerus serv– et ancill–. Aemilia māter Mārc– et Quīnt– et Iūli– est. Mārcus, Quīntus Iūliaque sunt līberī Iūli– et Aemili–. Numerus līber– est trēs. Numerus serv– est centum.

In pāginā prīmā capitul– secund– multa vocābula nova sunt. Numerus capitul– nōn parvus est.

PENSVM B

Mārcus — Rōmānus est. Iūlius — Rōmānus est. Aemilia est — Rōmāna. Iūlius est — Mārcī et Quīntī et Iūliae. In — Iūliī sunt trēs —: duo — et ūna —. — līberōrum est Aemilia.

— est Dāvus? Dāvus est — Iūliī. Iūlius — Dāvī est. — est Syra? Syra — Aemiliae est. Aemilia est — Syrae.

Cornēlius: "— servī sunt in familiā tuā?" Iūlius: "In familiā — sunt — (c) servī." Cornēlius: "Familia — magna est!"

'LINGVA LATINA' est titulus — tuī Latīnī.

PENSVM C

Quis est Quīntus?
Quī sunt Mēdus et Dāvus?
Mārcusne quoque servus Iūliī est?
Cuius fīlia est Iūlia?
Quot līberī sunt in familiā Iūliī?
Quot servī in familiā sunt?
Num Syra domina est?
Quae est domina ancillārum?
Estne Cornēlius vir Graecus?
Num 'puella' vocābulum masculīnum est?



PVER IMPROBVS

I *SCAENA PRIMA*

scaena

Persōnae: Iūlia, Mārcus, Quīntus.

persōna

Iūlia cantat: "Lalla." Iūlia laeta est.

Mārcus: "St!" Mārcus laetus nōn est.

Iūlia cantat: "Lalla, lalla."

Mārcus: "Ssst!" Mārcus īrātus est.

Iūlia cantat: "Lalla, lalla, lalla."

Mārcus Iūliam pulsat.

Mārcus Iūli*am* pulsat

Iam Iūlia nōn cantat, sed plōrat: "Uhuhū!"

Mārcus rīdet: "Hahahae!"



Iūlia plōrat

Mārcus rīdet

Quīntus Mārc*um* videt

Mārcus Quīnt*um* nōn videt

Quīntus Mārcum videt. Mārcus nōn videt Quīntum.

Quīntus: "Quid? Mārcus puellam pulsat — et rīdet!"



Quīntus Mārc*um* pulsat

mamma = māter

Quīntus īrātus est et Mārcum pulsat! Iam nōn rīdet Mārcus. Mārcus īrātus pulsat Quīntum.

Iūlia: "Ubi est māter?" Iūlia Aemiliam nōn videt.

Iūlia Aemiliam vocat: "Māter! Mārcus Quīntum pulsat!"

Mārcus (īrātus): "St!" Mārcus Iūliam pulsat.

Iūlia plōrat et Aemiliam vocat: "Mamma! Mam-ma! Mārcus mē pulsat!"

Aemilia venit.



Mārcus Quīnt*um* pulsat

Iūlia Aemili*am* vocat

Aemilia venit

SCAENA SECVNDA *II*

Persōnae: Aemilia, Iūlia, Mārcus, Quīntus.

interrogat ↔ respondet

Aemilia interrogat: "Quis mē vocat?"

Quīntus respondet: "Iūlia tē vocat."

cūr...? ... quia ...

e*am* : Iūli*am*

Aemilia Quīntum interrogat: "Cūr Iūlia plōrat?"

Quīntus respondet: "Iūlia plōrat, quia Mārcus eam pulsat."

Aemilia: "Quid? Puer parvam puellam pulsat? Fū! Cūr Mārcus Iūliam pulsat?"

Quīntus: "Quia Iūlia cantat."

Aemilia: "Ō Iūlia, mea parva fīlia! Mārcus puer probus nōn est; Mārcus est puer improbus!"

im-probus -a -um ↔ probus -a -um

Quīntus: "Iūlia puella proba est."

Aemilia Quīntum interrogat: "Ubi est Iūlius? Cūr nōn venit?" Aemilia Iūlium nōn videt.

cūr *Iūlius* nōn venit?

Respondet Mārcus: "Pater dormit."

Quīntus: "Māter nōn tē, sed mē interrogat!"

Aemilia: "St, puerī! Ubi est pater?"

Quīntus: "Pater nōn hīc est, sed Mārcus hīc est."

Quīntus Iūlium vocat: "Pater! Pa-ter!"

Quīntus Iūli*um* vocat

Iūlius Quīntum nōn audit neque venit. Cūr Iūlius Quīntum nōn audit? Iūlius eum nōn audit, quia dormit.

ne-que = et nōn
(ne- = nōn)
eum : Quīnt*um*
Iūlius dormit

Mārcus: "Hahae! Pater dormit neque tē audit."

Aemilia: "Fū, puer!" Aemilia īrāta est. Māter fīlium verberat: tuxtax, tuxtax...

verberat = pulsat et pulsat ('tux-tax')

Mārcus plōrat: "Uhuhū!"

Iūlius eum audit. Iam nōn dormit pater.

eum : Mārc*um*



SCAENA TERTIA *III*

Persōnae: Iūlius, Aemilia, Iūlia, Mārcus, Quīntus.

Quīntus: "Pater venit."

Aemilia Quīntum nōn audit, quia Mārcus plōrat.

eum-que = et eum (: Quīntum)

Iūlius Quīntum videt eumque interrogat: "Cūr Mārcus plōrat?"

eum : Mārc*um*

Quīntus respondet: "Mārcus plōrat, quia māter eum verberat."

Iūlius: "Sed cūr māter Mārcum verberat?"

māter Mārcum verberat, quia *Mārcus* puer improbus est

Quīntus: "Mārcum verberat, quia puer improbus est. Mārcus parvam puellam pulsat!"

Iūlia: "Mamma! Pater hīc est." Aemilia Iūlium videt.

Aemilia: "Tuus Mārcus fīlius improbus est!"

Iūlius: "Fū, puer! Puer probus nōn pulsat puellam. Puer quī parvam puellam pulsat improbus est!"

Iūlius īrātus puerum improbum verberat: tuxtax, tuxtax, tuxtax...

Mārcus plōrat. Quīntus laetus est et rīdet. Iūlia laeta

Iūlia nōn laeta est

nōn est neque rīdet. Cūr nōn laeta est Iūlia? Nōn laeta est, quia Mārcus plōrat. Iūlia est puella proba!



Puer rīdet. Puella plōrat. Quis est puer quī rīdet? Puer quī rīdet est Mārcus. Quae est puella quae plōrat? Puella quae plōrat est Iūlia.

quī
quae
puer *quī* rīdet
puella *quae* plōrat

Mārcus, quī puellam pulsat, puer improbus est. Puella quam Mārcus pulsat est Iūlia. Iūlia Aemiliam vocat. Aemilia, quam Iūlia vocat, māter līberōrum est. Aemilia puerum verberat. Puer quem Aemilia verberat est Mārcus.

quem
quam
puer *quem* Aemilia verberat
puella *quam* Mārcus pulsat

Quem vocat Quīntus? Quīntus Iūlium vocat. Iūlius, quem Quīntus vocat, pater līberōrum est. Iūlius Quīntum nōn audit. Quem audit Iūlius? Iūlius Mārcum audit. Puer quem Iūlius audit est Mārcus.

quem? Iūli*um*
Quīnt*um*

Puella quae cantat laeta est. Puella quae plōrat nōn est laeta. Puer quī puellam pulsat improbus est!

GRAMMATICA LATINA

Nōminātīvus et accūsātīvus

nōminātīvus (*nōm*)
accūsātīvus (*acc*)

[A] Masculīnum.

Mārc*us* rīdet. Quīntus Mārc*um* pulsat.
Mārcus Quīnt*um* pulsat. Quīnt*us* plōrat.

Mārc*us* Quīnt*us*
Mārc*um* Quīnt*um*

'Mārc*us*' nōminātīvus est. 'Mārc*um*' accūsātīvus est. 'Quīnt*um*' est accūsātīvus, 'Quīnt*us*' nōminātīvus. Nōminātīvus: *-us (-r)*. Accūsātīvus: *-um*.

-us
-um

Exempla: Iūli*us*, Iūli*um;* fīli*us*, fīli*um;* puer, puer*um;* e*um*.

[B] Fēminīnum.

Iūli*a* cantat. Mārcus Iūli*am* pulsat.
Iūlia Aemili*am* vocat. Aemili*a* venit.

Iūli*a* Aemili*a*
Iūli*am* Aemili*am*

'Iūli*a*, Aemili*a*' nōminātīvus est. 'Iūli*am*, Aemili*am*' accūsātīvus est. Nōminātīvus: *-a*. Accūsātīvus: *-am*.

-a
-am

Exempla: puell*a*, puell*am;* parv*a*, parv*am;* e*am*.

cant*at*
rīd*et*
dorm*it*

-at
-et
-it

	-um	
	-am	
-us	eum	-at
-a	eam	-et
	mē	-it
	tē	

Verbum

Iūlia *cantat*. Mārcus *rīdet*. Iūlius *dormit*.

'Cantat' verbum est. 'Cantat', 'rīdet', 'dormit' tria verba sunt.

Exempla: cant*at*, puls*at*, plōr*at*, voc*at*, interrog*at*, verber*at* (*-at*); rīd*et*, vid*et*, respond*et* (*-et*); dorm*it*, ven*it*, aud*it* (*-it*).

Nōminātīvus:	*Accūsātīvus:*	*Verbum:*
Mārcus	Iūliam	pulsat.
Quīntus	Mārcum	videt.
Iūlia	Aemiliam	vocat.
Aemilia	Quīntum	interrogat:
"Quis	mē	vocat?"
Quīntus		respondet:
"Iūlia	tē	vocat.
Mārcus	eam	pulsat."
Aemilia	puerum	verberat.
Mārcus		plōrat.
Iūlius	eum	audit.
Iūlius		venit.
"Puer probus	parvam puellam	nōn pulsat!"
Iūlius īrātus	puerum improbum	verberat.

PENSVM A

Cūr Mārc– Iūliam pulsat? Mārcus Iūli– pulsat, quia Iūli– cantat. Iūlia plōr–, quia Mārcus e– pulsat. Iūlia: "Mamma! Mārcus — pulsat." Aemilia puell– aud– et ven–. Māter Quīnt– videt et e– interrog–: "Quis mē voc–?" Quīnt– respond–: "Iūlia — vocat."

Iūlius dorm–. Quīntus Iūli– voc–: "Pater!" Mārcus rīd–, quia Iūli– nōn venit. Aemilia Mārc– verber–. Iūlius ven–, quia Mārc– plōrat. Iūlius Aemili– et Mārc– et Quīnt– et Iūli– videt. Iūlius: "Puer quī parv– puell– pulsat improbus est." Iūlius puer– improb– verberat. Quem Iūli– verberat? Puer qu– Iūlius verberat est Mārcus. Mārcus plōr–. Puer qu– plōrat laet– nōn est. Puella qu– cantat laet– est.

PENSVM B

Puella —: "Lalla." Puella — cantat est Iūlia. Iūlia — est. Puer improbus puellam —. Puella —: "Uhuhū!" Puer —: "Hahahae!" Puer — rīdet est Mārcus. Iūlia Aemiliam —: "Mamma!" Aemilia —, et Quīntum —: "Cūr Iūlia plōrat?" Quīntus —: "Iūlia plōrat, — Mārcus eam pulsat." Aemilia: "Mārcus puer — nōn est, puer — est! Ubi est pater?" Aemilia Iūlium nōn —. Quīntus: "Pater nōn — est." Quīntus Iūlium —: "Pater!" Iūlius Quīntum nōn —. — Iūlius Quīntum nōn audit? Iūlius eum nōn audit, quia —. Mārcus plōrat, — Aemilia eum verberat. Iūlius Mārcum audit; — Iūlius nōn dormit. — Aemilia verberat? Aemilia Mārcum —. Puer — Aemilia verberat improbus est. Iūlia laeta nōn est — rīdet.

PENSVM C

Quis Iūliam pulsat?
Cūr Iūlia plōrat?
Quīntusne quoque Iūliam pulsat?
Quem Quīntus pulsat?
Cūr Aemilia venit?
Quis Iūlium vocat?
Cūr Iūlius Quīntum nōn audit?
Quem audit Iūlius?
Cūr Mārcus plōrat?
Rīdetne Iūlia?
Num 'Mārcus' accūsātīvus est?
Num 'Iūliam' nōminātīvus est?
Quid est 'dormit'?

Vocābula nova:
scaena
persōna
mamma
laetus
īrātus
probus
improbus
cantat
pulsat
plōrat
rīdet
videt
vocat
venit
interrogat
respondet
dormit
audit
verberat
mē
tē
eum
eam
neque
iam
cūr?
quia
ō!
hīc
quī
quae
quem
quam
nōminātīvus
accūsātīvus
verbum



DOMINVS ET SERVI

SCAENA PRIMA *I*

Persōnae: Iūlius, Aemilia, Mēdus.

Sacculus Iūliī nōn parvus est. In sacculō eius est pecūnia. Iūlius pecūniam in sacculō habet.

Aemilia sacculum videt Iūliumque interrogat: "Quot nummī sunt in sacculō tuō?"

Iūlius respondet: "Centum."

Aemilia: "Num hīc centum nummī sunt?"

Iūlius pecūniam numerat: "Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem. Quid? Decem tantum?"

Iūlius rūrsus pecūniam numerat: "Ūnus, duo, trēs, quattuor... novem, decem." Numerus nummōrum nōn est centum, sed decem tantum.

Iūlius: "Quid? In sacculō meō nōn centum, sed tantum decem nummī sunt! Ubi sunt cēterī nummī? Servī meī ubi sunt?"

sacculus

pecūnia

sacculus: *in* sacculō eius : Iūliī

nummus

numerat < numerus

I	ūnus
II	duo
III	trēs
IV	quattuor
V	quīnque
VI	sex
VII	septem
VIII	octō
IX	novem
X	decem

Mēdus: "Servus tuus Mēdus hīc est."

Iūlius servum suum Mēdum videt, Dāvum nōn videt. Mēdus adest. Dāvus nōn adest, sed abest. Iūlius et Aemilia et Mēdus adsunt. Dāvus cēterīque servī absunt.

ad-est = hīc est
ab-est ↔ ad-est
ad-sunt = hīc sunt
ab-sunt ↔ ad-sunt

Iūlius: "Quid? Ūnus servus tantum adest! Ubi est Dāvus? Dāvum vocā!"

Mēdus Dāvum vocat: "Dāve!" sed Dāvus Mēdum nōn audit neque venit.

Mēdus rūrsus Dāvum vocat: "Da-ā-ve! Venī!"

Dāvus venit. Iam duo servī adsunt.

SCAENA SECVNDA

Persōnae: Iūlius, Aemilia, Mēdus, Dāvus.

Dāvus, quī dominum suum nōn videt, Mēdum interrogat: "Quid est, Mēde?"

Mēdus: "St! Dominus adest. Salūtā dominum!"

servus dominum salūtat

Servus dominum salūtat: "Salvē, domine!"

Dominus servum salūtat: "Salvē, serve!"

Dāvus: "Quid est, domine?"

Iūlius: "St! Tacē, serve! Tacē et audī!" Servus tacet.

Iūlius: "In sacculō meō sunt decem tantum nummī. Ubi sunt cēterī nummī meī?"



Dāvus tacet, neque respondet.

Aemilia: "Respondē, Dāve! Dominus tē interrogat."

Dāvus respondet: "Pecūnia tua hīc nōn est. Interrogā Mēdum!"

nūllum : nōn ūnum verbum = vocābulum



Dāvus sacculum in mēnsā pōnit

ecce sacculus = vidē: hīc est sacculus


baculum

eius : Dāvī

baculum et sacculus in mēnsā

bonus -a -um = probus

Iūlius Mēdum interrogat: "Ubi sunt nummī meī, *II*
Mēde?" Mēdus nūllum verbum respondet.

Iūlius rūrsus eum interrogat: "Ubi est pecūnia mea? Respondē, serve!"

Mēdus Dāvum accūsat: "Pecūnia tua in sacculō Dāvī est. Dāvus pecūniam tuam habet."

Aemilia: "Audī, Dāve! Mēdus tē accūsat."

Dāvus: "Quem Mēdus accūsat? mē?"

Iūlius: "Tacē, Mēde! Servus quī servum accūsat improbus est!" Mēdus tacet.

Iūlius Dāvum nōn accūsat, sed interrogat eum: "Estne pecūnia mea in sacculō tuō, Dāve?"

Dāvus: "In sacculō meō nōn est pecūnia tua, domine."

Iūlius: "Ubi est sacculus tuus?"

Dāvus: "Hīc est. Ecce sacculus meus."

Iūlius: "Sacculum tuum in mēnsā pōne!"

Dāvus sacculum suum in mēnsā pōnit. Iam sacculus eius in mēnsā est. Iūlius baculum suum in mēnsā pōnit. Baculum dominī in mēnsā est.

Dāvus: "Vidē: in sacculō meō nūlla pecūnia est."

Iūlius nūllam pecūniam videt in sacculō. In sacculō Dāvī nūllī nummī sunt. Sacculus eius vacuus est. Dāvus pecūniam dominī nōn habet.

Iūlius: "Ō! Dāvus bonus servus est: pecūniam meam nōn habet. Ecce nummus tuus, Dāve!" Iūlius ūnum nummum pōnit in sacculō Dāvī. Iam sacculus Dāvī nōn

est vacuus: in sacculō eius est ūnus nummus. Dāvus laetus est.

Iūlius: "Sūme sacculum tuum et discēde, bone serve!" Dāvus sacculum suum sūmit et discēdit.

sūmit ↔ pōnit
discēdit ↔ venit

Mēdus baculum, quod in mēnsā est, videt. Mēdus quoque discēdit! Cūr discēdit Mēdus? Mēdus discēdit, quia is pecūniam dominī in sacculō suō habet!

quī quae quod:
puer *quī* ...
puella *quae* ...
baculum *quod*...
is : Mēd*us*

Dāvus et Mēdus absunt.

SCAENA TERTIA

Persōnae: Iūlius, Aemilia.

Iūlius: "Dāvus bonus servus est. Is nōn habet pecūniam meam. — Sed ubi est pecūnia mea, Mēde? Quis pecūniam meam habet?" Mēdus nōn respondet.

is : Dāv*us*

Iūlius: "Ubi est Mēdus? Cūr nōn respondet?"

Aemilia: "Mēdus nōn respondet, quia abest. Nūllus servus adest."

Iūlius Mēdum vocat: "Mēde! Venī!" sed Mēdus, quī abest, eum nōn audit neque venit.

Iūlius rūrsus vocat: "Mē-de! Venī, improbe serve!" Mēdus nōn venit.

Iūlius: "Cūr nōn venit Mēdus?"

Aemilia: "Mēdus nōn venit, quia is habet pecūniam tuam! Eius sacculus nōn est vacuus!" Aemilia rīdet. Iūlius īrātus est — is nōn rīdet!

Iūlius: "Ubi est baculum meum?" Iūlius baculum, quod in mēnsā est, nōn videt.

Aemilia: "Ecce baculum in mēnsā."

Iūlius baculum suum sūmit et discēdit.

GRAMMATICA LATINA

vocātīvus (*voc*) < vocat

Dāv*e*

-e

Vocātīvus

Mēdus Dāvum vocat: "Dāv*e!*"

'Dāv*e*' vocātīvus est. Vocātīvus: *-e* (nōminātīvus: *-us*).

Exempla: Mēd*e*, domin*e*, serv*e*, improb*e*.

Servus: "Salvē, domin*e!*" Iūlius Mēdum vocat: "Mēd*e!* Venī, improb*e* serv*e!*"

vocā — voc*at*
tacē — tac*et*
discēd*e* — discēd*it*
audī — aud*it*

imperat ↔ pāret

imperātīvus (*imp*) < imperat

[1] *-ā* — *-at*
[2] *-ē* — *-et*
[3] *-e* — *-it*
[4] *-ī* — *-it*

Imperātīvus et indicātīvus

Dominus: "Vocā Dāvum!" Servus Dāvum voc*at*.

Dominus: "Tacē et audī*!*" Servus tac*et* et aud*it*.

Dominus: "Discēd*e*, serve!" Servus discēd*it*.

Dominus imperat. Servus pāret.

'Vocā' imperātīvus est. 'Voc*at*' indicātīvus est. 'Tacē', 'audī', 'discēd*e*' est imperātīvus. 'Tac*et*', 'aud*it*', 'discēd*it*' indicātīvus est. Imperātīvus: *-ā, -ē, -e, -ī*. Indicātīvus: *-at, -et, -it, -it*.

Exempla: [1] salūtā, salūt*at;* [2] respondē, respond*et;* [3] sūm*e*, sūm*it;* [4] venī, ven*it*.

Mēdus: "Salūtā dominum!" Dāvus dominum salūt*at*.

Iūlius: "Respondē, serve!" Servus respond*et*.

Iūlius imperat: "Sūm*e* sacculum tuum et discēd*e!*" Dāvus sacculum suum sūm*it* et discēd*it*.

Iūlius: "Mēde! Venī*!*" Mēdus nōn ven*it*.

Iūlius imperat. Dāvus pāret; Mēdus nōn pāret.

PENSVM A

Mēdus ad–. Dāvus ab–. Iūlius imper–: "Voc– Dāvum, Mēd–!" Mēdus Dāvum voc–: "Dāv–! Ven–!" Dāvus ven– neque Iūlium vid–. Mēdus: "Salūt– dominum!" Dāvus dominum salūt–: "Salvē, domin–! Quid est?" Dominus: "Tac–,

serv–! Nummī meī ubi sunt?" Servus tac– neque respond–. Iūlius: "Respond–!" Dāvus: "Interrog– Mēdum!" Iūlius Mēdum interrog–: "Ubi est pecūnia mea, Mēd–?" Mēdus: "Dāvus pecūniam tuam hab–." Iūlius: "Pōn– sacculum tuum in mēnsā, Dāv–!" Dāvus pār–: sacculum suum in mēnsā pōn–. Dāvus: "Vid–, domin–: sacculus meus vacuus est." Iūlius: "Sūm– sacculum tuum et discēd–, bon– serv–!" Dāvus sacculum suum sūm– et discēd–.

PENSVM B

In sacculō Iūliī — est. Iūlius pecūniam —: "Ūnus, duo, trēs, —, —, sex, —, —, —, —." In — nōn centum, sed — decem nummī sunt.

Dāvus dominum —: "Salvē, domine!" Iūlius —: "Pōne sacculum tuum in —!" Dāvus sacculum — in mēnsā —. Sacculus Dāvī — est, in sacculō — [: Dāvī] — pecūnia est. Dāvus sacculum suum — et discēdit.

Iūlius: "Mēde! Venī!" Mēdus nōn venit, quia — [: Mēdus] pecūniam Iūliī —. Iūlius baculum, — in mēnsā est, sūmit et —.

Dominus imperat, bonus servus —.

PENSVM C

Quot nummī sunt in sacculō Iūliī?
Adestne Dāvus in scaenā prīmā?
Quis Dāvum vocat?
Suntne nummī Iūliī in sacculō Dāvī?
Quid Iūlius pōnit in sacculō Dāvī?
Quot nummī iam in sacculō Iūliī sunt?
Estne vacuus sacculus Mēdī?
Cūr Mēdus discēdit?
Quem Iūlius vocat?
Cūr Mēdus Iūlium nōn audit?

Vocābula nova:
sacculus
pecūnia
nummus
mēnsa
baculum
vacuus
bonus
quattuor
quīnque
septem
octō
novem
decem
habet
numerat
adest
abest
salūtat
tacet
accūsat
pōnit
sūmit
discēdit
imperat
pāret
nūllus
eius
suus
is
quod
rūrsus
tantum
salvē
vocātīvus
imperātīvus
indicātīvus



VILLA ET HORTVS

Ecce vīlla et hortus Iūliī. Iūlius in magnā vīllā habitat. Pater et māter et trēs līberī in vīllā habitant. Iūlius et Aemilia trēs līberōs habent: duōs fīliōs et ūnam fīliam — nōn duās fīliās.

In vīllā multī servī habitant. Dominus eōrum est Iūlius: is multōs servōs habet. Ancillae quoque multae in vīllā habitant. Domina eārum est Aemilia: ea multās ancillās habet.

Iūlius in vīllā suā habitat cum magnā familiā. Pater et māter habitant cum Mārcō et Quīntō et Iūliā. Iūlius et Aemilia in vīllā habitant cum līberīs et servīs et ancillīs.

Vīlla Iūliī in magnō hortō est. In Italiā sunt multae vīllae cum magnīs hortīs. In hortīs sunt rosae et līlia. Iūlius multās rosās et multa līlia in hortō suō habet. Hortus Iūliī pulcher est, quia in eō sunt multae et pulchrae rosae līliaque.

Aemilia fēmina pulchra est. Syra nōn est fēmina pulchra, neque pulcher est nāsus eius, sed foedus est.

eōrum : serv*ōrum*

is : Iūli*us*

eārum : ancill*ārum*
ea : Aemili*a*

-ō -ā:
in hortō, *in* vīllā
cum Mārcō, *cum* Iūliā
-īs:
in hortīs, *in* vīllīs
cum servīs, *cum* ancillīs



eō : hort*ō*
pulcher -chra -chrum:
hortus pulch*er* (*m*)
rosa pulch*ra* (*f*)
līlium pulch*rum* (*n*)

eius : Syr*ae*
foedus -a -um ↔ pulcher



1. ōstium
2. ātrium
3. impluvium
4. peristȳlum
5. cubicula
6. ōstium

Syra, quae bona ancilla est, nāsum magnum et foedum habet. Iūlius est vir Aemiliae, fēminae pulchrae. Iūlius Aemiliam amat, quia ea pulchra et bona fēmina est. Aemilia Iūlium virum suum amat et cum eō habitat. Pater et māter līberōs suōs amant. Iūlius nōn sōlus, sed cum Aemiliā et cum magnā familiā in vīllā habitat.



eō : Iūliō

sōlus -a -um

In vīllā sunt duo ōstia: ōstium magnum et ōstium parvum. Vīlla duo ōstia et multās fenestrās habet.

ōstium et fenestra



ātrium

In vīllā Iūliī magnum ātrium est cum impluviō. Quid est in impluviō? In eō est aqua. In ātriō nūllae fenestrae sunt.

eō : impluviō

peristȳlum



etiam = quoque: etiam peristȳlum = p. quoque

Etiam peristȳlum magnum et pulchrum in vīllā est. 30 'Peristȳlum' est vocābulum Graecum. In vīllīs Graecīs et Rōmānīs magna et pulchra peristȳla sunt. Estne im-

id : impluvi*um*

pluvium in peristȳlō? Id nōn in peristȳlō, sed in ātriō est. In peristȳlō parvus hortus est.

In vīllā sunt multa cubicula. Quīntus in cubiculō 35 parvō dormit. Estne magnum cubiculum Mārcī? Id quoque parvum est. Iūlius et Aemilia in cubiculō magnō

ī*ī* (= eī) : servī

dormiunt. Ubi dormiunt servī? Iī quoque in cubiculīs

c*a* : cubicul*a*

dormiunt. Suntne magna eōrum cubicula? Ea nōn magna sunt, et multī servī in ūnō cubiculō dormiunt. 40 Etiam ancillae multae in ūnō cubiculō dormiunt, neque

c*ae* : ancill*ae*

eae magna cubicula habent. —

Aemilia in peristȳlō est. Estne sōla? Aemilia sōla nōn

c*ā* : Aemili*ā*

est: līberī cum eā in peristȳlō adsunt. Iūlius abest. Ae-

sine ↔ cum

milia sine virō suō Iūliō in vīllā est. Ubi est Iūlius? In op- 45 pidō Tūsculō est sine Aemiliā, sed cum servīs quattuor.

II Aemilia cum Mārcō, Quīntō Iūliāque in peristȳlō est. Iūlia rosās pulchrās in hortō videt et ab Aemiliā discēdit. Iam ea cum Aemiliā nōn est. Aemilia eam nōn videt. Puella in hortō est.

Aemilia imperat: "Mārce et Quīnte! Iūliam vocāte!"

Mārcus et Quīntus Iūliam vocant: "Iūlia! Venī!" sed Iūlia eōs nōn audit neque venit.

Iūlia puerōs vocat: "Mārce et Quīnte! Venīte! Hīc multae rosae sunt."

Puerī Iūliam audiunt, neque iī ab Aemiliā discēdunt.

Quīntus: "Carpe rosās, Iūlia!"

Iūlia rosās carpit et cum quīnque rosīs ex hortō venit.



Iūlia: "Vidē, māter! Vidēte, puerī! Vidēte rosās meās!" Iūlia laeta est, rosae eam dēlectant.

Aemilia: "Ecce puella pulchra cum rosīs pulchrīs!" Verba Aemiliae Iūliam dēlectant.

Mārcus: "Rosae pulchrae sunt; puella sine rosīs pulchra nōn est!" Verba Mārcī Iūliam nōn dēlectant!

Aemilia (īrāta): "Tacē, puer improbe! Iūlia puella pulchra est — cum rosīs et sine rosīs."

Iūlia *cum* Aemiliā est

Iūlia *ab* Aemiliā discēdit

eōs : puer*ōs*



Iūlia in hortō est



Iūlia *ex* hort*ō* venit

Iūlia rosās carpit

Iūlia: "Audīte, Mārce et Quīnte!"

Mārcus: "Māter nōn videt nāsum tuum foedum!"

Mārcus et Quīntus rīdent: "Hahahae!"

Iūlia: "Audī, mamma: puerī etiam mē rīdent!"

iīs (= eīs) : *puerīs*

Iūlia plōrat et cum ūnā rosā ab iīs discēdit.

Aemilia: "Tacēte, puerī improbī! Nāsus Iūliae foedus nōn est. Discēdite ex peristȳlō! Sūmite cēterās rosās

eās : *rosās*

eāsque in aquā pōnite!"

iīs : *rosīs*

Puerī cēterās quattuor rosās sūmunt et cum iīs discēdunt.

Aemilia, quae iam sōla est in peristȳlō, ancillās vocat: "Dēlia et Syra! Venīte!"

eās : *ancillās*

Dēlia et Syra ex ātriō veniunt. Aemilia eās interrogat: "Suntne puerī in ātriō?"

Dēlia respondet: "In ātriō sunt."

Aemilia: "Quid agunt Mārcus et Quīntus?"

Dēlia: "Puerī aquam sūmunt ex impluviō..."

Syra: "...et rosās in aquā pōnunt."

Hīc domina et ancillae puerōs audiunt ex ātriō: Quīntus plōrat et Mārcus rīdet.

eōs : *puerōs*

Aemilia: "Quid iam agunt puerī? Age, Dēlia! discēde et interrogā eōs!" Dēlia ab Aemiliā et Syrā discēdit.

Aemilia Syram interrogat: "Ubi est Dāvus?"

Syra respondet: "In oppidō est cum dominō."

Dēlia ex ātriō venit et dominam vocat: "Venī, ō domina! Venī!"

Aemilia: "Quid est, Dēlia?"

Dēlia: "Quīntus est in impluviō!"

Aemilia: "In impluviō? Quid agit puer in impluviō?"

Dēlia: "Aquam pulsat et tē vocat."

Aemilia: "Quid agit Mārcus?"

Dēlia: "Is rīdet, quia Quīntus in aquā est!"

Aemilia: "Ō, puer improbus est Mārcus! Agite! Iūlium vocāte, ancillae!"

Syra: "Sed dominus in oppidō est."

Aemilia: "Ō, iam rūrsus abest Iūlius!"

Dēlia: "Age! Venī, domina, et Mārcum verberā!"

Quid agit domina? Domina īrāta cum ancillīs ex peristȳlō discēdit.

GRAMMATICA LATINA

Accūsātīvus

[A] Masculīnum.

Iūlius nōn ūnum fīli*um*, sed duōs fīliōs habet 'Fīli*um*' est accūsātīvus singulāris (vidē cap. III). 'Fīliōs' accūsātīvus plūrālis est. Accūsātīvus: singulāris *-um* (nōminātīvus *-us*), plūrālis *-ōs* (nōminātīvus *-ī*).

fīli*um*
fīliōs

-um -ōs

[B] Fēminīnum.

Iūlius nōn duās fīliās, sed ūnam fīli*am* habet. 'Fīli*am*' est accūsātīvus singulāris (vidē cap. III). 'Fīliās' accūsātīvus plūrālis est. Accūsātīvus: singulāris *-am* (nōminātīvus *-a*), plūrālis *-ās* (nōminātīvus *-ae*).

fīli*am*
fīliās

-am -ās

[C] Neutrum.

Vīlla nōn ūnum cubiculum, sed multa cubicul*a* habet. 'Cubiculum' accūsātīvus singulāris est. 'Cubicul*a*' accūsātīvus plūrālis est. Accūsātīvus: singulāris *-um* (= nōminātīvus), plūrālis *-a* (= nōminātīvus).

cubiculum
cubicul*a*

-um -a

ablātīvus (*abl*)

hortō
hortīs

-ō -īs

vīllā
vīllīs

-ā -īs

oppidō
oppidīs

-ō -īs

in	
ex	*-ō*
cum	*-ā*
ab	*-īs*
sine	

indicātīvus (*ind*)

vocā vocat
vocāte vocant

	sing.	plūr.
[1]	*-ā*	*-āte*
	-at	*-ant*
[2]	*-ē*	*-ēte*
	-et	*-ent*
[3]	*-e*	*-ite*
	-it	*-unt*
[4]	*-ī*	*-īte*
	-it	*-iunt*

Ablātīvus

[A] Masculīnum.

In hortō Iūliī. In hortīs Italiae.

'Hortō' ablātīvus singulāris est. 'Hortīs' ablātīvus plūrālis est. Ablātīvus: singulāris *-ō*, plūrālis *-īs*.

[B] Fēminīnum.

In vīllā Iūliī. In vīllīs Rōmānīs.

'Vīllā' ablātīvus singulāris est. 'Vīllīs' ablātīvus plūrālis est. Ablātīvus: singulāris *-ā*, plūrālis *-īs*.

[C] Neutrum.

In oppidō Tūsculō. In oppidīs Graecīs.

'Oppidō' ablātīvus singulāris est. 'Oppidīs' est ablātīvus plūrālis. Ablātīvus: singulāris *-ō*, plūrālis *-īs*.

In, ex, ab, cum, sine cum ablātīvō: *in* ātriō, *in* cubiculīs, *ex* hortō, *ex* Italiā, *ab* Aemiliā, *ab* oppidō, *cum* servō, *cum* līberīs, *sine* pecūniā, *sine* rosīs.

Imperātīvus et indicātīvus

"Dāvum vocā, serve!" Servus Dāvum voca*t*.

"Iūliam vocā*te*, puerī!" Puerī Iūliam voca*nt*.

'Vocā' est imperātīvus singulāris, 'voca*t*' indicātīvus singulāris (vidē cap. IV). 'Vocā*te*' imperātīvus plūrālis est, 'voca*nt*' indicātīvus plūrālis. Imperātīvus: singulāris -, plūrālis *-te*. Indicātīvus: singulāris *-t*, plūrālis *-nt*.

Exempla:

[1] *-ā, -āte; -at, -ant:*

Salūtā dominum, serve! Salūtā*te* dominum, servī!

Servus dominum salūta*t*. Servī dominum salūta*nt*.

[2] *-ē, -ēte; -et, -ent:*

Tacē, puer! Puer tace*t*. Tacē*te*, puerī! Puerī tace*nt*.

[3] *-e, -ite; -it, -unt:*

Discēd*e*, serve! Discēd*ite*, servī!

Servus discēd*it*. Servī discēd*unt*.

[4] *-ī, -īte; -it, -iunt:*

Venī, Iūlia! Iūlia ven*it*. Venī*te*, puerī! Puerī ven*iunt*.

PENSVM A

Iūlius et Aemilia in vīll– habit– cum līber– et serv–. Dominus mult– serv– et mult– ancill– habet.

Aemilia in peristȳl– est cum Mārc– et Quīnt– et Iūli–. Iūlia mult– ros– in hort– vid– et ab Aemili– discēd–. Iam Aemilia puell– nōn vid–, neque puerī eam vid–. Aemilia: "Mārce et Quīnte! Voc– Iūliam!" Puerī Iūli– voc–: "Iūlia! Ven–!" et Iūlia puer– voc–: "Mārce et Quīnte, ven–!" Iūlia puerōs nōn aud–, sed puerī Iūli– aud–. Iūlia: "Cūr puerī nōn ven–?" Iūlia ex hort– ven– cum v ros– pulchr–. Iūlia: "Vid– ros– meās, māter! Vid–, puerī!" Mārcus: "Rosae pulchrae sunt, puella sine ros– pulchra nōn est!" Iūlia cum ūn– ros– discēd–. Puerī rīd–. Aemilia: "Tac–, puerī! Sūm– ros– et discēd–!" Puerī ros– sūm– et discēd–; in ātri– aqu– sūm– ex impluvi– et ros– in aquā pōn–.

PENSVM B

Iūlius in magnā — —. Aemilia cum — [: Iūliō] habitat. Iūlius Aemiliam —, quia — [: Aemilia] bona et — fēmina est.

Aemilia in peristȳlō est — līberīs suīs, sed — virō suō. Iūlia — Aemiliā discēdit; iam puella in — est. Iūlia rosās — et — hortō venit cum v —. Puella laeta est: rosae eam —.

Ubi est impluvium? — [: impluvium] est in —. In impluviō — est. In ātriō nūllae — sunt.

PENSVM C

Num Iūlius sōlus in vīllā habitat?
Quot fīliōs et quot fīliās habent Iūlius et Aemilia?
Ubi est impluvium?
Ubi dormiunt servī?
Adestne Iūlius in peristȳlō cum Aemiliā?
Ubi est Iūlius?
Estne Aemilia sōla in peristȳlō?
Quid Iūlia agit in hortō?
Cūr puerī Iūliam rīdent?

Vocābula nova:
vīlla
hortus
rosa
līlium
nāsus
ōstium
fenestra
ātrium
impluvium
aqua
peristȳlum
cubiculum
pulcher
foedus
sōlus
habitat
amat
carpit
dēlectat
agit
etiam
cum
sine
ab
ex
ea
id
eō
eā
iī
eae
ea
eōs
eās
eōrum
eārum
iīs
ablātīvus


ITALIA
Placentia
Padus
Via Aemilia
Genua
Via Aurelia
Ariminum
Tiberis
Via Flaminia
Mare Superum
Via Aurelia
Corsica
Roma
Ostia
Tusculum
Via Latina
Via Appia
Capua
Via Appia
Puteoli
Brundisium
Sardinia
Mare Inferum
Aetna
Sicilia





VIA LATINA

I In Italiā multae et magnae viae sunt: via Appia, via Latīna, via Flāminia, via Aurēlia, via Aemilia. Via Appia est inter Rōmam et Brundisium; via Latīna inter Rōmam et Capuam; via Flāminia inter Rōmam et Arīminum; via Aurēlia inter Rōmam et Genuam; via Aemilia inter Arīminum et Placentiam. Brundisium, Capua, Arīminum, Genua, Placentia, Ōstia magna oppida sunt. Ubi est Ōstia? Ōstia est prope Rōmam. Tūsculum quoque prope Rōmam est. Brundisium nōn est prope Rōmam, sed procul ab Rōmā: via Appia longa est. Via Latīna nōn tam longa est quam via Appia. Quam longa est via Flāminia? Neque ea tam longa est quam via Appia. Tiberis fluvius nōn tam longus est quam fluvius Padus.

Circum oppida mūrī sunt. Circum Rōmam est mūrus antīquus. In mūrō Rōmānō duodecim portae sunt. Porta prīma Rōmāna est porta Capēna. Circum oppidum Tūsculum mūrus nōn tam longus est quam circum Rōmam.

inter Rōm*am* et Brundisi*um* (*acc*)

prope Rōm*am* ↔ procul ab Rōmā

longus -a -um



duo-decim = XII (12)
porta = magnum ōstium



lectīca

oppidum → vīlla

ab oppidō *ad* vīll*am*

ad (+ *acc*) ↔ ab (+ *abl*)

Iūlius *it* (*sing*)
servī *eunt* (*plūr*)

quī quōs:
servī *quī* saccōs portant
saccī *quōs* servī portant

Lēander -drī (*gen*)

vehunt = portant (ab... ad...)

ante ↔ post

ā = ab
ab ante *a, e, i, o, u, h*
ā/ab ante cēterās litterās

quō? ↔ unde?

Vīlla Iūliī est prope Tūsculum. Ab oppidō Tūsculō ad vīllam Iūliī nōn longa via est. Ecce Iūlius et quattuor servī in viā. Iūlius ab oppidō ad vīllam suam it. Dominus et servī ab oppidō ad vīllam eunt. Dominus in lectīcā est. Duo servī lectīcam cum dominō portant. Servī quī lectīcam portant sunt Ursus et Dāvus. Iūlius nōn in viā ambulat, servī eum portant. Syrus et Lēander ambulant. Syrus saccum portat et Lēander quoque saccum portat: Syrus et Lēander duōs saccōs in umerīs portant. Saccī quōs Syrus et Lēander portant magnī sunt, sed saccus quem Syrus portat nōn tam magnus est quam saccus Lēandrī. Quattuor servī dominum et duōs saccōs ab oppidō ad vīllam vehunt.

Iūlius in lectīcā est inter Ursum et Dāvum. Ursus est ante Iūlium, Dāvus post eum est. Syrus et Lēander nōn ante lectīcam, sed post lectīcam ambulant. Venitne Iūlius ā vīllā? Nōn ā vīllā venit. Unde venit Iūlius? Ab oppidō venit. Quō it Iūlius? Ad vīllam it. Post eum Tūsculum est, ante eum est vīlla.

Iūlius sōlus nōn est, nam quattuor servī apud eum sunt. Mēdus nōn est apud dominum, nam is dominum īrātum timet. Mēdus est malus servus quī nummōs dominī in sacculō suō habet. Dominus servōs malōs baculō verberat; itaque servī malī dominum et baculum eius timent. Dāvus autem bonus servus est, neque is Mēdum amat. Dāvus amīcus Mēdī nōn est, nam servus bonus et servus malus nōn amīcī, sed inimīcī sunt. Mēdus est inimīcus Dāvī. Ursus autem amīcus Dāvī est.

II Mēdus abest ā dominō suō. Estne in oppidō Tūsculō? Mēdus Tūsculī nōn est; neque Rōmae est Mēdus, sed in viā Latīnā inter Rōmam et Tūsculum. Unde venit Mēdus? Tūsculō venit, neque is ad vīllam Iūliī it. Quō it Mēdus? Rōmam it. Tūsculum post eum est, ante eum est Rōma. Mēdus viā Latīnā Tūsculō Rōmam ambulat.

Etiam Cornēlius, amīcus Iūliī, in viā Latīnā est inter Rōmam et Tūsculum. Unde venit Cornēlius? Is nōn Tūsculō, sed Rōmā venit. Quō it? Cornēlius nōn Rōmam, sed Tūsculum it. Rōma post eum, ante eum Tūsculum est. Cornēlius in equō est. Equus quī Cornēlium vehit pulcher est. Iūlius et Cornēlius ad vīllās suās eunt. Vīlla ubi Iūlius habitat prope Tūsculum est. Ubi habitat Cornēlius? Is Tūsculī habitat.

Iam Iūlius prope vīllam suam est. Servī quī lectīcam portant fessī sunt. Dominus autem fessus nōn est, nam is nōn ambulat. Iūlius ab Ursō et Dāvō portātur, itaque is fessus nōn est. Fessī sunt Syrus et Lēander, nam iī

apud *eum* sunt = cum *eō* sunt

malus -a -um ↔ bonus

...autem = sed...: Dāvus autem = sed Dāvus

in-imīcus ↔ amīcus

Tūsculī = *in* oppidō Tūsculō

Tūsculō = *ab* oppidō Tūsculō



A Rōm*ae* est
B Tūsculī est
C Rōmā Tūsculu*m* it
D Rōm*am* Tūsculō it

Tūsculu*m* = *ad* oppidum Tūsculum



fessus -a -um

Iūlius ab Ursō et Dāvō portā*tur* = Ursus et Dāvus Iūlium portant

duōs magnōs saccōs umerīs portant, neque vacuī sunt saccī! Saccī quī ā Syrō et Lēandrō portantur magnī sunt, sed saccus quem Syrus portat nōn tam magnus est quam saccus quī ā Lēandrō portātur. Itaque Syrus nōn tam fessus est quam Lēander. Cornēlius nōn est fessus, nam is equō vehitur. Iūlius lectīcā vehitur. Servī ambulant. Dominī vehuntur. Mēdus ambulat, nam is servus est neque equum habet.

saccī quī ā Syrō et Lēandrō port*antur* = saccī quōs Syrus et Lēander portant

saccus quī ā Lēandrō portā*tur* = saccus quem Lēander portat

is equō vehi*tur* = equus eum vehit

porta

per port*am* →

Iūlius prope vīllam suam est. Mēdus autem, quī dominum īrātum timet, procul ā vīllā Iūliī abest. Dominus ā servō malō timētur. Mēdus prope Rōmam est; iam mūrī Rōmānī ab eō videntur et porta Capēna. (Is quī viā Latīnā venit per portam Capēnam Rōmam intrat.) Cūr Rōmam it Mēdus? Rōmam it, quia Lȳdia Rōmae habitat, nam Lȳdia amīca eius est: Mēdus Lȳdiam amat et ab eā amātur. Mēdus Rōmam vocātur ab amīcā suā, quae fēmina est pulchra et proba. Itaque is fessus nōn est et laetus cantat:

amīc*us* (*m*): amīc*a* (*f*)

Mēdus ab eā amā*tur* = ea Mēdum amat

Nōn via longa est Rōmam, ubi amīca habitat mea pulchra.

amīca mea

Sed id quod Mēdus cantat ā Lȳdiā nōn audītur!

id ā Lȳdiā nōn audī*tur* = Lȳdia id nōn audit

Iam Iūlius in vīllā est et ab Aemiliā līberīsque laetīs salūtātur. Cornēlius Tūsculī est. Mēdus autem Rōmae est ante ōstium Lȳdiae. Mēdus ōstium pulsat.

Lȳdia imperat: "Intrā!"

Mēdus per ōstium intrat et amīcam suam salūtat: "Salvē, mea Lȳdia! Ecce amīcus tuus quī sōlus Rōmam ad tē venit."

Lydia verbīs Mēdī dēlectātur eumque salūtat: "Ō amīce, salvē! Ubi est dominus tuus?"

Mēdus: "Iūlius in vīllā est apud servōs suōs – neque is iam meus dominus est!"

Verba Mēdī ā Lydiā laetā audiuntur.

Lydia verbīs Mēdī dēlectātur = verba Mēdī Lydiam dēlectant

GRAMMATICA LATINA

Praepositiōnēs

Iūlius *ad* vīll*am* it; ad oppid*um;* ad ancillās.

Ursus *ante* Iūli*um* est; ante e*um;* ante vīll*am*.

Dāvus *post* Iūli*um* est; post e*um;* post vīll*am*.

Via *inter* Rōm*am* et Capu*am;* inter servōs.

Ōstia est *prope* Rōm*am;* prope vīll*am;* prope e*am*.

Circum oppid*um* mūrus est; circum mēns*am*.

Mēdus est *apud* amīc*am* su*am*, nōn apud domin*um*.

Mēdus *per* port*am* Capēn*am* Rōmam intrat; per ōsti*um*.

Ab, ad, ex, cēt. sunt praepositiōnēs. Praepositiōnēs cum accūsātīvō: *ad, ante, post, inter, prope, circum, apud, per,* cēt.; praepositiōnēs cum ablātīvō: *ab/ā, cum, ex, in, sine,* cēt. (vidē cap. V).

Quō it Mēdus? Mēdus Rōm*am* it. Quō it Cornēlius? Is Tūsculu*m* it.

Unde venit Cornēlius? Cornēlius Rōm*ā* venit. Unde venit Mēdus? Is Tūsculō venit.

Ubi habitat Lydia? Lydia Rōm*ae* habitat. Ubi habitat Cornēlius? Is Tūsculī habitat.

Accūsātīvus: Rōm*am,* Tūsculu*m,* Capu*am,* Brundisiu*m,* Ōsti*am* = *ad* oppidum -am/-um.

Ablātīvus: Rōm*ā,* Tūsculō, Capu*ā,* Brundisiō, Ōsti*ā* = *ab* oppidō -ā/-ō.

Locātīvus (= genetīvus): Rōm*ae,* Tūsculī, Capu*ae,* Brundisiī, Ōsti*ae* = *in* oppidō -ā/-ō.

ūna praepositiō (*prp*)
duae praepositiōnēs

ad	*-um*
ante	*-am*
post	*-ōs*
inter	*-ās*
prope	*-a*
circum	*mē*
apud	*tē*
per	

ad, ante, apud, circum, inter, per, post, prope + acc.

ab/ā, cum, ex, in, sine + abl.

quō? Rōm*am*/Tūsculu*m*

unde? Rōm*ā*/Tūsculō

ubi? Rōm*ae*/Tūsculī



-us	*-um*	*-t*
-a	*-am*	
	-ōs	
-ī	*-ās*	*-nt*
-ae	*-a*	

-us		
-a	*ab/ā -ō*	*-tur*
-um	*-ā*	
	-īs	
-ī		
-ae		*-ntur*
-a		

-t *-nt*
-tur *-ntur*

	sing.	plūr.
[1]	*-ātur*	*-antur*
[2]	*-ētur*	*-entur*
[3]	*-itur*	*-untur*
[4]	*-ītur*	*-iuntur*

Verbum āctīvum et passīvum

Serv*us* sacc*um* portat
= Sacc*us* portā*tur ā* servō

Servī saccōs portant
= Saccī portan*tur ā* servīs

'Portat portant' verbum āctīvum est. 'Portā*tur* portan*tur*' est verbum passīvum. Āctīvum: *-t -nt*. Passīvum: *-tur -ntur*.

Exempla:

[1] *-ātur -antur:* Aemilia Iūlium am*at* et ab eō am*ātur*. Pater et māter līberōs am*ant* et ab iīs am*antur*. Lȳdia verbīs Mēdī dēlect*ātur*.

[2] *-ētur -entur:* Iūlia puerōs nōn vid*et* neque ab iīs vid*ētur*. Puerī Iūliam nōn vid*ent* neque ab eā vid*entur*.

[3] *-itur -untur:* Dāvus sacculum in mēnsā pōn*it* = sacculus in mēnsā pōn*itur* ā Dāvō. Puerī rosās in aquā pōn*unt* = rosae ā puerīs in aquā pōn*untur*. Cornēlius equō veh*itur*.

[4] *-ītur -iuntur:* Iūlia puerōs aud*it* neque ab iīs aud*ītur* = puerī ā Iūliā aud*iuntur* neque eam aud*iunt*.

PENSVM A

Iūlius ab oppid- Tūsculō ad vīll- su- it. Vīlla eius prope Tūscul- est. Iūlius in lectīcā est inter Urs- et Dāv-. Dominus ā servīs port-. Ursus et Dāvus nōn saccōs port-, sacc- ā Syrō et Lēandrō port-. Saccus quem Lēander port- nōn tam parvus est quam saccus quī ā Syr- port-.

Mēdus nōn est apud domin-, nam servus malus dominum tim-. Dominus ā serv- mal- tim-. Dominus serv- mal- voc- neque ab eō aud-. Serv- mal- ā domin- voc- neque eum aud-.

Quō it Mēdus? Rōm- it. Unde venit? Mēdus Tūscul- venit. Ante Mēd- est Rōma, Tūsculum post e- est. Cornēlius

nōn Tūsculō Rōmam, sed Rōm- Tūscul- it, nam is Tūscul- habitat. Cornēlius nōn ambulat, sed equ- veh-.

Lȳdia, amīca Mēdī, Rōm- habitat. Iam Mēdus Rōm- apud Lȳdi- est. Mēdus amīc- su- salūt- et ab amīc- su- salūt-, nam Lȳdia Mēd- am- et ab e- am-.

PENSVM B

Ōstia nōn — ā Rōmā, sed — Rōmam est. — venit Iūlius? Tūsculō venit et — vīllam it. Duo servī eum —. Syrus et Lēander, quī — lectīcam ambulant, duōs — portant. Saccus Syrī nōn — magnus est — saccus quī — Lēandrō portātur; — Syrus nōn tam — est quam Lēander.

Mēdus — dominum nōn est, nam Mēdus dominum īrātum —. Mēdus servus — [= improbus] est; — Mēdus et Iūlius nōn —, sed inimīcī sunt. Via Latīna, quae est — Rōmam et Capuam, nōn tam — est quam — Appia. — ambulat Mēdus? Is Rōmam ambulat, — amīca eius Rōmae habitat. Cornēlius — [= sed C.] Rōmā Tūsculum —. Tūsculum est — eum, — eum est Rōma. Cornēlius equō —, is nōn —. Iūlius et Cornēlius ad vīllās suās —.

PENSVM C

Ambulatne Iūlius?
Quī Iūlium portant?
Quid portant Syrus et Lēander?
Unde venit Iūlius et quō it?
Quō it Mēdus?
Etiamne Cornēlius Tūsculō Rōmam it?
Ubi habitat Cornēlius?
Cūr Mēdus laetus est?
Quae est Lȳdia?
Quid habet Mēdus in sacculō suō?
Suntne amīcī Iūlius et Mēdus?
Num *portat* verbum passīvum est?

Vocābula nova:
via
mūrus
porta
lectīca
saccus
umerus
amīcus
inimīcus
equus
amīca
longus
malus
fessus
duodecim
it eunt
portat
ambulat
vehit
timet
intrat
tam
quam
inter
prope
procul ab
circum
ad
ante
post
ā
apud
per
nam
itaque
autem
unde?
quō?
praepositiō
locātīvus
āctīvum
passīvum



Iūlia rosam ante nāsum tenet

illīc : in peristȳlō

oculus

lacrimat ↔ rīdet

speculum 

fōrmōsus -a -um = pulcher

in cubiculum (*acc*) ↔ *ex* cubiculō
claudit ↔ aperit



PVELLA ET ROSA

Ecce Mārcus et Quīntus ante ōstium vīllae. Puerī Iūlium exspectant. Māter nōn est apud fīliōs, ea in peristȳlō est; illīc virum suum exspectat. Aemilia laeta nōn est, quia Iūlius abest; nam Aemilia virum suum amat. *1*

Ubi est Iūlia? In cubiculō suō est. Iūlia, quae sōla est illīc, rosam ante nāsum tenet. Puella lacrimat: in oculīs eius sunt lacrimae. 5

Iūlia speculum sūmit et ante oculōs tenet. Puella sē in speculō videt et sē interrogat: "Estne foedus nāsus meus?" Nāsus eius autem fōrmōsus nōn est. Iūlia rūrsus lacrimat. 10

Syra ōstium cubiculī pulsat.

Iūlia: "Intrā!"

Syra ōstium aperit et in cubiculum intrat, neque ōstium post sē claudit. Iūlia Syram post sē in speculō videt. 15 Syra nōn videt lacrimās Iūliae, nam puella sē nōn vertit.

Syra: "Ō, hīc est mea puella. Venī in hortum, Iūlia!"

Iūlia imperat: "Claude ōstium!"

Ancilla pāret.

Iūlia: "Num nāsus meus foedus est, Syra?"

Syra: "Foedus? Immō fōrmōsus est nāsus tuus."

immō fōrmōsus : nōn foedus sed fōrmōsus

Iūlia sē vertit. Iam Syra lacrimās videt.

Syra: "Quid est, mea Iūlia? Tergē oculōs! Es laeta! Nāsus tuus tam fōrmōsus est quam meus."

est sunt
es! este! (*imp*)

Iūlia: "Sed nāsus tuus nōn fōrmōsus est!"

Syra: "Quid? Nōnne fōrmōsus est nāsus meus?"

nōn-ne



Iūlia: "Immō foedus est! Ecce speculum, Syra."

Iūlia speculum tenet ante Syram, quae nāsum suum in speculō videt. Ancilla oculōs claudit et tacet. —

II Ecce Iūlius ad vīllam advenit. Servī lectīcam ante ōstium pōnunt. Pater fīliōs salūtat: "Salvēte, fīliī!" et ā fīliīs salūtātur: "Salvē, pater!"

ad-venit = ad ... venit
salvē! salvēte!
salvē, pater! (*sing*)
salvēte, fīliī! (*plūr*)

Iūlius ambulat ad ōstium, quod ab ōstiāriō aperītur. Dominus per ōstium in vīllam intrat. Post eum veniunt Syrus et Lēander, quī duōs saccōs portant. Ōstiārius post eōs ōstium claudit. Ursus et Dāvus cum lectīcā vacuā discēdunt.

ōstiārius = servus quī ōstium aperit et claudit
in vīll*am* ↔ *ex* vīll*ā*



mālum

Puerī saccōs plēnōs quī ā servīs portantur vident et interrogant: "Quid inest in saccīs?"

plēnus -a -um ↔ vacuus

in-est = in... est

Iūlius respondet: "In saccō quem Lēander portat māla īnsunt. Hīc saccum pōne, Lēander!"

īn-sunt = in... sunt

Lēander saccum pōnit ante Iūlium, quī aperit eum.

eum : saccum

Iūlius: "Vidēte, puerī: hic saccus plēnus mālōrum est."

hic saccus = saccus quī hīc (apud mē) est

ē = ex
ex ante *a, e, i, o, u, h*
ē/ex ante cēterās litterās

eī : Quīntō



pirum

sōlum = tantum

neque...neque ↔ et...et

dat dant
dā! date! (imp)

iīs (= eīs) : servīs

ad-it = ad... it

Aemilia Iūliō ōsculum dat

Mārcus ambulat Quīntus currit

Iūlius mālum ē saccō sūmit et sē vertit ad Mārcum: "Ecce mālum tuum, Mārce." Iūlius Mārcō mālum dat. Pater fīliō suō magnum mālum dat. Iam Mārcus mālum habet, neque Quīntus mālum habet. Iūlius Quīntum ad sē vocat et eī mālum dat. Iūlius Quīntō mālum dat. Iam et Mārcus et Quīntus māla habent.

Mārcus: "Quid inest in saccō Syrī?"

Iūlius: "In saccō eius pira īnsunt. Aperī saccum, Syre! Vidēte, puerī: hic saccus plēnus est pirōrum." Iūlius duo pira ē saccō sūmit: "Ecce pirum tuum, Mārce, et tuum, Quīnte." Pater fīliīs suīs pira dat. Fīliī, quī iam nōn sōlum māla, sed etiam pira habent, laetī sunt. Servī autem neque māla neque pira habent.

Quīntus: "Etiam servīs dā māla et pira, pater!"

Iūlius Syrum et Lēandrum servōs ad sē vocat et iīs māla et pira dat. Dominus servīs māla et pira dat.

Aemilia cum Dēliā ē peristȳlō in ātrium intrat, laeta *III* ad Iūlium adit eumque salūtat. Aemilia virō suō ōsculum dat. Iūlius Aemiliae ōsculum dat.

Iūlius: "Quid agit Iūlia?"

Aemilia: "Rosās carpit in hortō."

Iūlius: "Currite in hortum, puerī, et vocāte eam!"

Quīntus currit. Mārcus nōn currit, sed ambulat.

Iūlius imperat: "Age! Curre, Mārce!"

Etiam Mārcus currit. Puerī per peristȳlum in hortum currunt. Illīc autem puella nōn est. Puerī ex hortō per peristȳlum in ātrium ambulant.

Mārcus: "Iūlia neque in hortō neque in peristȳlō est."

Aemilia: "Estne Syra in hortō?"

Quīntus: "Nōn est. Nūlla ancilla illīc est."

Aemilia: "Nōn sōlum Iūlia, sed etiam Syra abest! Dēlia, ī ad cubiculum Iūliae!"

Dēlia ad cubiculum Iūliae it, ōstium pulsat, aperit, in cubiculum intrat. Illīc nōn sōlum Iūlia, sed etiam Syra est. Oculī Iūliae plēnī sunt lacrimārum.

Dēlia: "Venī in ātrium, Iūlia! Illīc pater tuus tē exspectat."

Iūlia oculōs et nāsum terget, rosam sūmit, ē cubiculō exit. Syra et Dēlia post eam exeunt. Iūlia in ātrium ad Iūlium currit eīque ōsculum dat.

Iūlia: "Ecce rosa. Nōnne pulchra est haec rosa?"

Iūlius: "Nūlla rosa tam pulchra est quam fīlia mea!" Iūlius fīliae suae ōsculum dat. Iamne lacrimat Iūlia? Immō laeta est et rīdet.

Iūlia: "Num nāsus meus foedus est?"

Iūlius: "Foedus? Immō tam fōrmōsus est quam—hoc mālum! Ecce mālum tuum, Iūlia." Pater fīliae mālum magnum et fōrmōsum dat. Iūlia mālum terget et ante oculōs tenet.

Iūlia: "Ō, quam fōrmōsum est hoc mālum!" Puella laeta mālō suō ōsculum dat!

Iūlius: "Hoc pirum etiam tuum est, Iūlia." Iūlius eī pirum dat. Iam puella et mālum et pirum habet.

Aemilia: "Etiam ancillīs meīs māla et pira dā!"

it eunt
ī! īte! (imp)

ex-it ↔ intrat
ex-*it* ex-*eunt*
eī-que

haec rosa = rosa quae hīc (apud mē) est

iam-ne

hoc mālum = mālum quod hīc (apud mē) est
hic haec hoc:
hic saccus (*m*)
haec rosa (*f*)
hoc mālum (*n*)

eī : Iūli*ae*

iīs (= eīs) : ancillīs

Iūlius ancillās ad sē vocat et iīs quoque māla et pira dat. Ancillae laetae ex ātriō exeunt. —

cui? puerō
puell*ae*

Cui Iūlius mālum dat? Puerō mālum dat. Puer cui Iūlius mālum dat est fīlius eius.

Cui Iūlius ōsculum dat? Puellae ōsculum dat. Puella cui Iūlius ōsculum dat fīlia eius est.

GRAMMATICA LATINA

datīvus (*dat*) < dat

Datīvus

[A] Masculīnum.

servō
servīs

Iūlius servō (Syrō) mālum dat.

Iūlius servīs (Syrō et Lēandrō) māla dat.

'Servō' datīvus singulāris est. 'Servīs' est datīvus plūrālis.

-ō -īs

Datīvus: singulāris *-ō*, plūrālis *-īs*.

[B] Fēminīnum.

ancill*ae*
ancillīs

Iūlius ancill*ae* (Syrae) mālum dat.

Iūlius ancillīs (Syrae et Dēliae) māla dat.

'Ancill*ae*' est datīvus singulāris. 'Ancillīs' datīvus plūrālis est. Datīvus: singulāris *-ae*, plūrālis *-īs*.

-*ae* -īs

[C] Neutrum.

oppidō
oppidīs

Fluvius oppidō aquam dat.

Fluviī oppidīs aquam dant.

'Oppidō' datīvus singulāris est. 'Oppidīs' est datīvus plūrālis. Datīvus: singulāris *-ō*, plūrālis *-īs*.

-ō -īs

PENSVM A

Iūlius Mārc–, fīli– su–, mālum dat. Iūlius Mārc– et Quīnt–, fīli– su–, māla dat. Iūlius etiam serv– su–, Syr– et Lēandr–, māla dat.

C– Aemilia ōsculum dat? Aemilia vir– su– Iūli– ōsculum dat. Iūlius Aemili– ōsculum dat. Iūlius Iūli–, fīli– su–, mālum dat, neque sōlum Iūliae, sed etiam Syr– et Deli–, ancill– su–. Iūlia māl– su– ōsculum dat!

PENSVM B

Iūlius ad vīllam —. Ōstiārius ōstium — et post eum —.

Saccī nōn vacuī, sed — sunt. Iūlius: "Vidēte, puerī: — saccus plēnus — est. Ecce mālum tuum, Mārce." Iūlius Mārcō mālum —. Iūlius fīliīs nōn — māla, sed etiam pira dat. Iam puerī — māla — pira habent, sed servī — māla — pira habent. Dominus servōs ad — vocat et — quoque māla et — dat.

Aemilia ad Iūlium — et eī — dat. Iūlia abest. Puerī nōn ambulant, sed — in hortum. — [: in hortō] Iūlia nōn est, ea in cubiculō suō est. Iūlia nōn rīdet, sed —: in — eius sunt —. Dēlia: "In ātriō pater tuus tē —, Iūlia." Iūlia — [= ex] cubiculō —, ad Iūlium currit et — [: Iūliō] ōsculum dat. Iūlia rosam ante Iūlium —. Iūlia: "Nōnne — rosa — [= pulchra] est?"

PENSVM C

Quem puerī exspectant?
Venitne Iūlius Rōmā?
Quis ōstium aperit et claudit?
Quid inest in saccīs?
Cui Iūlius mālum prīmum dat?
Cui Aemilia ōsculum dat?
Estne Iūlia in hortō?
Quō it Dēlia?
Estne Iūlia sōla in cubiculō suō?
Rīdetne Iūlia?
Quō Iūlia currit?
Quid Iūlius dat fīliae suae?

Vocābula nova:
oculus
lacrima
speculum
ōstiārius
mālum
pirum
ōsculum
fōrmōsus
plēnus
exspectat
tenet
lacrimat
aperit
claudit
vertit
terget
advenit
inest
dat
adit
currit
exit
es
sē
hic
haec
hoc
immō
nōnne?
et... et
neque... neque
sōlum
illīc
ē
eī
iīs
cui
datīvus



TABERNA ROMANA

gemma margarīta

Ecce taberna Rōmāna, in quā gemmae et margarītae multae sunt. Cuius est haec taberna? Albīnī est. Albīnus hanc tabernam habet. Quī tabernam habet tabernārius est. Albīnus est tabernārius Rōmānus quī gemmās et margarītās vēndit. Aliī tabernāriī librōs vēndunt, aliī māla et pira, aliī rosās et līlia.

haec taberna, *acc* hanc tabernam
quī = is quī

ānulus cum gemmā

Gemmae et margarītae sunt ōrnāmenta. Ānulus cum gemmā ōrnāmentum pulchrum est. Etiam līnea cum margarītīs ōrnāmentum est. Līnea sine margarītīs nōn est ōrnāmentum!

līnea cum margarītīs = līnea margarītārum

Multae fēminae quae in hāc viā ambulant ante tabernam Albīnī cōnsistunt, nam fēminae ōrnāmentīs dēlectantur. Eae quae magnam pecūniam habent multa ōrnāmenta emunt. Quae nūllam aut parvam pecūniam habent ōrnāmenta aspiciunt tantum, nōn emunt. Etiam virī multī ad hanc tabernam adeunt. Quī magnam pecū-

haec via, *abl* hāc viā

emit ↔ vēndit
quae = eae quae

quī = iī quī

niam habent ōrnāmenta emunt et fēminīs dant; cēterī rūrsus abeunt. Fēminae quārum virī magnam pecūniam habent multa ōrnāmenta ā virīs suīs accipiunt.

Aemilia, cuius vir pecūniōsus est, multa ōrnāmenta ab eō accipit. Aemilia ānulum in digitō et margarītās in collō multaque alia ōrnāmenta habet. Ānulus digitum Aemiliae ōrnat, margarītae collum eius ōrnant. Fēminae gemmīs et margarītīs ānulīsque ōrnantur.

In viā prope tabernam Albīnī vir et fēmina ambulant. Quī vir et quae fēmina? Est Mēdus, quī cum Lȳdiā, amīcā suā, ambulat. Mēdus est servus Iūliī, sed dominus eius Rōmae nōn est. Mēdus sine dominō suō cum fēminā fōrmōsā in viīs Rōmae ambulat.

Lȳdia ōrnāmentum pulchrum in collō habet. Quod ōrnāmentum? Ōrnāmentum quod Lȳdia habet est līnea margarītārum. Collum Lȳdiae margarītīs pulchrīs ōrnātur; Lȳdia autem nūllum aliud ōrnāmentum habet, quia pecūniōsa nōn est, neque pecūniōsus est amīcus eius. (Pecūniōsus est quī magnam pecūniam habet.)

II Albīnus clāmat: "Ōrnāmenta! Ōrnāmenta fēminārum! Ōr-nā-men-ta! Emite ōrnāmenta!"

Lȳdia cōnsistit oculōsque ad tabernam Albīnī vertit: Lȳdia tabernam aspicit. Mēdus nōn cōnsistit neque tabernam aspicit.

Lȳdia: "Cōnsiste, Mēde! Aspice illam tabernam! Ō, quam pulchra sunt illa ōrnāmenta!" Lȳdia tabernam Albīnī digitō mōnstrat. Mēdus sē vertit, tabernam vi-

ab-it ↔ ad-it
ab-*it* ab-*eunt*

pecūniōsus -a -um: p. est = magnam pecūniam habet



qu*is?* qu*is*/quī vir?
qu*id?* qu*od* ōrnāmentum?

alius -a -*ud* (*n*)

quī = is quī



illa taberna = taberna quae illīc est

det, cum Lȳdiā ad tabernam adit. Mēdus et Lȳdia ante tabernam cōnsistunt. Albīnus eōs salūtat et margarītās in līneā ante oculōs Lȳdiae tenet: Albīnus Lȳdiae margarītās ostendit.

Albīnus Lȳdi*ae* (*dat*) margarītās ostendit

Albīnus: "In hōc ōrnāmentō vīgintī margarītae magnae sunt. Nōnne pulchrae sunt hae margarītae?"

hoc, *abl* hōc
vīgintī = XX (20)

sing hic haec hoc
plūr hī hae haec

Mēdus: "Amīca mea multās margarītās habet."

Lȳdia: "In hāc tabernā multa alia ōrnāmenta sunt."

aspic*e!* aspic*ite!*
aspic*it* aspic*iunt*

Albīnus iīs trēs ānulōs sine gemmīs ostendit: "Aspicite hōs ānulōs! Nōnne hī ānulī pulchrī sunt?"

hī, *acc* hōs

Mēdus et Lȳdia ānulōs aspiciunt.

hī hae haec, *abl* hīs

Lȳdia: "In hīs ānulīs gemmae nūllae sunt!"

Mēdus Albīnum interrogat: "Quot nummīs cōnstat ānulus in quō gemma est?"

quī, *abl* quō

ānulus gemmātus = ānulus cum gemmā

Albīnus Mēdō ānulum gemmātum ostendit.

Albīnus: "Hic ānulus centum nummīs cōnstat."

Mēdus: "Quid?"

hic haec hoc, *gen* huius
sēstertius = nummus

Albīnus: "Pretium huius ānulī est centum sēstertiī."

Mēdus: "Centum sēstertiī? Id magnum pretium est!"

hic ānulus, *acc* hunc ā.um, *abl* hōc ā.ō
tantus -a -um = tam magnus
octōgintā = LXXX (80)

Albīnus: "Immō parvum pretium est! Aspice hunc ānulum: in hōc ānulō magna gemma est. Tanta gemma sōla octōgintā sēstertiīs cōnstat."

Mēdus: "Num ānulus sine gemmā vīgintī tantum sēstertiīs cōnstat?" Albīnus nōn respondet.

Mēdus, quī alium ānulum gemmātum post Albīnum videt: "Hic ānulus pulcher nōn est. Quot sēstertiīs cōnstat ille ānulus?"

hic ānulus = ānulus quī hīc est
ille ānulus = ānulus quī illīc est

Albīnus: "Quī ānulus?"

Mēdus: "Ille post tē. Quantum est pretium illīus ānulī?" Mēdus ānulum post Albīnum digitō mōnstrat.

Albīnus: "Ille quoque ānulus centum sēstertiīs cōnstat. Pretium illīus ānulī tantum est quantum huius; sed amīca tua hunc ānulum amat, nōn illum."

Lȳdia ānulum gemmātum ante oculōs tenet.

Lȳdia: "Ō, quam pulchrum hoc ōrnāmentum est! Illud ōrnāmentum nōn tam pulchrum est quam hoc, neque illa gemma tanta est quanta haec."

Mēdus: "Tanta gemma ad tam parvum ānulum nōn convenit."

III Lȳdia, quae haec verba nōn audit, Mēdō digitōs suōs ostendit, in quibus nūllī ānulī sunt.

Lȳdia: "Aspice, Mēde! In digitīs meīs nūllī sunt ānulī. Aliae fēminae digitōs ānulōrum plēnōs habent — meī digitī vacuī sunt!"

Mēdus: "Sacculus quoque meus vacuus est!"

Lȳdia ānulum in mēnsā pōnit. In oculīs eius lacrimae sunt. Mēdus, quī lacrimās videt, sacculum suum in mēnsā pōnit — neque vacuus est sacculus, sed plēnus nummōrum! Quanta pecūnia est in sacculō Mēdī? In eō nōnāgintā sēstertiī īnsunt.

Mēdus: "Ecce sēstertiī nōnāgintā."

Albīnus: "Sed nōnāgintā nōn satis est. Pretium ānulī est sēstertiī centum!"

Lȳdia: "Dā huic tabernāriō centum sēstertiōs!"

quantus -a -um = quam magnus
ille, *gen* illīus, *acc* illum

tantus...quantus = tam magnus...quam

ille -a -ud:
ille ānulus (*m*)
illa gemma (*f*)
illud ōrnāmentum (*n*)

quī, *abl plūr* quibus

nōnāgintā = XC (90)

sēstertiī nōnāgintā:
HS XC

hic haec hoc, *dat* huic

Mēdus: "Id nimis magnum pretium est! Aliī tabernāriī ānulum gemmātum octōgintā sēstertiīs vēndunt."

Albīnus: "Quī sunt illī tabernāriī?"

quī = iī quī

Mēdus: "Quī in aliīs viīs tabernās habent."

sing ille illa illud
plūr illī illae illa

Albīnus: "Quae sunt illae viae in quibus illae tabernae sunt? Et quae sunt illa ōrnāmenta quae in illīs tabernīs parvō pretiō emuntur? Nōn sunt ōrnāmenta! Sed aspicite haec ōrnāmenta: hōs ānulōs, hās gemmās, hās margarītās! Haec ōrnāmenta proba sunt! Neque pretium hōrum ōrnāmentōrum nimis magnum est!"

accip*e!* accip*ite!*
accip*it* accip*iunt*

Mēdus: "Accipe nummōs nōnāgintā — aut nūllōs!"

Albīnus: "Num hīc nōnāgintā sēstertiī sunt?"

Mēdus: "Numerā eōs!"



Albīnus numerat sēstertiōs, quōrum numerus est nōnāgintā.

Albīnus: "Sunt nōnāgintā."

Mēdus: "Satisne est?"

Albīnus nōn respondet, sed nummōs sūmit Mēdōque ānulum dat. Albīnus pecūniam accipit et Mēdō ānulum vēndit sēstertiīs nōnāgintā.



Mēdus sē ad Lȳdiam vertit: "Accipe hunc ānulum ab amīcō tuō..." Mēdus ānulum in digitō Lȳdiae pōnit. In quō digitō? In digitō mediō.

Mēdus: "Hic ānulus ad digitum tuum nōn convenit. Ānulus nimis parvus est aut digitus nimis magnus!"

Lȳdia: "Ō Mēde! Digitus medius nimis magnus est. Pōne ānulum in digitō quārtō!"

quārtus -a -um = IV (4.)

Mēdus ānulum in digitō Lȳdiae quārtō pōnit. Ānulus satis magnus est et ad digitum convenit, nam digitus quārtus nōn tantus est quantus digitus medius. Lȳdia laeta digitum suum aspicit et amīcō suō ōsculum dat.

Mēdus et Lȳdia ā tabernā abeunt. Lȳdia, quae Rōmae habitat, Mēdō viam mōnstrat.

Albīnus rūrsus clāmat: "Ōrnāmenta! Ōr-nā-men-ta!" et aliōs virōs pecūniōsōs, quōrum amīcae nūlla aut pauca ōrnāmenta habent, exspectat.

GRAMMATICA LATINA

Prōnōmina 'quis', 'quī', 'is', 'ille'

[A] Masculīnum.

Quis saccum portat? Serv*us* saccum portat. *Quī* servus? Servus *quī* saccum portat est Syrus. *Is/ille* servus saccum portat.

Iūlius serv*um* vocat. *Quem* servum? Servus *quem* Iūlius vocat est Syrus. Iūlius *eum/illum* servum vocat.

Iūlius dominus servī est. *Cuius* servī? Syrus est servus *cuius* dominus Iūlius est. Iūlius dominus *eius/illīus* servī est.

Iūlius servō mālum dat. *Cui* servō? Servus *cui* Iūlius mālum dat est Syrus. Iūlius *eī/illī* servō mālum dat.

Saccus ā servō portātur. Ā *quō* servō? Servus ā *quō* saccus portātur est Syrus. Saccus ab *eō/illō* servō portātur.

Servī saccōs portant. *Quī* servī? Servī *quī* saccōs portant sunt Syrus et Lēander. *Iī/illī* servī saccōs portant.

Iūlius servōs vocat. *Quōs* servōs? Servī *quōs* Iūlius vocat sunt Syrus et Lēander. Iūlius *eōs/illōs* servōs vocat.

Iūlius dominus servōrum est. *Quōrum* servōrum? Servī *quōrum* dominus est Iūlius sunt Syrus et Lēander. Iūlius dominus *eōrum/illōrum* servōrum est.

ūnum prōnōmen (*prōn*)
duo prōnōmina

Singulāris:
nōminātīvus
quis/quī is ille
quī...?
is servus = *ille* servus

accūsātīvus
quem eum illum

genetīvus
cuius eius illīus

datīvus
cui eī illī

ablātīvus
quō eō illō

Plūrālis:
nōminātīvus
quī iī illī

accūsātīvus
quōs eōs illōs

genetīvus
quōrum eōrum illōrum

datīvus
quibus iīs illīs

ablātīvus
quibus iīs illīs

Singulāris:
nōminātīvus
quae ea illa

accūsātīvus
quam eam illam

genetīvus
cuius eius illīus

datīvus
cui eī illī

ablātīvus
quā eā illā

Plūrālis:
nōminātīvus
quae eae illae

accūsātīvus
quās eās illās

genetīvus
quārum eārum illārum

datīvus
quibus iīs illīs

ablātīvus
quibus iīs illīs

Singulāris:
nōminātīvus
quid/quod id illud
quod...?

accūsātīvus
quid/quod id illud
quod...?

Iūlius servīs māla dat. *Quibus* servīs? Servī *quibus* Iūlius māla dat sunt Syrus et Lēander. I. *iīs/illīs* servīs māla dat.

Saccī ā servīs portantur. Ā *quibus* servīs? Servī ā *quibus* saccī portantur sunt Syrus et Lēander. Ab *iīs/illīs* servīs saccī portantur.

[B] Fēminīnum.

Ancill*a* abest. *Quae* ancilla? Ancilla *quae* abest est Syra. *Ea/illa* ancilla abest.

Iūlius ancill*am* vocat. *Quam* ancillam? Ancilla *quam* Iūlius vocat est Syra. Iūlius *eam/illam* ancillam vocat.

Iūlius dominus ancill*ae* est. *Cuius* ancillae? Syra est ancilla *cuius* dominus Iūlius est. I. dominus *eius/illīus* ancillae est.

Iūlius ancill*ae* mālum dat. *Cui* ancillae? Ancilla *cui* Iūlius mālum dat est Syra. Iūlius *eī/illī* ancillae mālum dat.

Iūlius ab ancillā salūtātur. Ā *quā* ancillā? Ancilla ā *quā* Iūlius salūtātur est Syra. Iūlius ab *eā/illā* ancillā salūtātur.

Ancill*ae* absunt. *Quae* ancillae? Ancillae *quae* absunt sunt Syra et Dēlia. *Eae/illae* ancillae absunt.

Iūlius ancillās vocat. *Quās* ancillās? Ancillae *quās* Iūlius vocat sunt Syra et Dēlia. Iūlius *eās/illās* ancillās vocat.

Iūlius dominus ancill*ārum* est. *Quārum* ancillārum? Ancillae *quārum* dominus est Iūlius sunt Syra et Dēlia. Iūlius dominus *eārum/illārum* ancillārum est.

Iūlius ancillīs māla dat. *Quibus* ancillīs? Ancillae *quibus* Iūlius māla dat sunt Syra et Dēlia. I. *iīs/illīs* ancillīs māla dat.

Iūlius ab ancillīs salūtātur. Ā *quibus* ancillīs? Ancillae ā *quibus* Iūlius salūtātur sunt Syra et Dēlia. Ab *iīs/illīs* ancillīs Iūlius salūtātur.

[C] Neutrum.

Quid est ānulus? Ānulus est ōrnāmen*tum*. *Quod* ōrnāmentum? Ānulus est ōrnāmentum *quod* digitum ōrnat. *Id/illud* ōrnāmentum pulchrum est.

Quid Lȳdia in collō habet? Ōrnāmen*tum* habet. *Quod* ōrnāmentum? Ōrnāmentum *quod* Lȳdia in collō habet est līnea margarītārum. Lȳdia *id/illud* ōrnāmentum amat.

Pretium ōrnāmentī est HS (= sēstertiī) C. *Cuius* ōrnāmentī? Ōrnāmentum *cuius* pretium est HS C est ānulus. Pretium *eius /illīus* ōrnāmentī est HS C.

Fluvius oppidō aquam dat. *Cui* oppidō? Oppidum *cui* fluvius aquam dat est Capua. Fluvius *eī/illī* oppidō aquam dat.

Cornēlius in parvō oppidō habitat. In *quō* oppidō? Oppidum in *quō* Cornēlius habitat est Tūsculum. In *eō/illō* oppidō habitat Cornēlius.

Quae oppid*a* prope Rōmam sunt? Ōstia et Tūsculum sunt oppida *quae* prope Rōmam sunt. *Ea/illa* oppida prope Rōmam sunt.

Albīnus ōrnāmenta vēndit. *Quae* ōrnāmenta? Ōrnāmenta *quae* A. vēndit sunt ānulī. *Ea/illa* ōrnāmenta vēndit A.

Pretium ōrnāmentō*rum* est HS C. *Quōrum* ōrnāmentōrum? Ōrnāmenta *quōrum* pretium est HS C ānulī sunt. Pretium *eō-rum/illōrum* ōrnāmentōrum est HS C.

Fluviī oppidī*s* aquam dant. *Quibus* oppidīs? Oppida *quibus* fluviī aquam dant sunt Capua et Brundisium. Fluviī *īs/illīs* oppidīs aquam dant.

Fēminae ōrnāmentī*s* dēlectantur. *Quibus* ōrnāmentīs? Ōrnāmenta *quibus* fēminae dēlectantur sunt margarītae et gemmae. *Īs/illīs* ōrnāmentīs dēlectantur fēminae.

genetīvus
cuius eius illīus

datīvus
cui eī illī

ablātīvus
quō eō illō

Plurālis:
nōminātīvus
quae ea illa

accūsātīvus
quae ea illa

genetīvus
quōrum eōrum illōrum

datīvus
quibus īis illīs

ablātīvus
quibus īis illīs

Prōnōmen 'hic'

	Masculīnum	*Fēminīnum*	*Neutrum*
Sing. Nōm.	hic mūrus	haec via	hoc verbum
Acc.	hunc mūrum	hanc viam	hoc verbum
Gen.	huius mūrī	huius viae	huius verbī
Dat.	huic mūrō	huic viae	huic verbō
Abl.	hōc mūrō	hāc viā	hōc verbō
Plūr. Nōm.	hī mūrī	hae viae	haec verba
Acc.	hōs mūrōs	hās viās	haec verba
Gen.	hōrum mūrōrum	hārum viārum	hōrum verbōrum
Dat.	hīs mūrīs	hīs viīs	hīs verbīs
Abl.	hīs mūrīs	hīs viīs	hīs verbīs

sing.

m.	f.	n.
hic	*haec*	*hoc*
hunc	*hanc*	*hoc*
	huius	
	huic	
hōc	*hāc*	*hōc*

plūr.

m.	f.	n.
hī	*hae*	*haec*
hōs	*hās*	*haec*
hōrum	*hārum*	*hōrum*
	hīs	
	hīs	

Vocābula nova:
taberna
gemma
margarīta
tabernārius
ōrnāmentum
ānulus
līnea
digitus
collum
pretium
sēstertius
pecūniōsus
gemmātus
medius
quārtus
vīgintī
octōgintā
nōnāgintā
vēndit
cōnsistit
emit
aspicit
abit
accipit
ōrnat
clāmat
mōnstrat
ostendit
cōnstat
convenit
alius
ille
tantus
quantus
satis
nimis
aut
prōnōmen

PENSVM A

Qu– est Albīnus? Est tabernārius qu– ōrnāmenta vēndit. Qu– ōrnāmenta? Ōrnāmenta qu– Albīnus vēndit sunt gemmae et margarītae. Qu– emit Mēdus? Ōrnāmentum emit. Qu– ōrnāmentum? Ōrnāmentum qu– Mēdus emit est ānulus c– pretium est HS C. Digitus in qu– ānulus pōnitur est digitus quārtus.

H– servus Mēdus, ill– Dāvus est. Lȳdia h– servum amat, nōn ill–. Lȳdia amīca h– servī est, nōn ill–. Lȳdia h– servō ōsculum dat, nōn ill–. Lȳdia ab h– servō amātur, nōn ab ill–.

H– oppidum est Tūsculum, ill– est Brundisium. Cornēlius in h– oppidō habitat, nōn in ill–. Viae h– oppidī parvae sunt.

PENSVM B

Gemmae et margarītae — pulchra sunt. Aemilia multa ōrnāmenta ā Iūliō —. Aemilia — in collō et ānulum in — habet. Multae fēminae ante tabernam Albīnī — et ōrnāmenta eius aspiciunt. Virī ōrnāmenta — et fēminīs dant. — gemmātus centum sēstertiīs —. — ānulī est centum sēstertiī, sed Mēdus — (XC) tantum habet. Albīnus: "Nōnāgintā nōn — est!" Mēdus: "Accipe nōnāgintā sēstertiōs — nūllōs!" Ānulus ad digitum medium nōn —: digitus medius — magnus est. Sed ānulus convenit ad digitum — (IV), quī nōn — est quantus digitus —. Lȳdia laeta digitum suum — et cum Mēdō ā tabernā —. Lȳdia Mēdō viam —.

PENSVM C

Quid Albīnus vēndit?
Ā quō Aemilia ōrnāmenta accipit?
Ambulatne Mēdus cum dominō suō?
Ubi Mēdus et Lȳdia cōnsistunt?
Cūr Mēdus margarītās nōn emit?
Cūr Lȳdia nūllum ānulum habet?
Estne vacuus sacculus Mēdī?
Quot sēstertiīs cōnstat ānulus gemmātus?
Ad quem digitum ānulus convenit?



PASTOR ET OVES

1 Hic vir, quī in campō ambulat, pāstor Iūliī est. Pāstor nōn sōlus est in campō, nam canis niger cum eō est et centum ovēs: ūna ovis nigra et ūndēcentum ovēs albae. Pāstor ūnam ovem nigram et multās ovēs albās habet. Is est dominus ovis nigrae et ovium albārum. Pāstor ovī nigrae et ovibus albīs aquam et cibum dat. Cum ūnā ove nigrā et ūndēcentum ovibus albīs pāstor in campō est.

Cibus ovium est herba, quae in campō est. In rīvō est aqua. Ovēs in campō herbam edunt, et aquam bibunt ē rīvō, quī inter campum et silvam est. Canis herbam nōn ēst, neque pāstor herbam ēst. Cibus pāstōris est pānis, quī inest in saccō. Iūlius pāstōrī suō pānem dat. Pāstor canī suō cibum dat: canis ā pāstōre cibum accipit. Itaque canis pāstōrem amat.

ūn-dē-centum = IC (99)

albus -a -um ↔ niger -gra -grum

	sing	*plūr*
nōm	ovis	ovēs
acc	ovem	ovēs
gen	ovis	ovium
dat	ovī	ovibus
abl	ove	ovibus

rīvus = parvus fluvius

ēst edunt
vir pānem *ēst*
virī pānem *edunt*

	sing	*plūr*
nōm	pāstor	pāstōr*ēs*
acc	pāstōr*em*	pāstōr*ēs*
gen	pāstōr*is*	pāstōr*um*
dat	pāstōr*ī*	pāstōr*ibus*
abl	pāstōr*e*	pāstōr*ibus*

ūnus mōns (< monts)
duo mont*ēs*

vallis ↔ mōns

ūna arbor
duae arbor*ēs*

lupus

suprā *prp+acc*

nūbēs

ūna nūb*ēs*
duae nūb*ēs*

sub *prp+abl* ↔ suprā
umbra ↔ sōl

umbram petit = ad umbram adit

pāstor in umbrā iacet

ovēs albās relinquit = ab ovibus albīs abit

In Italiā sunt multī pāstōrēs. Quī viā Appiā Rōmā Brundisium it multōs pāstōrēs videt in campīs. Numerus pāstōrum magnus est. Dominī pāstōribus suīs cibum dant. Canēs ā pāstōribus cibum accipiunt.

Post campum montēs sunt. Inter montēs sunt vallēs. In campō est collis. (Collis est mōns parvus.) In colle arbor est. In silvā multae arborēs sunt. Ovēs nōn in silvā neque in monte, sed in campō sunt. In silvā est lupus. Pāstor et ovēs lupum timent, nam lupus ovēs ēst. In silvīs et in montibus lupī sunt, in vallibus nūllī sunt lupī.

Sōl in caelō est suprā campum. In caelō nūlla nūbēs vidētur. Caelum est suprā terram. Montēs et vallēs, campī silvaeque sunt in terrā. In caelō sōl et nūbēs sunt, sed suprā hunc campum caelum sine nūbibus est. Itaque sōl lūcet in campō.

Pāstor in sōle ambulat. Sub arbore autem umbra est. Pāstor, quī nūllam nūbem videt in caelō, cum cane et ovibus ad arborem adit. Pāstor umbram petit. Etiam ovēs umbram petunt: post pāstōrem ad arborem adeunt. Pāstor ovēs suās ad arborem dūcit.

Ecce pāstor in umbrā arboris iacet cum cane et ovibus. Arbor pāstōrī et canī et ovibus umbram dat; sed ovis nigra cum paucīs aliīs in sōle iacet. Pāstor, quī fessus est, oculōs claudit et dormit. Canis nōn dormit.

Dum pāstor in herbā dormit, ovis nigra ab ovibus albīs *II* abit et ad rīvum currit. Ovis nigra ovēs albās relinquit et rīvum petit; aquam bibit ē rīvō, et in silvam intrat!

Canis lātrat: "Baubau!" Pāstor oculōs aperit, ovēs aspicit, ovem nigram nōn videt. Pāstor ovēs numerat: "Ūna, duae, trēs, quattuor, quīnque..... ūndēcentum." Numerus ovium est ūndēcentum, nōn centum. Nūllae ovēs albae absunt, sed abest ovis nigra. Pāstor et canis ovēs albās relinquunt et silvam petunt. Pāstor saccum cum pāne in colle relinquit.

Dum cēterae ovēs ā pāstōre numerantur, ovis nigra in magnā silvā, ubi via nūlla est, errat. Ovis, quae iam procul ā pāstōre cēterīsque ovibus abest, neque caelum neque sōlem suprā sē videt. Sub arboribus sōl nōn lūcet. Ovis nigra in umbrā est.

vestīgium

In terrā inter arborēs sunt vestīgia lupī. Ubi est lupus ipse? Nōn procul abest. Ovis vestīgia lupī in terrā videt, neque lupum ipsum videt. Itaque ovis lupum nōn timet. Parva ovis sine timōre inter arborēs errat.

lup*us* ips*e*, *acc* lup*um* ips*um*

timor -ōris (*gen*) *m*
< timet

Lupus autem prope ovem est. Pāstor et canis procul ab eā sunt. Lupus, quī cibum nōn habet, per silvam errat. Lupus in silvā cibum quaerit, dum pāstor et canis ovem nigram quaerunt.

Pāstor: "Ubi est ovis nigra? Age! quaere ovem, canis, et reperī eam!" Canis ovem quaerit et vestīgia eius in terrā reperit, neque ovem ipsam reperit. Canis lātrat.

ovis ips*a*, *acc* ovem ips*am*

Pāstor: "Ecce vestīgia ovis. Ubi est ovis ipsa? Dūc mē ad eam, canis!" Canis dominum suum per silvam dūcit ad ovem, sed ovis procul abest.

dūcit dūcunt
dūc! dūcite! (*imp*)

Lupus ululat: "Uhū!" Et ovis et canis lupum audiunt.

dēns

ūnus dēns (< dents)
duo dentēs

ac-currit < ad-currit

prope ↔ procul

clāmor -ōris *(gen) m*
< clāmat

pāstor ovem in umerōs
im-pōnit (< in-pōnit)

dēclīnātiō -ōnis *f (dēcl)*
< dēclīnat

modus -ī *m*: modō *abl*

-a	*-ae*
-am	*-ās*
-ae	*-ārum*
-ae	*-īs*
-ā	*-īs*

Canis currit. Ovis cōnsistit et exspectat dum lupus venit. Ovis bālat: "Bābā!"

Ecce lupus quī ante ovem est! Iam ovis lupum ipsum ante sē videt. Oculī lupī in umbrā lūcent ut gemmae et dentēs ut margarītae. Parva ovis oculōs claudit et dentēs lupī exspectat. Lupus collum ovis petit dentibus...

Sed ecce canis accurrit! Lupus sē ab ove vertit ad canem, quī ante lupum cōnsistit et dentēs ostendit. Lupus ululat. Canis lātrat. Ovis bālat.

Pāstor, quī iam prope est, clāmat: "Pete lupum!" Canis clāmōrem pāstōris audit, et sine timōre lupum petit. Lupus autem ovem relinquit et montēs petit.

Pāstor quoque accurrit et ovem suam, quae in terrā iacet, aspicit. In collō eius sunt vestīgia dentium lupī! Ovis oculōs aperit et ad pāstōrem suum bālat.

Pāstor laetus ovem in umerōs impōnit eamque portat ad cēterās ovēs, quae sine pāstōre in campō errant.

Procul in monte lupus ululat.

GRAMMATICA LATINA

Dēclīnātiō vocābulōrum

[I] Dēclīnātiō prīma.

Vocābulum 'īnsula' dēclīnātur hōc modō:

	Singulāris	*Plūrālis*
Nōminātīvus	īnsul|*a*	īnsul|*ae*
Accūsātīvus	īnsul|*am*	īnsul|*ās*
Genetīvus	īnsul|*ae*	īnsul|*ārum*
Datīvus	īnsul|*ae*	īnsul|*īs*
Ablātīvus	īnsul|*ā*	īnsul|*īs*

Hōc modō dēclīnantur multa vocābula fēminīna. Exempla: fēmina, puella, fīlia, domina, ancilla, familia, littera, pecūnia, mēnsa, vīlla, aqua, via, silva, terra, cēt.

hōc modō : ut 'īnsula'

[II] Dēclīnātiō secunda.

	Sing.	*Plūr.*		*Sing.*	*Plūr.*		
Nōm. [A]	serv|*us*	serv|*ī*	[B]	verb|*um*	verb|*a*	*-us/-um*	*-ī/-a*
Acc.	serv|*um*	serv|*ōs*		verb|*um*	verb|*a*	*-um*	*-ōs/-a*
Gen.	serv|*ī*	serv|*ōrum*		verb|*ī*	verb|*ōrum*	*-ī*	*-ōrum*
Dat.	serv|*ō*	serv|*īs*		verb|*ō*	verb|*īs*	*-ō*	*-īs*
Abl.	serv|*ō*	serv|*īs*		verb|*ō*	verb|*īs*	*-ō*	*-īs*

[A] Ut 'servus' dēclīnantur vocābula masculīna: fīlius, dominus, fluvius, numerus, nummus, hortus, nāsus, mūrus, equus, saccus, umerus, amīcus, oculus, campus, rīvus, lupus, cēt.; puer, vir, liber (nōm. sing. sine *-us*).

[B] Ut 'verbum' dēclīnantur vocābula neutra: oppidum, exemplum, baculum, ōstium, cubiculum, speculum, mālum, ōrnāmentum, collum, pretium, caelum, vestīgium, cēt.

[III] Dēclīnātiō tertia.

	Sing.	*Plūr.*		*Sing.*	*Plūr.*		
Nōm. [A]	pāstor	pāstōr|*ēs*	[B]	ov|*is*	ov|*ēs*	*-/-is*	*-ēs*
Acc.	pāstōr|*em*	pāstōr|*ēs*		ov|*em*	ov|*ēs*	*-em*	*-ēs*
Gen.	pāstōr|*is*	pāstōr|*um*		ov|*is*	ov|*ium*	*-is*	*-um/-ium*
Dat.	pāstōr|*ī*	pāstōr|*ibus*		ov|*ī*	ov|*ibus*	*-ī*	*-ibus*
Abl.	pāstōr|*e*	pāstōr|*ibus*		ov|*e*	ov|*ibus*	*-e*	*-ibus*

[A] Ut 'pāstor' dēclīnantur haec vocābula: sōl sōlis, timor -ōris, clāmor -ōris (masc.); arbor -oris (fēm.); cēt.

[B] Ut 'ovis' dēclīnantur haec vocābula: pānis, collis, vallis, canis (gen. plūr. can*um*); nūbēs -is (nōm. sing. *-ēs*); mōns montis, dēns dentis (nōm. sing. *-s* < *-ts*); et alia multa. Fēminīna sunt: ovis, vallis, nūbēs; masculīna: pānis, collis, mōns, dēns.

PENSVM A

In Italiā sunt multī pāstōr–. Numerus pāstōr– magnus est. Pāstor Iūliī ūnum can– et multās ov– habet. Pāstor est domi-

Vocābula nova:
campus
pāstor
canis
ovis
cibus
herba
rīvus
pānis
mōns
vallis
collis
arbor
silva
lupus
sōl
caelum
terra
nūbēs
umbra
vestīgium
timor
dēns
clāmor
modus
niger
albus
ūndēcentum
ēst edunt
bibit
lūcet
petit
dūcit
iacet
relinquit
lātrat
errat
quaerit
reperit
ululat
bālat
accurrit
impōnit
ipse
procul
suprā
sub
dum
ut
dēclīnātiō
dēclīnat

nus can- et ov-. Can- et ov- pāstōr- amant. Cibus ov- est herba, cibus pāstōr- est pān-. Pāstor pān- ēst.

In coll- ūna arbor est. Pāstor cum can- et ov- ad arbor- it. Iam pāstor in umbrā arbor- iacet. Arbor pāstōr- et can- et ov- umbram dat, sed ov- nigra in sōl- iacet. Nūllae nūbante sōl- sunt. In silvā multae arbor- sunt, sub arbor- umbra est. Ov- nigra ā pāstōr- cēterīsque ov- discēdit. Canis ov- videt.

PENSVM B

Pāstor et centum — in — sunt. Pāstor ovibus aquam et — dat. Cibus ovium est —, cibus pāstōris est —. Pāstor pānem —. Ovēs herbam — et aquam — ē —.

Sōl —, nūlla — in caelō — hunc campum vidētur. In colle ūna — est, in — multae arborēs sunt. — arboribus umbra est. Pāstor ovēs suās ad arborem —. — pāstor in — arboris iacet, ovis nigra cēterās ovēs — et silvam —. In terrā sunt — lupī; lupus — nōn procul abest. Lupus in silvā cibum —, dum pāstor et — ovem quaerunt.

PENSVM C

Num pāstor sōlus in campō est?
Quot ovēs habet pāstor?
Ā quō canis cibum accipit?
Suntne montēs prope pāstōrem?
Ubi sunt vallēs?
Quid est collis?
Quō it pāstor?
Cūr pāstor umbram petit?
Quō it ovis nigra?
Quid ovis in terrā videt?
Cūr lupus ovem nigram nōn ēst?



avēs in āere volant

hominēs in terrā ambulant

piscēs in aquā natant

BESTIAE ET HOMINES

Equus et asinus, leō et lupus, canis et ovis bēstiae sunt. Leō et lupus sunt bēstiae ferae, quae aliās bēstiās capiunt et edunt. In Āfricā sunt multī leōnēs. Pāstōrēs Āfricae leōnēs timent, nam leōnēs nōn sōlum ovēs pāstōrum edunt, sed etiam pāstōrēs ipsōs! Nōn bēstia, sed homō est pāstor; leōnēs autem nōn sōlum aliās bēstiās, sed etiam hominēs edunt. Ferae et hominēs amīcī nōn sunt. Canis amīcus hominis est, ea bēstia fera nōn est.

Aliae bēstiae sunt avēs, aliae piscēs. Aquila est magna avis fera, quae parvās avēs capit et ēst. Avēs in āere volant. Piscēs in aquā natant. Hominēs in terrā ambulant. Avis duās ālās habet. Homō duōs pedēs habet. Piscis neque ālās neque pedēs habet. Avis quae volat ālās movet. Homō quī ambulat pedēs movet. Piscis quī natat caudam movet. Cum avis volat, ālae moventur. Cum homō ambulat, pedēs moventur. Cum piscis na-

leō *-ōnis m, pl* leōnēs -ōnum
ferus -a -um



homō *-inis m, pl* hominēs -inum
fera = bēstia fera

āēr āeris *m*

pēs *pedis m, pl* pedēs -um



quī ambulat vestīgia in terrā facit

pot-est pos-sunt

quod = quia

petasus



Mercurius

mercātor -ōris *m*
imperium = id quod imperātur
...enim = nam...: is enim = nam is
nūntius = is quī verba portat (inter hominēs)

Neptūnus

mare -is *n*, *pl* maria -ium
Rōmānī = hominēs Rōmānī
Graecī = hominēs Graecī

flūmen = fluvius

flūmen -inis *n*, *pl* -ina -inum

tat, cauda movētur. Quī ambulat vestīgia in terrā facit. Quī volat aut natat vestīgia nōn facit.

In hortō et in silvā multae avēs sunt. Canis avēs, quae inter arborēs volant, aspicit. Canis ipse nōn volat, nam canis ālās nōn habet. Canis volāre nōn potest. Neque pāstor volāre potest. Pāstor duōs pedēs habet, itaque pāstor ambulāre potest. Hominēs ambulāre possunt, quod pedēs habent, neque volāre possunt, quod ālās nōn habent.

Mercurius autem ut avis volāre potest, nam in pedibus et in petasō eius ālae sunt. Mercurius nōn homō, sed deus est. Mercurius est deus mercātōrum. (Mercātor est homō quī emit et vēndit.) Mercurius imperia deōrum ad hominēs portat, is enim nūntius deōrum est.

Piscēs neque volāre neque ambulāre possunt. Piscēs in aquā natāre possunt. Etiamne hominēs natāre possunt? Aliī hominēs natāre possunt, aliī nōn possunt. Mārcus et Quīntus natāre possunt, Iūlia nōn potest.

Neptūnus natāre potest; is enim deus maris est. (Ōceanus est magnum mare.) Mercurius et Neptūnus deī Rōmānī sunt. Rōmānī et Graecī deōs multōs habent. Hominēs deōs neque vidēre neque audīre possunt. Deī ab hominibus neque vidērī neque audīrī possunt. *II*

Padus magnum flūmen est. In eō flūmine multī sunt piscēs. Piscēs in aquā flūminis natant. In flūminibus et in maribus magnus numerus piscium est. Flūmina et maria plēna sunt piscium. Hominēs multōs piscēs capi-

unt. Nēmō piscēs flūminum et marium numerāre potest. Piscēs numerārī nōn possunt.

Piscēs in aquā vīvunt, neque in terrā vīvere possunt, nam piscēs in āere spīrāre nōn possunt. Homō sub aquā spīrāre nōn potest. Homō vīvit, dum spīrat. Quī spīrat vīvus est, quī nōn spīrat est mortuus. Homō mortuus neque vidēre neque audīre, neque ambulāre neque currere potest. Homō mortuus sē movēre nōn potest. Cum homō spīrat, anima in pulmōnēs intrat et rūrsus ex pulmōnibus exit. Anima est āēr quī in pulmōnēs dūcitur. Quī animam dūcit animal est. Nōn sōlum hominēs, sed etiam bēstiae animālia sunt. Alia animālia in terrā vīvunt, alia in marī.

Sine animā nēmō potest vīvere. Homō quī animam nōn dūcit vīvere nōn potest. Spīrāre necesse est hominī. Ēsse quoque hominī necesse est, nēmō enim sine cibō vīvere potest. Necesse est cibum habēre. Pecūniam habēre necesse est, nam quī pecūniam nōn habet cibum emere nōn potest. Sine pecūniā cibus emī nōn potest. Necesse nōn est gemmās habēre, nēmō enim gemmās ēsse potest. Gemmae edī nōn possunt; sed quī gemmās suās vēndit pecūniam facere et cibum emere potest. Mercātor quī ōrnāmenta vēndit magnam pecūniam facit. Fēminae quae pecūniam facere volunt ōrnāmenta sua vēndunt.

Avēs nīdōs faciunt in arboribus; nīdī eārum inter rāmōs et folia arborum sunt. Aquilae in montibus nīdōs

nēmō (< ne- + homō) = nūllus homō

vīvus -a -um = quī vīvit (v. est = vīvit)
mortuus -a -um ↔ vīvus



animam dūcere = spīrāre

animal -ālis *n*, *pl* -ālia -ālium
mare -is *n*, *abl* -ī

necesse est (+*dat*)

ēst edunt: *ēsse* (= edere)
nēmō enim = nam nēmō



facere -it -iunt
parere -it -iunt

pila

vult volunt:
Iūlia *vult* (= volt)
puerī *volunt*

capere -it -iunt
imp cape! capite!

canere = cantāre

vōx vōcis *f*

nōn audent : timent

occultāre ↔ ostendere

faciunt. In nīdīs sunt ōva. Avēs ōva pariunt, ex quibus parvī pullī exeunt. Canis nōn ōva, sed pullōs vīvōs parit. Fēminae līberōs pariunt. —

Mārcus et Quīntus et Iūlia in hortō sunt. Iūlia pilam *III* tenet et cum puerīs pilā lūdere vult, neque iī cum puellā lūdere volunt; puerī enim nīdōs quaerunt in arboribus. Itaque puella lūdit cum cane suā Margarītā.

Iūlia: "Cape pilam, Margarīta!"

Canis pilam capit et caudam movet. Puella laeta rīdet et canit. Puerī puellam canere audiunt.

Quīntus: "Audī: Iūlia vōcem pulchram habet."

Mārcus: "Vōx eius nōn pulchra est!"

Canis avem suprā sē volāre videt eamque capere vult, neque potest. Canis īrātus lātrat: "Baubau!" Eius vōx pulchra nōn est, canis canere nōn potest! Avēs canere possunt, piscēs nōn possunt: piscēs vōcēs nōn habent.

Cum aquila suprā hortum volat et cibum quaerit, parvae avēs canere nōn audent, et inter folia arborum sē occultant. Itaque aquila eās reperīre nōn potest. Neque avēs neque nīdī avium ab aquilā reperīrī possunt, quod rāmīs et foliīs occultantur.

Mārcus autem nīdum reperit et Quīntum vocat: "Venī, Quīnte! In hāc arbore nīdus est." Accurrit Quīntus.

Mārcus: "Age! Ascende in arborem, Quīnte!"

Quīntus in arborem ascendit; iam is suprā Mārcum in arbore est. Mārcus ipse in arborem ascendere nōn audet!

Mārcus interrogat: "Quot sunt ōva in nīdō?"

Quīntus: "Nūlla ōva, sed quattuor pullī.'

Nīdus est in parvō rāmō. Rāmus quī nīdum sustinet nōn crassus, sed tenuis est. Rāmus tenuis Quīntum sustinēre nōn potest, is enim puer crassus est. Ecce rāmus cum puerō et nīdō et pullīs ad terram cadit!

Mārcus Quīntum ad terram cadere videt. Rīdetne Mārcus? Nōn rīdet. Mārcus enim perterritus est. Iam Quīntus et pullī quattuor sub arbore iacent. Neque puer neque pullī sē movent. Pullī mortuī sunt. Quīntusne mortuus est? Nōn est. Quīntus enim spīrat. Quī spīrat mortuus esse nōn potest. Sed Mārcus eum spīrāre nōn videt, neque enim anima vidērī potest.

Quid facit Mārcus? Mārcus perterritus ad vīllam currit et magnā vōce clāmat: "Age! Venī, pater!"

Iūlius puerum vocāre audit et exit in hortum. Pater fīlium perterritum ad sē accurrere videt eumque interrogat: "Quid est, Mārce?"

Mārcus: "Quīntus...est...mortuus!"

Iūlius: "Quid? mortuus? Ō deī bonī!"

Pater, ipse perterritus, cum Mārcō ad Quīntum currit. Iūlia quoque accurrit cum cane suā. Quīntus oculōs aperit. Iūlius eum oculōs aperīre videt.

Iūlius: "Ecce oculōs aperit: ergō vīvus est."

Mārcus et Iūlia Quīntum vīvum esse vident. Puer autem ambulāre nōn potest, neque enim pedēs eum sustinēre possunt; ergō necesse est eum portāre.



crassus -a -um ↔ tenuis

est sunt: *esse*

neque enim = nōn enim

facere = agere

Mārcus perterritus est

lectus

Quīntus ā Iūliō in vīllam portātur et in lectō pōnitur.

Aemilia fīlium suum ā Iūliō portārī videt, et interrogat: "Cūr puer ipse ambulāre nōn potest?"

Iūlius: "Quīntus ambulāre nōn potest, quod nōn est avis neque ālās habet! Quī volāre vult neque potest, ad terram cadit!"

Aemilia Quīntum ā Iūliō in lectō pōnī aspicit.

Quīntus ā Iūliō portātur
Aemilia Quīntum ā Iūliō portārī videt

Quīntus in lectō pōnitur
Aemilia Quīntum in lectō pōnī aspicit

GRAMMATICA LATINA

Īnfīnītīvus

īnfīnītīvus - ī *m* (*inf*)

[A] Āctīvum.

Iūlius Mārcum nōn vidēre, sed audīre potest. Pater fīlium vocāre audit, et accurrere videt.

'Vocā|re', 'vidē|re', 'accurr|ere', 'audī|re' īnfīnītīvus est.

Īnfīnītīvus: *-re*.

vocāre
vidēre
accurrere
audīre

-re

[1] *-āre:* cantāre, pulsāre, plōrāre, interrogāre, verberāre, numerāre, salūtāre, imperāre, habitāre, amāre, dēlectāre, portāre, ambulāre, exspectāre, intrāre, ōrnāre, clāmāre, mōnstrāre, errāre, volāre, natāre, spīrāre; dare; cēt.

[1] *-āre*

[2] *-ēre:* rīdēre, vidēre, respondēre, habēre, tacēre, pārēre, timēre, tenēre, iacēre, movēre, cēt.

[2] *-ēre*

[3] *-ere:* pōnere, sūmere, discēdere, carpere, agere, vehere, claudere, vertere, currere, vēndere, emere, cōnsistere, ostendere, bibere, petere, dūcere, relinquere, quaerere, vīvere, lūdere, canere, ascendere, cadere; capere, facere, aspicere, accipere, parere; cēt.

[3] *-ere*

[4] *-īre:* venīre, audīre, dormīre, aperīre, reperīre; īre (ad-īre, ab-īre, ex-īre); cēt.

[4] *-īre*

Mēdus servus *esse* nōn vult. Nēmō gemmās *ēsse* potest.

'Es*se*' quoque et '*ē*sse' īnfīnītīvus est.

esse ēsse

[A] Passīvum.

Mārcus ā Iūliō nōn vidērī, sed audīrī potest. Mārcus Quīntum ā Iūliō portārī et in lectō pōnī videt.

portārī
vidērī
pōnī
audīrī

'Portā|*rī*', 'vidē|*rī*', 'pōn|*ī*', 'audī|*rī*' īnfīnītīvus passīvī est. Īnfīnītīvus passīvī: *-rī/-ī*. | *-rī/-ī*

[1] *-ārī:* portārī, numerārī, vocārī. | [1] *-ārī*

[2] *-ērī:* vidērī, tenērī. | [2] *-ērī*

[3] *-ī:* pōnī, emī, edī, claudī. | [3] *-ī*

[4] *-īrī:* audīrī, reperīrī, aperīrī. | [4] *-īrī*

Piscēs numer*ārī* nōn possunt. Syra rosam ā Iūliā ten*ērī* videt. Gemmae edī nōn possunt. Magnum ōstium ā parvā puellā neque aper*īrī* neque claudī potest. | = Syra Iūliam rosam tenēre videt
= parva puella magnum ōstium neque aperīre neque claudere potest

Dēclīnātiō tertia

'Avis' (*f*) et 'piscis' (*m*) dēclīnantur ut 'ovis'. Ut 'pāstor' dēclīnātur 'mercātor' (*m*).

'Leō' (*m*) et 'homō' (*m*) dēclīnantur hōc modō:

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
Nōm.	leō	leōn|*ēs*	homō	homin|*ēs*
Acc.	leōn|*em*	leōn|*ēs*	homin|*em*	homin|*ēs*
Gen.	leōn|*is*	leōn|*um*	homin|*is*	homin|*um*
Dat.	leōn|*ī*	leōn|*ibus*	homin|*ī*	homin|*ibus*
Abl.	leōn|*e*	leōn|*ibus*	homin|*e*	homin|*ibus*

leō < leōn

'Vōx' (*f*) et 'pēs' (*m*) dēclīnantur hōc modō:

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
Nōm.	vōx	vōc|*ēs*	pēs	ped|*ēs*
Acc.	vōc|*em*	vōc|*ēs*	ped|*em*	ped|*ēs*
Gen.	vōc|*is*	vōc|*um*	ped|*is*	ped|*um*
Dat.	vōc|*ī*	vōc|*ibus*	ped|*ī*	ped|*ibus*
Abl.	vōc|*e*	vōc|*ibus*	ped|*e*	ped|*ibus*

vōx < vōcs
pēs < pe*d*s

'Flūmen', 'mare', 'animal' (*n*): vidē cap. XI.

PENSVM A

Av– in āer– volant. Pisc– in aquā natant. Iūlia neque vol– neque nat– potest. Homō duōs ped– habet, itaque homō ambul– potest. Homō mortuus sē mov– nōn potest. Spīr– necesse est hominī, nam sine animā nēmō vīv– potest. Cum homō spīrat, anima in pulmōn– intrat et ex pulmōn– exit. Homō

Vocābula nova:
asinus
leō
bēstia
homō
fera
avis
piscis
aquila

āēr
āla
pēs
cauda
petasus
deus
mercātor
nūntius
mare
flūmen
anima
pulmō
animal
nīdus
rāmus
folium
ōvum
pullus
pila
vōx
lectus
ferus
vīvus
mortuus
crassus
tenuis
perterritus
capere
volāre
natāre
movēre
facere
vīvere
spīrāre
parere
lūdere
canere
audēre
occultāre
ascendere
sustinēre
cadere
potest possunt
vult volunt
necesse est
nēmō
cum
quod
enim
ergō
īnfīnītīvus

quī spīrat mortuus es– nōn potest. Homin– deōs vid– nōn possunt. Deī ab homin– vid– nōn possunt. Nēmō piscēs numer– potest. Piscēs numer– nōn possunt. Sine pecūniā cibus em– nōn potest.

Puerī Iūliam can– audiunt. Mārcus Quīntum ad terram cad– videt. Iūlius Mārcum clām– audit. Aemilia saccum ā Iūliō in mēnsā pōn– et aper– videt.

PENSVM B

Leō et aquila — sunt. Virī et fēminae — sunt. Mercurius nōn homō, sed — est. In aquā sunt —. In āere sunt —. Quid agunt piscēs et avēs? Piscēs in aquā —, avēs in āere —. Avis duās — habet, itaque avis volāre —. Avis quae volat ālās —. Cum homō ambulat, — moventur. Cum homō —, anima in — intrat. Homō quī spīrat — est, quī nōn spīrat — est. Nam sine animā — vīvere potest. Spīrāre hominī — est.

Iūlia — [= cantat]. Iūlia — pulchram habet. Puerī — quaerunt. Nīdī sunt inter — et folia arborum. In nīdīs avium sunt — aut pullī. Avēs nōn pullōs vīvōs, sed ōva —. Quīntus in arborem — et IV — videt in nīdō. Rāmus quī nīdum — tenuis est. Rāmus tenuis puerum — sustinēre nōn potest: Quīntus ad terram —. Mārcus eum cadere videt et — est.

PENSVM C

Num Neptūnus homō est?
Quis est Mercurius?
Quid agunt mercātōrēs?
Num necesse est margarītās habēre?
Quid est ōceanus Atlanticus?
Cūr aquila ā parvīs avibus timētur?
Ubi sunt nīdī avium?
Quid est in nīdīs?
Quae bēstiae ōva pariunt?
Quid agunt puerī in hortō?
Cūr rāmus Quīntum sustinēre nōn potest?



CORPVS HVMANVM



I Corpus hūmānum quattuor membra habet: duo bracchia et duo crūra. Bracchium membrum est et crūs membrum est. In bracchiō est manus, in crūre pēs. Duae manūs et duo pedēs in corpore hūmānō sunt.

In corpore ūnum caput est, nōn duo capita. In capite sunt oculī et aurēs, nāsus et ōs. Super caput capillus est. Capillus virōrum nōn tam longus est quam fēmināru m. Suprā oculōs frōns est. Īnfrā oculōs genae sunt. Post frontem est cerebrum. Quī cerebrum parvum habet stultus est. Ōs est inter duo labra. In ōre lingua et dentēs īnsunt. Dentēs sunt albī ut margarītae. Lingua et labra rubra sunt ut rosae.

Hominēs oculīs vident et auribus audiunt. Homō quī oculōs bonōs habet bene videt, quī oculōs malōs habet male videt. Quī aurēs bonās habet bene audit, quī aurēs malās habet male audit. Syra male audit, ea enim aurēs malās habet.

hūmānus -a -um < homō
corp*us* -*oris* *n*, *pl* -ora
-orum
crūs crūris *n*, *pl* crūra
-rum
ūna man*us*, duae man*ūs*

cap*ut* -*itis* *n*, *pl* capita
-itum
ōs ōris *n*, *pl* ōra -um
super *prp*+*acc* ↔ sub

frōns -ontis *f*
īnfrā *prp*+*acc* ↔ suprā

stultus -a -um

ruber -bra -brum

bene ↔ male

pectus -oris *n*

cor cordis *n*
sanguis -inis *m*
fluere
color -ōris *m*
iecur -oris *n*
venter -tris *m*
viscera -um *n pl*

cibum sūmere = ēsse

sānus -a -um ↔ aeger -gra -grum

sānāre = sānum facere



viscera hūmāna


pōculum

pōculum aquae = pōculum cum aquā
modo = tantum, sōlum

Caput est super collum. Sub collō est pectus. In pectore cor et pulmōnēs sunt. In corde est sanguis, quī per vēnās ad cor fluit. Color sanguinis est ruber. Īnfrā pulmōnēs est iecur et venter. In ventre cibus est. Cor, pulmōnēs, iecur, venter sunt viscera hūmāna.

Homō quī ventrem malum habet cibum sūmere nōn potest, neque is sānus, sed aeger est. Homō sānus ventrem bonum, pulmōnēs bonōs, cor bonum habet.

Medicus ad hominem aegrum venit eumque sānum facit. Medicus est vir quī hominēs aegrōs sānat, sed multī aegrī ā medicō sānārī nōn possunt.



Estne sānus Quīntus? Nōn est: pēs eius aeger est. Puer super lectum iacet. Aemilia et Syra apud puerum aegrum sunt. Māter apud eum sedet manumque eius tenet. Syra nōn sedet, sed apud lectum stat. Quīntus iacet. Aemilia sedet. Syra stat.

Aemilia: "Ecce mālum, Quīnte."

Aemilia puerō aegrō mālum rubrum dat, neque is mālum ēsse potest. Māter eī pōculum aquae dat.

Aemilia: "Bibe aquam modo!"

Māter caput Quīntī sustinet, dum puer aquam bibit.

Aemilia: "Iam dormī, Quīnte! Dormī bene!"

Māter manum pōnit in fronte fīliī: frontem eius tangit. Quīntus oculōs claudit atque dormit.

11 Iūlius, quī cum Syrō servō in ātriō est, imperat: "Ī ad oppidum, Syre, atque medicum arcesse!"

Medicus Tūsculī habitat. Iūlius servum suum Tūsculum īre iubet atque medicum arcessere. Syrus equum ascendit, ad oppidum it, medicum arcessit. Servus cum medicō ad vīllam revenit.

Medicus interrogat: "Quis aegrōtat?"

Iūlius: "Meus Quīntus fīlius aegrōtat; ambulāre nōn potest."

Medicus: "Cūr ambulāre nōn potest?"

Iūlius: "Quia pēs eius aeger est. Puer stultus est, medice: nīdum in arbore reperit, arborem ascendit, dē arbore cadit! Itaque pedem aegrum habet nec ambulāre potest. Nec modo pede, sed etiam capite aeger est."

Iūlius medicum ad cubiculum Quīntī dūcit. Medicus cubiculum intrat, ad lectum adit atque puerum aspicit. Quīntus quiētus super lectum iacet nec oculōs aperit. Medicus puerum dormīre videt.

Medicus dīcit: "Puer dormit."

Syra, quae male audit, id quod medicus dīcit audīre nōn potest; itaque interrogat: "Quid dīcit medicus?"

Aemilia (in aurem Syrae): "Medicus 'puerum dormīre' dīcit."

tangere

atque = et

iubēre = imperāre
equum ascendere = in equum ascendere

re-venīre = rūrsus venīre

aegrōtāre = aeger esse

dē *prp+abl* = ab [↓]

nec = neque

pede aeger est = pedem aegrum habet

cubiculum intrāre = in cubiculum intrāre
quiētus -a -um = quī sē nōn movet

dīcere

id quod medicus dīcit = verba medicī

ad-esse

verbum facere = verbum dīcere

spectāre = aspicere

ap-pōnere < ad-pōnere

sentīre

Quīntus oculōs aperit atque medicum adesse videt. Puer, quī medicum timet, nūllum verbum facere audet.

Medicus: "Ōs aperī, puer! Linguam ostende!"

Syra: "Quid dīcit medicus?"

Aemilia: "Medicus Quīntum ōs aperīre atque linguam ostendere iubet."

Quīntus ōs aperit atque medicō linguam ostendit. Medicus linguam eius rubram esse videt.

Medicus: "Lingua eius rubra est."

Syra: "Quid dīcit?"

Aemilia: "Dīcit 'linguam eius rubram esse'."

Medicus etiam dentēs Quīntī spectat et inter dentēs albōs ūnum nigrum videt. Nōn sānus est dēns quī colōrem nigrum habet.

Medicus: "Puer dentem aegrum habet."

Quīntus: "Sed dēns nōn dolet; ergō dēns aeger nōn est. Pēs dolet — et caput."

Syra: "Quid dīcunt?"

Aemilia: "Medicus dīcit 'Quīntum dentem aegrum habēre', et Quīntus dīcit 'pedem et caput dolēre, nōn dentem'."

Iūlius: "Nōn dentem, sed pedem modo sānā, medice!"

Medicus pedem Quīntī spectat atque digitum ad pedem appōnit: medicus pedem eius tangit. Puer digitum medicī in pede suō sentit.

Quīntus: "Ei, ei! Pēs dolet!"

III Medicus (ad Iūlium): "Tenē bracchium puerī!" (ad Aemiliam:) "Tenē pōculum sub bracchiō!" (ad Quīntum:) "Claude oculōs, puer!" Medicus Quīntum oculōs claudere iubet, quod puer cultrum medicī timet.

Ecce medicus cultrum ad bracchium puerī appōnit. Perterritus Quīntus cultrum medicī sentit in bracchiō, nec oculōs aperīre audet. Capillī horrent. Cor palpitat. Medicus vēnam aperit. Ruber sanguis dē bracchiō in pōculum fluit. Quīntus sanguinem dē bracchiō fluere sentit atque horret. Frōns et genae albae sunt ut līlia...

Medicus puerum oculōs aperīre iubet: "Aperī oculōs, puer!" neque Quīntus oculōs aperit. Puer quiētus super lectum iacet ut mortuus.

Syra: "Cūr Quīntus oculōs nōn aperit? — Ō deī bonī! Puer mortuus est!"

Quīntus autem spīrat, ergō mortuus nōn est. Sed Syra eum mortuum esse putat, quod eum spīrāre nōn audit. Iūlius et Aemilia fīlium suum quiētum spectant — atque tacent.

Medicus manum super pectus puerī impōnit eumque spīrāre et cor eius palpitāre sentit.

Medicus: "Puer spīrat et cor eius palpitat."

Aemilia gaudet quod fīlius vīvit.

Syra: "Quid dīcit medicus?"

Aemilia: "Medicus dīcit 'Quīntum spīrāre et cor eius palpitāre.' Ergō Quīntus vīvit."

Syra Quīntum vīvere gaudet.



culter -trī *m*



horrēre: capillī horrent = capillī stant

horrēre = perterritus esse

gaudēre = laetus esse

Syra Quīnt*um* vīv*ere* gaudet = Syra gaudet quod Quīntus vīvit

dē-tergēre

Aemilia sanguinem dē bracchiō fīliī dēterget. Iam puer oculōs aperit.

Quīntus: "Ei! Dolet bracchium!"

Māter fīlium vīvum esse videt et audit.

Aemilia imperat: "Aquam arcesse, Syra!" neque ancilla verba dominae audit.

Iūlius: "Domina tē aquam arcessere iubet, Syra!"

Syra abit, atque revenit cum aliō pōculō aquae plēnō. Aemilia pōculum tenet, dum Quīntus bibit.

Medicus: "Iam necesse est puerum dormīre."

horrēre = timēre

Exit medicus. Quīntus, quī medicum horret, eum

ab-esse

abesse gaudet.

noster -tra -trum = meus et tuus

Iūlius: "Iam fīlius noster nōn modo pede, sed etiam bracchiō aeger est."

Aemilia: "Ille medicus crassus fīlium nostrum sānāre

est potest
sunt possunt
esse *posse* (*inf*)

nōn potest." Aemilia nōn putat medicum puerum aegrum sānāre posse.

Syra: "Stultus est medicus! Neque cor neque cerebrum habet!"

Syra 'medicum stultum esse' dīcit. Iūlius et Aemilia eum stultum esse putant, nōn dīcunt.

GRAMMATICA LATINA

Dēclīnātiō tertia

[A/B] Masculīnum et fēminīnum.

Vocābula masculīna: pāstor, mercātor, clāmor, timor, color, sōl, āēr, venter, leō, pulmō, homō, pēs, sanguis; pānis, collis, piscis, mōns, dēns, cēt.

Vocābula fēminīna: ovis, vallis, avis, auris, nūbēs, frōns; arbor, vōx, praepositiō, dēclīnātiō, cēt.

[C] Neutrum.

Vocābula neutra: flūmen, ōs, crūs, corpus, pectus, iecur, caput, cor; viscera (*pl*); mare, animal, cēt.

Plūrālis: *-a*. Accūsātīvus = nōminātīvus.

neutrum: acc. = nōm.

'Corpus' et 'flūmen' dēclīnantur hōc modō:

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*		
Nōm.	corpus	corpor|*a*	flūmen	flūmin|*a*	-	*-a*
Acc.	corpus	corpor|*a*	flūmen	flūmin|*a*	-	*-a*
Gen.	corpor|*is*	corpor|*um*	flūmin|*is*	flūmin|*um*	*-is*	*-um*
Dat.	corpor|*ī*	corpor|*ibus*	flūmin|*ī*	flūmin|*ibus*	*-ī*	*-ibus*
Abl.	corpor|*e*	corpor|*ibus*	flūmin|*e*	flūmin|*ibus*	*-e*	*-ibus*

Ut 'corpus' dēclīnantur: pectus -or|is, ōs ōr|is, crūs crūr|is, iecur -or|is (cor cord|is, caput -it|is); plūrālis: viscer|a -um.

'Mare' et 'animal' hōc modō dēclīnantur:

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*		
Nōm.	mar|*e*	mar|*ia*	animal	animāl|*ia*	*-e/-*	*-ia*
Acc.	mar|*e*	mar|*ia*	animal	animāl|*ia*	*-e/-*	*-ia*
Gen.	mar|*is*	mar|*ium*	animāl|*is*	animāl|*ium*	*-is*	*-ium*
Dat.	mar|*ī*	mar|*ibus*	animāl|*ī*	animāl|*ibus*	*-ī*	*-ibus*
Abl.	mar|*ī*	mar|*ibus*	animāl|*ī*	animāl|*ibus*	*-ī*	*-ibus*

Accūsātīvus cum īnfīnītīvō

Iūlia dormit. Syra Iūli*am* dormīre videt.

Iūli*a* dormi*t*
Iūli*am* dormīre

Syra: "Iūlia dormit." Syra 'Iūli*am* dormīre' dīcit.

'Iūliam dormīre' est accūsātīvus cum īnfīnītīvō. Accūsātīvus cum īnfīnītīvō pōnitur apud multa verba:

[1] *vidēre, audīre, sentīre:* Puer medicu*m* ade*sse* videt. Puerī Iūli*am* cane*re* audiunt. Medicus puer*um* spīrā*re* sentit.

Vocābula nova:
corpus
membrum
bracchium
crūs
manus
caput
auris

[2] *iubēre:* Dominus servu*m* discēde*re* iubet.

[3] *dīcere:* Quīntus 'pede*m* dolē*re*' dīcit.

[4] *putāre:* Syra Quīntu*m* mortuu*m esse* putat.

[5] *gaudēre:* Aemilia fīliu*m* vīve*re* gaudet.

[6] *necesse esse:* Puer*um* dormī*re* necesse est.

ōs
capillus
frōns
gena
cerebrum
labrum
lingua
pectus
cor
sanguis
vēna
color
iecur
venter
viscera
medicus
pōculum
culter
hūmānus
stultus
ruber
sānus
aeger
noster
bene
male
fluere
sānāre
sedēre
stāre
tangere
arcessere
iubēre
revenīre
aegrōtāre
dīcere
spectāre
dolēre
appōnere
sentīre
horrēre
palpitāre
putāre
gaudēre
dētergēre
posse
modo
super
īnfrā
dē
atque
nec

PENSVM A

Membra corpor– hūmānī sunt duo bracchia et duo crūr–. In corpor– hūmānō ūn– caput est, nōn duo capit–. In capit– sunt duae aur– et ūn– ōs. In ōr– sunt dent–. In pector– ūn– cor et duo pulmōn– sunt.

Medicus Quīnt– super lectum iac– videt; medicus puer– dorm– videt. Medicus: "Quīnt– dorm–." Medicus 'Quīnt– dorm–' dīcit. Medicus puer– linguam ostend– iubet, et 'lingu– eius rubr– es–' dīcit. Puer dīcit 'ped– et caput dol–.' Medicus Aemili– pōculum ten– iubet. Syra Quīnt– spīr– nōn audit, itaque Syra e– mortu– es– putat. Sed Quīnt– vīv–. Māter fīli– vīv– gaudet. Necesse est puer– aegr– dorm–.

PENSVM B

— hūmānum habet quattuor —: duo — et duo —. In bracchiīs duae — sunt, in crūribus duo —. Super collum est —. In capite sunt duo oculī, duae —, ūnus nāsus, ūnum —. In ōre sunt dentēs et —. Sub collō est —. In pectore sunt pulmōnēs et —. In corde et in vēnīs — est. Sanguis per — ad cor —.

Aemilia apud lectum Quīntī —, Syra apud lectum —. Quīntus nōn —, sed aeger est. Syrus medicum ex oppidō —. Medicus digitum ad pedem puerī —: medicus pedem eius —. Quīntus, quī digitum medicī in pede —: "Ei! Pēs —!"

PENSVM C

Quae sunt membra corporis hūmānī?
Ubi est cerebrum?
Quid est in pectore?
Ubi est venter?
Cūr Quīntus cibum sūmere nōn potest?
Estne Quīntus sōlus in cubiculō suō?
Unde medicus arcessitur?
Quid videt medicus in ōre Quīntī?
Quid Quīntus in bracchiō sentit?
Cūr Syra Quīntum mortuum esse putat?



MILES ROMANVS



arma Rōmāna

1 Quīntus est frāter Mārcī. Iūlia soror eius est. Mārcus et Quīntus frātrēs Iūliae sunt. Mārcus patrem et mātrem, frātrem et sorōrem habet. Nōmen patris est 'Iūlius', mātris 'Aemilia'; 'Quīntus' est nōmen frātris, 'Iūlia' so-
5 rōris.

frāter -tris *m*
soror -ōris *f*
pater -tris *m*
māter -tris *f*
nōmen -inis *n*

Mārcō ūna soror est. Iūliae duo frātrēs sunt. Nōmina frātrum sunt 'Mārcus' et 'Quīntus'. Patrī et mātrī ūna fīlia et duo fīliī sunt.

Mārcō (*dat*) ūna soror est = Mārcus ūnam sorōrem habet

Mātrī 'Aemilia' nōmen est. Quod nōmen est patrī? Eī
10 nōmen est 'Lūcius Iūlius Balbus'. Virō Rōmānō tria nōmina sunt. 'Lūcius' est praenōmen, id est nōmen prīmum; 'Balbus' cognōmen est. Fīliīs nōmina sunt 'Mārcus Iūlius Balbus' et 'Quīntus Iūlius Balbus'. 'Mārcus'

prae-nōmen -inis *n*

cognōmen -inis *n*

praenōmina Latīna:
A. = Aulus
C. = Gāius
D. = Decimus
L. = Lūcius
M. = Mārcus
P. = Pūblius
Q. = Quīntus
Sex. = Sextus
T. = Titus

et 'Quīntus' praenōmina sunt fīliōrum. Alia praenōmina Latīna sunt 'Aulus', 'Decimus', 'Gāius', 'Pūblius', 'Sextus', 'Titus'.

Aemiliae est ūnus frāter, cui 'Aemilius' nōmen est (praenōmen 'Pūblius', cognōmen 'Paulus'). Frāter Aemiliae est avunculus līberōrum. Aemilius autem procul ā sorōre suā abest. Itaque trīstis est Aemilia, quae frātrem suum amat.

avunculus -ī *m* = frāter mātris

trīstis ↔ laetus

Mārcus et Iūlia mātrem suam trīstem in hortum exīre vident et patrem interrogant: "Cūr māter nostra trīstis est?"

Iūlius: "Māter vestra trīstis est, quod Aemilius procul ab eā abest. Aemilius avunculus vester est, id est frāter mātris. Māter trīstis est, quod frātrem suum vidēre nōn potest."

vester -tra -trum (= tuus et tuus)

Mārcus: "Ubi est avunculus noster?"

Iūlius: "Avunculus vester est in Germāniā. Aemilius mīles est. In Germāniā multī sunt mīlitēs Rōmānī."

mīles -itis *m*

Iūlia: "Quid est mīles?"

Iūlius: "Mīles est vir quī scūtum et gladium et pīlum fert. Scūtum et gladius et pīlum sunt arma mīlitis Rōmānī. Mīles est vir armātus."

fert = portat
fert ferunt
armātus -a -um = quī arma fert

Iūlia: "Quid agunt mīlitēs Rōmānī in Germāniā?" *II*

Iūlius: "Mīlitēs nostrī in Germāniā pugnant."

Iūlia: "Meī quoque frātrēs pugnant."

pugnus -ī *m*

Iūlius: "Puerī pugnīs, nōn armīs pugnant. Mīlitēs pugnant gladiīs, pīlīs, hastīs."

Mārcus: "Num Aemilius et hastam et pīlum fert?"

Iūlius: "Aemilius pīlum tantum fert, is enim pedes est, nōn eques. Eques est mīles quī ex equō pugnat; quī pedibus pugnat pedes est. Equitēs hastās, peditēs pīla ferunt. Pīlum nōn tam longum est quam hasta, neque gladius peditis tam longus est quam gladius equitis. Pīlum Aemiliī sex pedēs longum est."

Mārcus: "Quam longus est gladius eius?"

Iūlius: "Duōs pedēs longus est."

Mārcus: "Duōs pedēs tantum? Cūr tam brevis est gladius?"

Iūlius: "Quod gladius brevis nōn tam gravis est quam gladius longus. Gladius equitis longior et gravior est quam peditis. Pedes, quī pedibus it multaque alia arma fert, gladium longum et gravem ferre nōn potest; itaque gladius eius brevis et levis est — brevior et levior quam is quī ab equite fertur. Etiam gladiī quī ā Germānīs feruntur longiōrēs et graviōrēs sunt quam Rōmānōrum ac pīla eōrum longiōra et graviōra quam nostra sunt."

Iūlia: "Quī sunt Germānī?"

Iūlius: "Germānī sunt hominēs barbarī quī Germāniam incolunt. Germānia est magna terra nōn procul ā Galliā; Gallia autem prōvincia Rōmāna est, ut Hispānia, Syria, Aegyptus. Prōvincia est pars imperiī Rōmānī, ut membrum pars corporis est; Rōma enim caput imperiī est, prōvinciae membra sunt. Germānia nōn est prōvincia Rōmāna. Flūmen Rhēnus Germāniam ā Galliā prō-

pedes -itis *m*

eques -itis *m*

I pēs
[= *29,6 cm*]

brevis ↔ longus

gladius brevis nōn tam gravis est quam gladius longus

ferre (*īnf*) = portāre

levis ↔ gravis

fertur feruntur

Germānī -ōrum *m pl*

ac = atque
atque ante *a,e,i,o,u,h*
ac/atque ante cēterās litterās

barbarus -a -um = nec Rōmānus nec Graecus

incolere: terram i. = in terrā habitāre

pars (< parts) partis *f*

dīvidere

patria -ae *f*: p. nostra = terra/oppidum patrum nostrōrum

contrā *prp+acc*

pārēre/imperāre + *dat*

hostis -is *m* ↔ amīcus
bellum -ī *n*

op-pugnāre = pugnāre contrā

exercitus -ūs *m*:

sing	*nōm*	exercit*us*
	acc	exercit*um*
	gen	exercit*ūs*
	dat	exercit*uī*
	abl	exercit*ū*

dux ducis *m*
metuere = timēre

plūr	*nōm*	exercit*ūs*
	acc	exercit*ūs*
	gen	exercit*uum*
	dat	exercit*ibus*
	abl	exercit*ibus*

Hispānī -ōrum *m pl*
Gallī -ōrum *m pl*

mīlitāre = mīles esse



castra -ōrum *n pl* (vocābulum *plūrāle tantum*)

vinciā dīvidit. Rhēnus ac Dānuvius flūmina, quae Germāniam ab imperiō Rōmānō dīvidunt, fīnēs imperiī nostrī sunt. Germānia est patria Germānōrum, ut Rōma nostra patria est."

Iūlia: "Cūr mīlitēs Rōmānī contrā Germānōs pugnant? Suntne Germānī hominēs improbī?"

Iūlius: "Mīlitēs nostrī contrā Germānōs pugnant, quod Germānī amīcī Rōmānōrum nōn sunt nec Rōmānīs pārent. Germānī hostēs Rōmānōrum sunt, ac bellum est inter Germānōs et Rōmānōs. Germānī exercitum nostrum oppugnant."

Iūlia: "Quid est 'exercitus'?"

Iūlius: "Exercitus est magnus numerus mīlitum quī contrā hostēs dūcitur. Quī exercitum dūcit dux exercitūs est. Dux exercituī imperat, exercitus ducī suō pāret, nam dux ab exercitū metuitur.

"In Germāniā et in Britanniā sunt magnī exercitūs Rōmānī quī contrā exercitūs hostium pugnant. Mīlitēs et ducēs exercituum Rōmānōrum ab hostibus metuuntur. In Hispāniā et in Galliā nōn multī sunt mīlitēs Rōmānī, nam Hispānī et Gallī, quī eās prōvinciās incolunt, iam exercitibus nostrīs pārent. In exercitibus Rōmānīs etiam Hispānī et Gallī multī mīlitant, quī et alia arma et arcūs sagittāsque ferunt."

Iūlia: "Ubi habitat Aemilius?" *III*

Iūlius: "Aemilius in castrīs habitat mīlle passūs ā fīne imperiī. Castra sunt mīlitum oppidum."



castra Rōmāna



vāllum -ī *n*

fossa -ae *f*

Mārcus: "Quam longus est passus?"

Iūlius: "Ūnus passus est quīnque pedēs, ergō mīlle passūs sunt quīnque mīlia pedum. In castrīs Aemiliī sex mīlia mīlitum habitant. Nūllae fēminae aut puerī illīc habitant, nec enim fēminae puerīque mīlitāre possunt. Circum castra fossa et vāllum longum et altum est."

Mārcus: "Quam altum est vāllum castrōrum."

Iūlius: "Prope decem pedēs altum est, et duo mīlia passuum longum. Quattuor portae per vāllum in castra dūcunt. Inter duās portās est via lāta, quae castra in duās partēs dīvidit; ea via centum pedēs lāta est.

"In bellō portae castrōrum clauduntur. Cum exercitus Germānōrum castra oppugnat, Rōmānī castra dēfendunt: vāllum ascendunt ac pīla in Germānōs iaciunt. Illī autem nec pīla in castra iacere possunt, quod fossa nimis lāta et vāllum nimis altum est, nec vāllum ascendere, quod Rōmānī pīlīs et gladiīs vāllum dēfendunt. Hostēs castra nostra expugnāre nōn possunt.

"Ecce portae aperiuntur atque equitātus noster in hostēs impetum facit. Barbarī perterritī, quī impetum equitātūs sustinēre nōn possunt, arma ad terram iaciunt atque in magnās silvās fugiunt.

passus -ūs *m*: I passus = V pedēs *[1,48 m]*

mīlia -ium *n pl* (+ *gen pl*): mīlle (M) hominēs; duo *mīlia* (MM/Īī) homin*um*
puerī = puerī et puellae

altus -a -um

lātus -a -um

in bellō = cum bellum est
dēfendere ↔ oppugnāre

iacere -it -iunt
in (+ *acc*) = contrā

ex-pugnāre
equitātus -ūs *m* = equitum numerus (pars exercitūs)
impetus -ūs *m*: impetum facere in hostem = hostem armīs petere, oppugnāre
fugere -it -iunt

metus -ūs *m* = timor



impetus hostium

"Mīles Rōmānus, quī hostem armātum accurrere videt, nōn ab eō fugit, sed armīs sē dēfendit. Mīlitēs Rōmānī fortēs sunt. Mīles fortis hostem nōn metuit, sed sine metū impetum in hostem facit. Aemilius, avunculus vester, mīles fortis est.

"Circum imperium Rōmānum multī sunt hostēs. Castra et oppida nostra ab hostibus oppugnantur neque expugnantur, nam mīlitēs nostrī prōvinciās ac patriam nostram ā Germānīs et ab aliīs hostibus dēfendunt."

Mārcus: "Etiam Germānī suam patriam dēfendunt."

Iūlius: "Sed patria nostra pulchrior est quam illōrum! Atque Germānī hominēs barbarī sunt."

Mārcus: "Nōnne fortēs sunt Germānī?"

Iūlius: "Fortēs sunt illī, sed Rōmānī fortiōrēs sunt, nec arma Germānōrum tam bona sunt quam nostra. Scūtum eōrum nimis parvum est, pīlum nimis longum et grave; nec enim pīlum tam grave procul iacī potest. Itaque pīlum nostrum breve et leve est — brevius et levius quam pīlum Germānōrum. Mīlitēs Rōmānī bene pugnant, quod pīla eōrum brevia et levia sunt, nōn longa et gravia ut Germānōrum. Patria nostra bonīs armīs dēfenditur. Nūllus hostis Rōmam expugnāre potest."

Mārcus: "Cūr Rōmānī Germāniam nōn expugnant?"

Iūlius: "Germānia nōn sōlum armīs dēfenditur, sed etiam altīs montibus, magnīs silvīs atque lātīs et altīs flūminibus."

GRAMMATICA LATINA

Dēclīnātiō quārta

'Exercitus' (*m*) dēclīnātur hōc modō (vidē exempla in versibus 80–89 huius capitulī):

	Singulāris	*Plūrālis*
Nōminātīvus	exercit|*us*	exercit|*ūs*
Accūsātīvus	exercit|*um*	exercit|*ūs*
Genetīvus	exercit|*ūs*	exercit|*uum*
Datīvus	exercit|*uī*	exercit|*ibus*
Ablātīvus	exercit|*ū*	exercit|*ibus*

Ut 'exercitus' dēclīnantur masculīna: arcus, passus, equitātus, impetus, metus, versus, cēt.; fēminīnum: manus.

versus -ūs *m*: cap. XII 142 versūs habet

-us *-ūs*
-um *-ūs*
-ūs *-uum*
-uī *-ibus*
-ū *-ibus*

Adiectīvum

[I/II] Dēclīnātiō prīma et secunda.

Mōns alt*us*. Arbor alt*a*. Vāllum alt*um*.

'Alt|*us -a -um*' est adiectīvum prīmae et secundae dēclīnātiōnis. Masculīnum 'alt*us*' dēclīnātur ut 'servus', fēminīnum 'alt*a*' ut 'fēmina', neutrum 'alt*um*' ut 'oppidum'.

ad-iectīvum -ī *n* (*adi*)

alt*us*
alt*a*
alt*um*

	Singulāris			*Plūrālis*		
	Masc.	Fēm.	Neutr.	Masc.	Fēm.	Neutr.
Nōm.	alt|*us*	alt|*a*	alt|*um*	alt|*ī*	alt|*ae*	alt|*a*
Acc.	alt|*um*	alt|*am*	alt|*um*	alt|*ōs*	alt|*ās*	alt|*a*
Gen.	alt|*ī*	alt|*ae*	alt|*ī*	alt|*ōrum*	alt|*ārum*	alt|*ōrum*
Dat.	alt|*ō*	alt|*ae*	alt|*ō*	alt|*īs*	alt|*īs*	alt|*īs*
Abl.	alt|*ō*	alt|*ā*	alt|*ō*	alt|*īs*	alt|*īs*	alt|*īs*

-us *-a* *-um*
-um *-am* *-um*
-ī *-ae* *-ī*
-ō *-ae* *-ō*
-ō *-ā* *-ō*
-ī *-ae* *-a*
-ōs *-ās* *-a*
-ōrum *-ārum* *-ōrum*
-īs *-īs* *-īs*
-īs *-īs* *-īs*

Hōc modō dēclīnantur haec adiectīva: albus, bonus, fessus, foedus, īrātus, laetus, lātus, longus, magnus, malus, meus, novus, plēnus, prīmus, sānus, tuus, cēt.; (-er -ra -rum:) pulcher, aeger, niger, ruber, noster, vester, cēt.

-er *-ra* *-rum*

[III] Dēclīnātiō tertia.

Gladius brev*is*. Via brev*is*. Pīlum brev*e*.

'Brev*is* -*e*' est adiectīvum tertiae dēclīnātiōnis. Masculīnum et fēminīnum 'brev*is*' dēclīnātur ut 'ovis' (sed abl. sing. -*ī*), neutrum 'brev*e*' ut 'mare'.

brev*is*
brev*e*

dēcl. III: fēm. = masc.

	Singulāris		*Plūrālis*	
	Masc./Fēm.	*Neutr.*	*Masc./Fēm.*	*Neutr.*
Nōm.	brev|*is*	brev|*e*	brev|*ēs*	brev|*ia*
Acc.	brev|*em*	brev|*e*	brev|*ēs*	brev|*ia*
Gen.	brev|*is*	brev|*is*	brev|*ium*	brev|*ium*
Dat.	brev|*ī*	brev|*ī*	brev|*ibus*	brev|*ibus*
Abl.	brev|*ī*	brev|*ī*	brev|*ibus*	brev|*ibus*

-is -e -ēs -ia
-em -e -ēs -ia
-is -is -ium -ium
-ī -ī -ibus -ibus
-ī -ī -ibus -ibus

Hōc modō dēclīnantur haec adiectīva: brevis, fortis, gravis, levis, tenuis, trīstis, cēt.

Exempla:

Pedes fort*is* Rōmān*us* gladium brev*em* et lev*em*, scūtum magn*um* et grav*e* fert; eques hastam fert long*am* et grav*em*. Peditī fortī Rōmānō est gladius brev*is* et lev*is*, scūtum magn*um* et grav*e*; equitī hasta long*a* et grav*is* est. Pedes gladiō brevī et levī, scūtō magnō et gravī armātus est; eques hastā longā et gravī pugnat.

Peditēs fortēs Rōmānī gladiōs brevēs et levēs, scūta magn*a* et grav*ia* ferunt; equitēs hastās ferunt longās et gravēs. Peditibus fort*ibus* Rōmānīs sunt gladiī brevēs et levēs, scūta magn*a* et grav*ia*; equitibus hastae long*ae* et gravēs sunt. Peditēs gladiīs brev*ibus* et lev*ibus*, scūtīs magnīs et grav*ibus* armātī sunt; equitēs hastīs longīs et gravībus pugnant.

comparātīvus (*comp*)

Comparātīvus

Hic mūrus alt*ior* est quam ille.

Hoc vāllum alt*ius* est quam illud.

alt*ior*
alt*ius*

'Alt*ior -ius*' comparātīvus est. Comparātīvus est adiectīvum dēclīnātiōnis tertiae:

	Singulāris:		*Plūrālis:*	
	Masc./Fēm.	*Neutr.*	*Masc./Fēm.*	*Neutr.*
Nōm.	alt*ior*	alt*ius*	alt*iōr*|*ēs*	alt*iōr*|*a*
Acc.	alt*iōr*|*em*	alt*ius*	alt*iōr*|*ēs*	alt*iōr*|*a*
Gen.	alt*iōr*|*is*	alt*iōr*|*is*	alt*iōr*|*um*	alt*iōr*|*um*
Dat.	alt*iōr*|*ī*	alt*iōr*|*ī*	alt*iōr*|*ibus*	alt*iōr*|*ibus*
Abl.	alt*iōr*|*e*	alt*iōr*|*e*	alt*iōr*|*ibus*	alt*iōr*|*ibus*

-ior -ius
-iōrem -ius
-iōris -iōris
-iōrī -iōrī
-iōre -iōre
-iōrēs -iōra
-iōrēs -iōra
-iōrum -iōrum
-iōribus -iōribus
-iōribus -iōribus

Exempla: brevior, fortior, gravior, levior, longior, pulchrior.

Gladius equitis long*ior* et grav*ior* est quam peditis. Eques gladium long*iōrem* et grav*iōrem* fert quam pedes. Eques gladiō long*iōre* et grav*iōre* pugnat.

Gladiī equitum long*iōrēs* et grav*iōrēs* sunt quam peditum. Equitēs gladiīs long*iōribus* et grav*iōribus* pugnant.

Pīlum brev*ius* et lev*ius* est quam hasta. Pīla brev*iōra* et lev*iōra* sunt quam hastae.

Dēlia ancilla pulchr*ior* est quam Syra. Lēander, quī ancillae pulchr*iōris* amīcus est, ancillae pulchr*iōrī* rosam dat. Quid pulchr*ius* est quam rosa?

Mīlitēs Rōmānī fort*iōrēs* sunt quam hostēs. Dux Rōmānus mīlitibus fort*iōribus* imperat quam dux hostium. Ille dux mīlitum fort*iōrum* est.

PENSVM A

Pīlum ē man– iacitur, sagitta ex arc–. In exercit– Rōmānīs multī Gallī mīlitant, quī arc– ferunt. Equitāt– sine met– impet– in hostēs facit, neque hostēs impet– equitāt– sustinēre possunt. Mīlle pass– sunt quīnque mīlia pedum. Via Latīna CL [150: centum quīnquāgintā] mīlia pass– long– est.

Rāmus tenu– puerum crass– sustinēre nōn potest, nam puer crass– grav– est. Ūnum mālum grav– nōn est, nec duo māla grav– sunt, sed saccus plēn– mālōrum grav– est. Lēander saccum magn– et grav– portat. In saccō grav– sunt māla. Servī saccōs grav– portant. In saccīs grav– sunt māla et pira.

Saccus Lēandrī grav– est quam Syrī, nam māla grav– sunt quam pira. Via Appia long– est quam via Latīna. Via Appia et via Aurēlia long– sunt quam via Latīna. Quīntus crass– est quam Mārcus. Lēander saccum grav– quam Syrus portat. In saccō grav– māla sunt.

Hoc pīlum long– et grav– est quam illud. Haec pīla long– et grav– sunt quam illa.

Vocābula nova:
frāter
soror
nōmen
praenōmen
cognōmen
avunculus
mīles
scūtum
gladius
pīlum
arma
arcus
sagitta
pugnus
hasta
pedes
eques
pars
fīnis
patria
hostis
bellum
exercitus
dux
castra
passus
fossa
vāllum

equitātus
impetus
metus
versus
mīlia
trīstis
armātus
brevis
gravis
levis
barbarus
altus
lātus
fortis
vester
ferre
pugnāre
incolere
dīvidere
oppugnāre
metuere
mīlitāre
dēfendere
iacere
expugnāre
fugere
contrā
ac
adiectīvum
comparātīvus

PENSVM B

Mārcus — Quīntī est. Quīntus ūnum frātrem et ūnam — habet. 'Iūlia' — sorōris est. Frāter Aemiliae est — līberōrum. Quīntus: "Ubi est avunculus noster?" Iūlius: "Avunculus — est in Germāniā."

Prōvincia est — imperiī Rōmānī. Rhēnus Germāniam ab imperiō Rōmānō —; Rhēnus — imperiī est. In Germāniā multī — Rōmānī sunt, quī contrā Germānōs —; Germānī enim — Rōmānōrum sunt. Mīlitēs Rōmānī scūta et — et pīla —. Mīlitēs in — habitant. Circum castra est — et —, quod x pedēs — est. Mīlitēs patriam ab hostibus —.

PENSVM C

Num 'Mārcus' cognōmen est?
Quot frātrēs habet Aemilia?
Quid agit Aemilius in Germāniā?
Quae arma pedes Rōmānus fert?
Quam longum est pīlum Aemiliī?
Ubi habitant mīlitēs Rōmānī?
Quī sunt Germānī et Gallī?
Estne Germānia prōvincia Rōmāna?
Quod flūmen Germāniam ā Galliā dīvidit?
Cūr hostēs castra expugnāre nōn possunt?
Num mīles fortis ab hoste fugit?
Cūr hasta procul iacī nōn potest?



ANNVS ET MENSES

I Annus in duodecim mēnsēs dīviditur, quibus haec sunt nōmina: Iānuārius, mēnsis prīmus; Februārius, secundus; Mārtius, tertius; Aprīlis, quārtus; Māius, quīntus; Iūnius, sextus; Iūlius, septimus; Augustus, octāvus; September, nōnus; Octōber, decimus; November, ūndecimus; December, mēnsis duodecimus ac postrēmus.

Ūnus annus duodecim mēnsēs vel trecentōs sexāgintā quīnque diēs habet. Saeculum est centum annī. Centum annī vel saeculum est longum tempus. Duo saecula sunt ducentī annī. Homō sānus nōnāgintā vel etiam centum annōs vīvere potest; ducentōs annōs vīvere nēmō potest.

Mēnsī prīmō et mēnsī tertiō ā deīs nōmina sunt: Iānuāriō ā deō Iānō, Mārtiō ā deō Mārte. Iānus et Mārs sunt deī Rōmānī. Iānus est deus cui duae faciēs sunt. Mārs deus bellī est.

Mēnsis September nōmināt ur ā numerō *septem*, Octōber, November, December ab *octō, novem, decem*. Nam

kalendārium -ī *n*

Iān. Capricornus
Febr Aquārius
Mārt. Piscēs
Apr. Ariēs
Māi. Taurus
Iūn. Geminī
Iūl. Cancer
Aug. Leō
Sept. Virgō
Oct. Lībra
Nov. Scorpiō
Dec. Sagittārius

mēnsis -is *m*

V quīntus -a -um
VI sextus -a -um
VII septimus -a -um
VIII octāvus -a -um
IX nōnus -a -um
X decimus -a -um
XI ūndecimus -a -um
XII duodecimus -a -um
postrēmus -a -um
↔ prīmus
tre-centī -ae -a
= CCC (300)
sexāgintā = LX (60)

tempus -oris *n*
du-centī -ae -a = CC (200)

Iānus -ī *m*

Mārs -rtis *m*

nōmināre < nōmen; nōmināt ur = nōmen habet

antīquus < ante
tunc = illō tempore

tempore antīquō Mārtius mēnsis prīmus erat. Tunc September mēnsis septimus erat, Octōber, November, December mēnsēs octāvus, nōnus, decimus erant. Nunc autem mēnsis prīmus est Iānuārius, September igitur mēnsis nōnus est, Octōber decimus, November ūndecimus, December duodecimus.

nunc = hōc tempore

...igitur = ergō

trīgintā = XXX (30)

ūnus et trīgintā = XXXI (31)

duo-dē-trīgintā = XXVIII (28)
ūn-dē-trīgintā = XXIX (29)

ūn-decim = XI (11)

item = etiam (: ut Mārtius)

Quam longus est mēnsis November? November trīgintā diēs longus est. December ūnum et trīgintā diēs habet. Iānuārius tam longus est quam December, sed Februārius brevior est: duodētrīgintā aut ūndētrīgintā diēs tantum habet. Februārius brevior est quam cēterī ūndecim mēnsēs: is mēnsis annī brevissimus est. Mārtius ūnum et trīgintā diēs longus est (et item Māius, Iūlius, Augustus, Octōber). Aprīlis trīgintā diēs habet (item Iūnius et September). Sex mēnsēs sunt dīmidia pars annī, trēs mēnsēs quārta pars annī.

dīmidia pars = ½

quārta pars = ¼

diēs -ēī *m*

vesper -erī *m* ↔ māne *n*

nox noctis *f* ↔ diēs

initium -ī *n* ↔ fīnis
fīnis = pars postrēma
initium = pars prīma

Diēs est dum sōl in caelō est. Prīma pars diēī est māne, pars postrēma vesper. Diēs est tempus ā māne ad vesperum. Nox est tempus ā vesperō ad māne. Vesper est fīnis diēī atque initium noctis. Māne fīnis noctis est atque initium diēī.



hōra -ae *f*

Diēs in duodecim hōrās dīviditur. Ab hōrā prīmā diēs initium facit. Hōra sexta, quae hōra media est inter

hōram prīmam et duodecimam, 'merīdiēs' nōminātur. Hōra sexta vel merīdiēs diem dīvidit in duās aequās partēs: 'ante merīdiem' et 'post merīdiem'. Merīdiē sōl altissimus in caelō est. Sex hōrae sunt dīmidia pars diēī.

merī-diēs (< medi-) : medius diēs
aequus -a -um

II Nocte sōl nōn lūcet, sed lūna et stēllae lūcent. Lūna ipsa suam lūcem nōn habet, lūx lūnae ā sōle venit; itaque lūna nōn tam clāra est quam sōl. Sōl est stēlla clārissima, quae lūce suā et terram et lūnam illūstrat. Neque tōta lūna sōle illūstrātur, sed tantum ea pars quae vertitur ad sōlem; cētera pars obscūra est. Cum exigua pars lūnae tantum vidētur, lūna 'nova' esse dīcitur. Diē septimō vel octāvō post lūnam novam lūna dīmidia vidētur, quae fōrmam habet litterae D. Diē quīntō decimō post lūnam novam lūna plēna est et fōrmam habet litterae O. Cum lūna nōn lūcet, nox obscūra est.

lūna -ae *f*

stēlla -ae *f*

lūx lūcis *f*
clārus -a -um

terra

tōtus -a -um: tōta lūna ↔ pars lūnae
cētera pars
cēterus -a -um
obscūrus -a -um↔clārus
exiguus -a -um = parvus

lūna nova dīmidia plēna

Diēs mēnsis prīmus 'kalendae' nōminātur. Diēs prīmus mēnsis Iānuāriī dīcitur 'kalendae Iānuāriae'; is diēs annī prīmus est atque initium annī novī. Diēī prīmō mēnsis Iūliī 'kalendae Iūliae' nōmen est; is est diēs annī medius.

quīntus decimus = XV (15.)

kalendae -ārum *f pl*

dīcitur = nōminātur

Diēs tertius decimus post kalendās 'īdūs' nōminātur. 'Īdūs Iānuāriae' diēs tertius decimus est post kalendās Iānuāriās. Item 'īdūs Februāriae' dīcitur diēs tertius decimus mēnsis Februāriī. Sed 'īdūs Mārtiae' diēs est quīntus decimus mēnsis Mārtiī, nam mēnse Mārtiō (item Māiō, Iūliō, Octōbrī) īdūs nōn diēs tertius decimus, sed quīntus decimus post kalendās est. Diēs nō-

tertius decimus = XIII (13.)
īdūs -uum *f pl*

(mēnsis) -ber -bris *m*, *abl* -brī

nōnae -ārum *f pl*

nus ante īdūs dīcitur 'nōnae' (nōnae Iānuāriae: diēs quīntus Iānuāriī; nōnae Februāriae: diēs quīntus Februāriī; nōnae Mārtiae: diēs septimus Mārtiī; cēt.)

ante diem octāvum kalendās Iūliās (a. d. VIII kal. Iūl.) = diēs octāvus ante kalendās Iūliās

Diēs octāvus ante kalendās Iānuāriās, quī dīcitur 'ante diem octāvum kalendās Iānuāriās', est diēs annī brevissimus. Ante diem octāvum kalendās Iūliās diēs annī longissimus est. Ante diem octāvum kalendās Aprīlēs (id est diē octāvō ante kalendās Aprīlēs) nox atque diēs aequī sunt; is diēs 'aequinoctium' dīcitur. Item ante diem octāvum kalendās Octōbrēs aequinoctium dīcitur, nam eō quoque diē nox aequa est atque diēs.

aestās -ātis *f* ↔ hiems hiemis *f*
vēr vēris *n*
autumnus -ī *m*

Tempora annī sunt quattuor: aestās et hiems, vēr et autumnus. Aestās est tempus ā mēnse Iūniō ad Augustum, hiems ā mēnse Decembrī ad Februārium. Mēnsis Iūnius initium aestātis, December initium hiemis est. Tempus ā Mārtiō ad Māium vēr dīcitur, ā mēnse Septembrī ad Novembrem autumnus. Vēr ā mēnse Mārtiō initium facit. Autumnus ā Septembrī incipit.

incipere -it -iunt = initium facere

calidus -a -um ↔ frīgidus -a -um

imber -bris *m*
nix nivis *f*

Aestāte diēs longī sunt, sōl lūcet, āēr calidus est. Aestās est tempus calidum. Hiems tempus frīgidum est. Hieme nōn sōlum imber, sed etiam nix dē caelō cadit. Imber est aqua quae dē nūbibus cadit. Nix frīgidior est quam imber. Hieme montēs et campī nive operiuntur. Vēre campī novā herbā operiuntur, arborēs novīs foliīs ōrnantur, avēs, quae hieme tacent, rūrsus canere incipiunt. Autumnō folia dē arboribus cadunt et terram operiunt. In Germāniā hiemēs frīgidiōrēs sunt quam in Ita-

operīre

hieme montēs nive operiuntur

liā: altā nive operītur tōta terra et lacūs glaciē operiuntur; hieme Germānī puerī super glaciem lacuum lūdere possunt. Iānuārius mēnsis annī frīgidissimus est. Mēnsēs calidissimī sunt Iūlius et Augustus. Eō tempore multī Rōmānī urbem relinquunt et vīllās suās petunt, neque enim tōtam aestātem in urbe vīvere volunt. —

III Hōra nōna est. Aemilia apud fīlium aegrum sedet. Cubiculum lūce sōlis illūstrātur. Aemilia ad fenestram it caelumque spectat.

Aemilia: "Hōra nōna est. Sōl altus in caelō est nec nūbibus operītur."

Quīntus: "Quandō sōl altissimus est?"

Aemilia: "Hōrā sextā vel merīdiē. Sed post merīdiem āēr calidior est quam ante merīdiem."

Aemilia fenestram claudit. Iam satis obscūrum est cubiculum.

Quīntus: "Ō, quam longae sunt hōrae, cum necesse est tōtum diem in lectō iacēre!"

Aemilia: "Vēr est. Diēs atque hōrae longiōrēs sunt vēre quam hieme."

Quīntus: "Quandō longissimī sunt diēs?"

Aemilia: "Mēnse Iūniō."

Quīntus: "Iamne mēnsis Iūnius est?"

Aemilia: "Māius est: hic diēs est mēnsis Māiī postrēmus. Hōc annī tempore diēs nōn tam calidī sunt quam aestāte et noctēs frīgidiōrēs sunt."

Quīntus: "Quī mēnsis annī calidissimus est?"

glaciēs -ēī *f*



lacus -ūs *m*

urbs urbis *f* = oppidum magnum (: Rōma)

puerī super glaciem lacūs lūdunt

quandō? = quō tempore?

iam-ne

Iūlius Caesar
-aris *m*

(mēnsis) Quīntīlis -is *m*
= Iūlius

Caesar Augustus

(mēnsis) Sextīlis -is *m*
= Augustus

faciēs -ēī *f*

vult volunt, *inf* velle

Aemilia: "Iūlius."

Quīntus: "Cūr ille mēnsis patris nōmen habet?"

Aemilia rīdet et respondet: "Mēnsis Iūlius nōn ā patre tuō nōmen habet — nōn tantus vir est ille! — sed ā Iūliō Caesare. Ante tempora Caesaris eī mēnsī erat nōmen 'Quīntīlis' ā 'quīntō' numerō — nōn ā nōmine tuō!"

Quīntus: "Estne Iūlius mēnsis quīntus?" Puer digitīs numerāre incipit: "Mēnsis prīmus Iānuārius, secundus Februārius, tertius Mārtius, quārtus..."

Aemilia: "Antīquīs temporibus Mārtius nōn tertius, sed prīmus mēnsis erat; tunc igitur Quīntīlis, quī nunc Iūlius nōminātur, mēnsis quīntus erat, nōn septimus, ut nunc est. Item mēnsī Augustō nōmen erat 'Sextīlis', quia sextus erat, nunc Augustus nōminātur ā Caesare Augustō. — Sed hoc satis est. Iam necesse est tē dormīre." Māter enim faciem fīliī aspicit eumque oculōs claudere videt. Aemilia puerum dormīre velle putat.

Quīntus: "Sed diēs est. Sōl lūcet. Nocte iubē mē dormīre, cum sōl in caelō nōn est! Ubi sōl est nocte, cum hīc nōn lūcet?"

Aemilia: "Cum hīc nox est, sōl lūcet in aliīs terrīs procul ab Italiā et ab urbe Rōmā. Cum nox est illīc, hīc in Italiā diēs est."

Quīntus: "Ergō nunc in aliīs terrīs et urbibus nox est atque hominēs dormiunt. Hīc diēs est, nec tempus est dormīre!"

GRAMMATICA LATINA

Dēclīnātiō quīnta

Diēs brevissimus est ante di*em* VIII kalendās Iānuāriās. Māne initium di*ēī* est. Di*ēī* prīmō Iānuāriī nōmen est kalendae Iānuāriae; ab eō di*ē* incipit novus annus. Mēnse Iūniō di*ēs* longī sunt. Iūnius XXX di*ēs* habet: numerus di*ērum* est XXX. Di*ēbus* prīmīs mēnsium nōmina sunt: kalendae Iānuāriae, Februāriae, Mārtiae, Aprīlēs, cēt. Ab iīs di*ēbus* mēnsēs incipiunt.

	Singulāris	*Plūrālis*
*Nōmināt**īvus***	di|*ēs*	di|*ēs*
*Accūsāt**īvus***	di|*em*	di|*ēs*
*Genet**īvus***	di|*ēī*	di|*ērum*
*Dat**īvus***	di|*ēī*	di|*ēbus*
*Ablāt**īvus***	di|*ē*	di|*ēbus*

Ut 'diēs' *m* dēclīnātur 'merīdiēs' *m*, item 'faciēs' *f*, 'glaciēs' *f*, et pauca alia vocābula fēminīna.

— 'Māne' est vocābulum neutrum indēclīnābile.

Superlātīvus

Aetna mōns altus est, alt*ior* quam cēterī montēs Siciliae: is mōns Siciliae alt*issimus* est.

Via Appia longa est, long*ior* quam cēterae viae Italiae: ea via Italiae long*issima* est.

'Īre' verbum breve est, brev*ius* quam cētera verba Latīna: id verbum Latīnum brev*issimum* est.

'Alt*ior*, long*ior*, brev*ius*' comparātīvus est. 'Alt*issimus*, long*issima*, brev*issimum*' superlātīvus est. Superlātīvus est adiectīvum dēclīnātiōnis I et II: *-issim|us -a -um*.

PENSVM A

Hōrae di- sunt XII. Hōra sexta di- dīvidit in duās partēs: ante merīdi- et post merīdi-. Sex hōrae sunt dīmidia pars di-. Mēnsis Iūnius XXX di- habet: numerus di- est XXX. Novus annus incipit ab eō di- quī dīcitur kalendae Iānuāriae.

Iūlius mēnsis annī calid- est; Iānuārius est mēnsis annī

diēs
diem
diēī
diēī
diē

diēs
diēs
diērum
diēbus
diēbus

-ēs *-ēs*
-em *-ēs*
-ēī *-ērum*
-ēī *-ēbus*
-ē *-ēbus*

in-dēclīnābilis -e (*indēcl*) = quī dēclīnārī nōn potest

superlātīvus (*sup*)

alt*issimus -a -um*

long*issimus -a -um*

brev*issimus -a -um*

-issim|us -a -um

Vocābula nova:
annus
mēnsis
diēs
saeculum
tempus
faciēs
māne
vesper
nox
initium
hōra
merīdiēs

lūna
stēlla
lūx
fōrma
kalendae
īdūs
nōnae
aequinoctium
aestās
hiems
vēr
autumnus
imber
nix
lacus
glaciēs
urbs
postrēmus
dīmidius
aequus
clārus
tōtus
obscūrus
exiguus
calidus
frīgidus
indēclīnābilis
ūndecim
trīgintā
sexāgintā
ducentī
trecentī
quīntus
sextus
septimus
octāvus
nōnus
decimus
ūndecimus
duodecimus
nōmināre
illūstrāre
incipere
operīre
velle
erat erant
vel
tunc
nunc
igitur
item
quandō?
superlātīvus

frīgid–. Mēnsis annī brev– est Februārius. Padus est flūmen Italiae long– et lāt–. Sōl stēlla clār– est.

PENSVM B

Iānuārius — prīmus est. December est mēnsis — ac —. Tempore antīquō September mēnsis septimus —, nam — mēnsis prīmus erat Mārtius. Nunc September mēnsis — est. Diēs est tempus ā — ad —. Māne est — diēī, vesper — diēī est et initium —. Diēs in XII — dīviditur. Nocte — et — lūcent, neque eae tam — sunt quam sōl. Sōl lūnam — suā —. Ea lūnae pars quae sōle nōn illūstrātur — est.

Vēr et —, aestās et — sunt quattuor — annī. — ā mēnse Iūniō —. Hieme nōn sōlum —, sed etiam — dē nūbibus cadit: montēs et campī nive —. Aqua nōn tam — est quam nix.

PENSVM C

Quot sunt mēnsēs annī?
Ā quō Iānuārius nōmen habet?
Quam longus est mēnsis Aprīlis?
Ā quō mēnsis Iūlius nōmen habet?
Cūr mēnsis decimus Octōber nōminātur?
Cūr lūna nōn tam clāra est quam sōl?
Quī diēs annī brevissimus est?
Quī diēs aequinoctia dīcuntur?
Quod tempus annī calidissimum est?
Quandō nix dē nūbibus cadit?
Quid est imber?
Ā quō diē incipit annus novus?



gallus canēns

NOVVS DIES

Nox est. Familia dormit. Vīlla Iūliī obscūra et quiēta est. Mārcus quiētus in lectō suō cubat; is bene dormit. Quīntus dormīre nōn potest, quod et caput et pēs eī dolet. Bracchium quoque dolet Quīntō; itaque is nōn dormit, sed vigilat.

cubāre = iacēre (in lectō)
dolēre + *dat:* pēs *eī* /Quīntō dolet

vigilāre ↔ dormīre

Cubiculum in quō Quīntus cubat nōn magnum est, nec magnum est cubiculum Mārcī. Utrumque cubiculum parvum est. Uterque puer cubat in cubiculō parvō, neuter in cubiculō magnō. Neutrum cubiculum magnum est. Uterque puer quiētus est, neuter puer sē movet. Alter puer dormit, alter vigilat. Alter ē duōbus puerīs valet, alter aegrōtat. Uter puer aegrōtat, Mārcusne an Quīntus? Quīntus aegrōtat, Mārcus valet.

uter- utra- utrum-que: uterque puer : et M. et Q.; utrumque cubiculum : et cubiculum M.ī et Q.ī
neuter -tra -trum: neuter puer : nec M. nec Q.

alter -era -erum
duo, *abl* du*ōbus*
valēre ↔ aegrōtāre
uter -tra -trum: uter puer? : M.ne *an* Q.?

Āēr frīgidus cubiculum Mārcī intrat, fenestra enim aperta est. Mārcus fenestrā apertā dormit. Fenestra Quīntī aperta nōn est. Altera ē duābus fenestrīs est aperta, altera clausa. Utra fenestra clausa est? Fenestra Quīntī. Is fenestrā clausā dormit, quia aeger est.

du*ae*, *abl* du*ābus*

clausus -a -um↔apertus -a -um

canēns *-entis* = quī canit (-ns < -nts)

gall*us* canēns
gall*um* can*entem*

dormiēns *-entis* = quī dormit
vigilāns *-antis* = quī vigilat

quō-modo? < quō modō?
ho-diē = hōc diē

mē (*acc*): mihi (*dat*)

ad-hūc = ad hoc tempus, etiam nunc

inquit = dīcit
surgere

af-ferre < ad-ferre

af-fer! (*imp*)

lavāre
sordidus -a -um

Ecce gallus canit: "Cucurrū! Cucucurrū!" Gallus canēns novum diem salūtat.

Mārcus oculōs nōn aperit neque sē movet. Quīntus, quī oculīs apertīs iacet, super lectum sē vertit. Puer dormiēns gallum canentem nōn audit. Puer vigilāns gallum audit, et Dāvum vocat.

Dāvus cubiculum intrāns interrogat: "Quōmodo sē habet pēs tuus hodiē?"

Quīntus respondet: "Pēs male sē habet, nec pēs tantum, sed etiam caput et bracchium dolet. Ō, quam longa nox est! Sed iam māne est, nam gallus canit. Dā mihi aquam, Dāve!"

Dāvus Quīntō aquam in pōculō dat. Puer aquam bibit. Servus puerum bibentem aspicit.

II

Dāvus Quīntum in lectō iacentem relinquit et cubiculum Mārcī intrat. Mārcus adhūc dormit. Dāvus ad puerum dormientem adit eumque excitat. Quōmodo servus puerum excitat? In aurem puerī dormientis magnā vōce clāmat: "Mārce! Māne est!" Eō modō excitātur Mārcus, et oculōs aperiēns servum apud lectum stantem videt. Iam neuter ē duōbus puerīs dormit.

"Hōra prīma est" inquit Dāvus, "Surge ē lectō!"

Mārcus ē lectō surgit. Iam nōn cubat in lectō, sed ante lectum stat. Mārcus Dāvum aquam afferre iubet: "Affer mihi aquam ad manūs!"

Servus Mārcō aquam affert et "Ecce aqua" inquit, "Lavā faciem et manūs! Manūs tuae sordidae sunt."

Mārcus prīmum manūs lavat, deinde faciem.

Dāvus: "Aurēs quoque lavā!"

"Sed aurēs" inquit Mārcus "in faciē nōn sunt!"

Dāvus: "Tacē, puer! Nōn modo faciem, sed tōtum caput lavā! Merge caput in aquam!"

Mārcus faciem lavat

Mārcus caput tōtum in aquam mergit atque etiam aurēs et capillum lavat. Iam tōtum caput eius pūrum est. Aqua nōn est pūra, sed sordida.

pūrus -a -um ↔ sordidus

Aqua quā Mārcus lavātur frīgida est; itaque puer manūs et caput sōlum lavat, nōn tōtum corpus. Māne Rōmānī faciem et manūs aquā frīgidā lavant; post merīdiem tōtum corpus lavant aquā calidā.

māne *adv* (: hōrā prīmā)

Mārcus caput et manūs tergēns Dāvum interrogat: "Cūr frāter meus tam quiētus est?"

Dāvus respondet: "Quīntus adhūc in lectō est."

Mārcus: "In lectō? Quīntus, quī ante mē surgere solet, adhūc dormit! Excitā eum!"

toga -ae *f*

vir togātus

"Nōn dormit" inquit Dāvus, "Frāter tuus vigilat, nec surgere potest, quod pēs et caput eī dolet."

Mārcus: "Mihi quoque caput dolet!"

Dāvus: "Tibi nec caput nec pēs dolet! Caput valēns nōn dolet nec membra valentia."

tē (*acc*): tibi (*dat*)

tunica -ae *f*

Per fenestram apertam intrat āēr frīgidus. Mārcus frīget, quod corpus eius nūdum est (id est sine vestīmentīs); itaque Mārcus vestīmenta sua ā servō poscit: "Dā mihi tunicam et togam! Vestī mē!" Dāvus puerō frīgentī tunicam et togam dat, neque eum vestit: necesse est

frīgēre = frīgidus esse
nūdus -a -um
vestīmentum -ī *n*
poscere = darī iubēre
vestīre

induere

gerere = (in corpore) ferre, habēre
togātus -a -um = togam gerēns
praeter *prp+acc*

dexter -tra -trum ↔ sinister -tra -trum

calceus -ī *m*

mē-cum (= cum mē)
tē-cum (= cum tē)
sē-cum (= cum sē)
abl: mē, tē, sē (= *acc*)

parentēs -um *m pl* = pater et māter

puerum ipsum sē vestīre. Mārcus prīmum tunicam induit, deinde togam. Puer iam nūdus nōn est.

(Toga est vestīmentum album, quod virī et puerī Rōmānī gerunt. Graecī et barbarī togam nōn gerunt. Multīs barbarīs magna corporis pars nūda est. Virō togātō nūlla pars corporis est nūda praeter bracchium alterum. Utrum bracchium virō togātō nūdum est, dextrumne an sinistrum? Bracchium dextrum est nūdum, bracchium sinistrum togā operītur. Mīlitēs togam nōn gerunt, nēmō enim togātus gladiō et scūtō pugnāre potest. Utrā manū mīles gladium gerit? Manū dextrā gladium gerit, scūtum gerit manū sinistrā.) *III*

Mārcus, quī pedibus nūdīs ante lectum stat, calceōs poscit: "Dā mihi calceōs! Pedēs frīgent mihi." Dāvus eī calceōs dat, et eum sēcum venīre iubet: "Venī mēcum! Dominus et domina tē exspectant."

Mārcus cum servō ātrium intrat, ubi parentēs sedent līberōs exspectantēs. Ante eōs in parvā mēnsā pānis et māla sunt. Parentēs ā fīliō intrante salūtantur: "Salvēte, pater et māter!" et ipsī fīlium intrantem salūtant: "Salvē, Mārce!"

Māter alterum fīlium nōn vidēns Dāvum interrogat: "Quīntus quōmodo sē habet hodiē?"

Dāvus: "Quīntus dīcit 'nōn modo pedem, sed etiam caput dolēre'."

Aemilia surgit et ad fīlium aegrōtantem abit. Māter fīliō suō aegrōtantī pānem et mālum dat, sed ille, quī

multum ēsse solet, hodiē nec pānem nec mālum ēst. Puer aegrōtāns nihil ēsse potest.

Mārcus autem magnum mālum ā patre poscit: "Dā mihi illud mālum, pater! Venter vacuus est mihi."

Iūlius Mārcō pānem dāns "Prīmum ēs pānem" inquit, "deinde mālum!"

Mārcus pānem suum ēst. Deinde pater eī in utramque manum mālum dat, et "Alterum mālum nunc ēs" inquit, "alterum tēcum fer!"

Dāvus Mārcō librum et tabulam et stilum et rēgulam affert.

Iūlius: "Ecce Dāvus tibi librum et cēterās rēs tuās affert. Sūme rēs tuās atque abī!"

"Sed cūr nōn venit Mēdus?" inquit Mārcus, quī Mēdum adhūc in familiā esse putat. Is servus cum puerīs īre solet omnēs rēs eōrum portāns. Mārcus ipse nūllam rem portāre solet praeter mālum.

Iūlius: "Mēdus tēcum īre nōn potest. Hodiē necesse est tē sōlum ambulāre."

Mārcus: "...atque mē ipsum omnēs rēs meās portāre? Cūr ille servus mēcum venīre nōn potest ut solet? Etiamne Mēdō caput dolet?"

Iūlius: "Immō bene valet Mēdus, sed hodiē aliās rēs agit."

Mārcus: "Quae sunt illae rēs?"

Iūlius nihil ad hoc respondet et "Iam" inquit "tempus est discēdere, Mārce."

multum -ī *n*

ēsse, *imp* ēs! ēste!

utr*a*-que manus
utr*am*-que manum

tē-cum = cum tē
ferre, *imp* fer! ferte!

rēs reī *f*

	sing	*plūr*
nōm	rēs	rēs
acc	rem	rēs
gen	reī	rērum
dat	reī	rēbus
abl	rē	rēbus

omnis -e ↔ nūllus

tabula -ae *f*

stilus -ī *m*



rēgula -ae *f*

salvē!
valē!
"salvē!" dīcit quī advenit
"valē!" dīcit quī discēdit

Mārcus mālum, librum, tabulam, stilum rēgulamque sēcum ferēns ē vīllā abit. Fīlius ā patre discēdēns "Valē, pater!" inquit.

"Valē, Mārce!" respondet pater, "Bene ambulā!"

Quō it Mārcus cum rēbus suīs? Vidē capitulum quīntum decimum!

GRAMMATICA LATINA

participium -ī *n* (*part*)

Participium

/*Puella* vigil*āns*...

masc./fēm.

	sing.	plūr.
nōm.	*-ns*	*-nt|ēs*
acc.	*-nt|em*	*-nt|ēs*
gen.	*-nt|is*	*-nt|ium*
dat.	*-nt|ī*	*-nt|ibus*
abl.	*-nt|e/-ī*	*-nt|ibus*

neutr.

nōm.	*-ns*	*-nt|ia*
acc.	*-ns*	*-nt|ia*
gen.	*-nt|is*	*-nt|ium*
dat.	*-nt|ī*	*-nt|ibus*
abl.	*-nt|e/-ī*	*-nt|ibus*

[1] *-āns -antis*
[2] *-ēns -entis*
[3] *-ēns -entis*
[4] *-iēns -ientis*

Puer vigil*āns* in lectō iac*ēns* gallum can*entem* audit. Gallus can*ēns* nōn audītur ā puerō dorm*iente*. Puer dorm*iēns* servum clām*antem* audit, nec ā gallō can*ente*, sed ā servō clām*ante* excitātur. Nōn vōx gallī can*entis*, sed vōx servī clām*antis* puerum dorm*ientem* excitat.

Puerī vigil*antēs* gallōs can*entēs* audiunt. Gallī can*entēs* ā puerīs dorm*ientibus* nōn audiuntur. Puerī dorm*ientēs* servōs clām*antēs* audiunt, nec ā gallīs can*entibus*, sed ā servīs clām*antibus* excitantur. Nōn vōcēs gallōrum can*entium*, sed vōcēs servōrum clām*antium* puerōs dorm*ientēs* excitant.

Caput val*ēns* nōn dolet nec membra val*entia*. Canis animal vol*āns* nōn est; animālia vol*antia* sunt avēs. Mīlitēs inter pīla vol*antia* pugnant.

'Vigil*āns*', 'iac*ēns*', 'can*ēns*', 'dorm*iēns*' participia sunt. Participium est adiectīvum dēclīnātiōnis III: gen. sing. *-ant|is*, *-ent|is* (abl. sing. *-e* vel *-ī*).

Vocābula nova:
gallus
vestīmentum
tunica
toga
calceus
parentēs
tabula
stilus
rēgula

PENSVM A

Puer dorm– nihil audit. Dāvus puerum dorm– excitat: in aurem puerī dorm– clāmat: "Mārce!" Mārcus oculōs aper– servum apud lectum st– videt. Servus puerō frīg– vestīmenta dat. Parentēs fīlium intr– salūtant et ā fīliō intr– salūtantur. Fīlius discēd– "Valē!" inquit.

Corpus val– nōn dolet. Medicus caput dol– sānāre nōn potest. Piscēs sunt animālia nat–.

PENSVM B

Puerī in lectīs — [= iacent]. — puer dormit, alter —; alter —, alter aegrōtat. — puer aegrōtat, Mārcusne — Quīntus? Quīntus aegrōtat.

Servus puerum dormientem — et eī aquam —. Mārcus ē lectō — et prīmum manūs —, — faciem. Puer vestīmenta ā servō —, et prīmum tunicam —, deinde —. Iam puer — nōn est. Virō — [= togam gerentī] bracchium — nūdum est. Dāvus Mārcum sēcum venīre iubet: "Venī —!"

Mārcus Mēdum, quī cum eō īre —, nōn videt. Mēdus librōs et cēterās — Mārcī portāre solet, Mārcus ipse — portāre solet — mālum. "Hodiē" — Iūlius "Mēdus — īre nōn potest." Mārcus sōlus abit librum et — et stilum — ferēns.

PENSVM C

Quīntusne bene dormit?
Uter puer aegrōtat?
Estne clausa fenestra Mārcī?
Uter ē duōbus puerīs gallum canentem audit?
Quōmodo servus Mārcum excitat?
Tōtumne corpus lavat Mārcus?
Cūr Mārcus frīget?
Quid Mārcus ā servō poscit?
Utrum bracchium togā operītur?
Utrā manū mīles scūtum gerit?
Quās rēs Mārcus sēcum fert?

rēs
apertus
clausus
sordidus
pūrus
nūdus
togātus
dexter
sinister
omnis
cubāre
vigilāre
valēre
excitāre
surgere
afferre
lavāre
mergere
solēre
frīgēre
poscere
vestīre
induere
gerere
inquit
uterque
neuter
alter
uter?
mihi
tibi
mēcum
tēcum
sēcum
nihil
quōmodo
hodiē
adhūc
prīmum
deinde
praeter
an
valē
participium

lūdus



MAGISTER ET DISCIPVLI

Mārcus librum et tabulam et cēterās rēs ferēns Tūsculum ambulat. Illīc est lūdus puerōrum. Multī puerī māne in lūdum eunt. *1*

lūdus -ī *m*

magister -trī *m*

Magister lūdī est vir Graecus, cui nōmen est Diodōrus. Mārcus magistrum metuit, Diodōrus enim magister sevērus est, quī discipulōs suōs virgā verberat; eō modō magister sevērus discipulōs improbōs pūnīre solet. Discipulī sunt puerī quī in lūdum eunt. Mārcus et Quīntus sunt duo discipulī. Aliī discipulī sunt Titus et Sextus.

sevērus -a -um

discipulus -ī *m*

virga -ae *f*

Sextus, quī ante Mārcum et Titum ad lūdum advenit, prīmus lūdum intrat. Sextus sōlus est, nam cēterī discipulī nōndum adsunt.

nōn-dum = adhūc nōn



sella -ae *f*

Magister intrāns Sextum sōlum in sellā sedentem videt. Sextus dē sellā surgēns magistrum salūtat: "Salvē, magister!"

cōn-sīdere = sedēre incipere (↔ surgere)

Magister: "Salvē, Sexte! Cōnsīde!"

Sextus in sellā cōnsīdit. Discipulus tacitus ante magistrum sedet.

Magister interrogat: "Cūr tū sōlus es, Sexte?"

"Ego sōlus sum, quod cēterī discipulī omnēs absunt" respondet Sextus.

Exclāmat magister: "Ō, discipulōs improbōs...!"

Sextus: "Num ego discipulus improbus sum?"

Magister: "Immō tū probus es discipulus, Sexte, at Mārcus et Quīntus et Titus improbī sunt!"

Hīc Titus ad lūdum advenit et iānuam pulsat antequam intrat: discipulus nōn statim intrat, sed prīmum iānuam pulsat; tum lūdum intrat et magistrum salūtat:

"Salvē, magister!"

Magister: "Ō Tite! Sextus iam adest..."

Titus: "At Mārcus et Quīntus nōndum adsunt!"

Magister: "Tacē, puer! Claude iānuam et cōnsīde! Aperīte librōs, puerī!"

Sextus statim librum suum aperit, sed Titus, quī librum nōn habet, "Ego" inquit "librum nōn habeō."

Magister: "Quid? Sextus librum suum habet, tū librum tuum nōn habēs? Cūr librum nōn habēs?"

Titus: "Librum nōn habeō, quod Mārcus meum librum habet."

II Post Titum Mārcus ad lūdum advenit, neque is iānuam pulsat antequam intrat. Mārcus statim intrat, nec magistrum salūtat.

"Ō Mārce!" inquit Diodōrus, "Cūr tū iānuam nōn

tacitus -a -um = tacēns

ex-clāmāre

at = sed

iānua -ae *f* = ōstium

tum = deinde

iam ↔ nōndum

pulsās cum ad lūdum venīs, nec mē salūtās cum mē vidēs?"

tergum -ī *n*

At Mārcus "Ego" inquit "iānuam nōn pulsō cum ad lūdum veniō, nec tē salūtō cum tē videō, quia nec Sextus nec Titus id facit."

Sextus et Titus: "Quid?"

Mārcus (ad Sextum et Titum): "Vōs iānuam nōn pulsātis cum ad lūdum venītis, nec magistrum salūtātis cum eum vidētis. Audītisne id quod dīcō?"

audītis-ne

vērus -a -um

Tum Sextus et Titus "Id quod dīcis" inquiunt "vērum nōn est: nōs iānuam pulsāmus cum ad lūdum venīmus, et magistrum salūtāmus cum eum vidēmus. Nōnne vērum dīcimus, magister?"

vērum -ī *n* = id quod vērum est
quod = id quod

Magister: "Vōs vērum dīcitis. Quod Mārcus dīcit nōn est vērum. Discipulus improbus es, Mārce! Necesse est tē pūnīre. Statim ad mē venī!"

Diodōrus, magister sevērus, tergum puerī virgā verberat. (Tergum est posterior pars corporis.) Tergum dolet Mārcō, neque ille lacrimat, nam lacrimāre puerō Rōmānō nōn convenit.

posterior -ius *comp* < post
lacrimāre puerō (*dat*) nōn convenit = lacrimae puerō nōn conveniunt

Mārcus clāmat: "Ei! Iam satis est! Dēsine, magister!"

dēsinere ↔ incipere

Magister puerum verberāre dēsinit et "Ad sellam tuam redī" inquit, "atque cōnsīde!"

red-īre = rūrsus īre (red- = re-)

Mārcus ad sellam suam redit, neque cōnsīdit, sed tacitus ante sellam stat.

audīs-ne

"Audīsne, Mārce? Ego tē cōnsīdere iubeō. Cūr nōn cōnsīdis?" interrogat magister.

Mārcus: "Nōn cōnsīdō, quod sedēre nōn possum."

pos-sum
pot-es
pot-est

Diodōrus: "Cūr sedēre nōn potes?"

Mārcus: "Sedēre nōn possum, quod mihi dolet... pars tergī īnferior in quā sedēre soleō."

īnferior -ius *comp* < īnfrā

Haec verba audientēs Titus et Sextus rīdent.

Diodōrus: "Quid rīdētis, Tite et Sexte?"

quid? = cūr?

Titus: "Rīdēmus, quod Mārcō dolet..."

Diodōrus: "Tacēte! Eam corporis partem nōmināre nōn convenit! — Sed ubi est frāter tuus, Mārce?"

Mārcus: "Is domī est apud mātrem suam. Quīntus dīcit 'sē aegrum esse'."

domī ↔ in lūdō

Q.: "*Ego* aeger *sum*"
Q. dīcit '*sē* aegr*um* *esse*'

Diodōrus: "Sī aeger est, in lūdum īre nōn potest. At vōs bene valētis. Iam aperīte librōs!"

Titus: "Mārcus meum librum habet."

Diodōrus: "Quid tū librum Titī habēs, Mārce?"

Mārcus: "Ego eius librum habeō, quod is meum mālum habet. Redde mihi mālum meum, Tite!"

red-dere = rūrsus dare

Titus rīdēns "Mālum" inquit "tibi reddere nōn possum, id enim iam in ventre meō est!"

Mārcus īrātus Titum pulsāre incipit, sed magister "Dēsine, Mārce!" inquit, "Titus tibi mālum dare nōn potest, at ego tibi *malum* dare possum, nisi hīc et nunc Titō librum reddis!"

malum -ī *n* = mala rēs; m. dare tibi : tē pūnīre
nisi = sī nōn

Mārcus Titō librum reddit.

III Discipulī librōs aperiunt. Item librum suum aperit magister ac recitāre incipit. Puerī autem priōrem librī partem tantum audiunt, nam antequam magister par-

prior -ius ↔ posterior; prior pars : initium

pars posterior : fīnis

tem librī posteriōrem recitāre incipit, omnēs puerī dormiunt!

magister recitat
discipulī dormiunt

Magister recitāre dēsinit et exclāmat: "Ō improbī discipulī! Dormītis! Quod recitō nōn audītis!"

quod = id quod

Mārcus magistrō īrātō "Ego" inquit "nōn dormiō. Immō vigilō et tē audiō, magister."

Item Sextus et Titus "Neque nōs dormīmus" inquiunt, "Vigilāmus et omnia verba tua audīmus. Bene recitās, Diodōre! Bonus es magister!"

Magister laetus "Vērum est quod dīcitis" inquit, "ego bene recitō ac bonus sum magister — at vōs male recitātis ac malī discipulī estis!"

Discipulī: "Immō bonī discipulī sumus! Bene recitāmus!"

Diodōrus: "Tacēte! Ubi estis, puerī?"

Discipulī: "In lūdō sumus."

Diodōrus: "Vērum dīcitis: in lūdō estis — nōn domī in lectulīs! In lectulō dormīre licet, hīc in lūdō nōn licet dormīre!"

lect*ul*us = parvus lectus

Magister īrātus discipulōs virgā verberat.

Discipulī: "Ei, ei! Quid nōs verberās, magister?"

Diodōrus: "Vōs verberō, quod aliō modō vōs excitāre nōn possum. Ad sellās vestrās redīte atque cōnsīdite!"

Discipulī ad sellās suās redeunt, neque cōnsīdunt.

Magister: "Quid nōn cōnsīditis?"

Discipulī: "Nōn cōnsīdimus, quod sedēre nōn possumus."

Diodōrus: "Quid? Sedēre nōn potestis? Ergō vōs hōram tōtam tacitī stāte, dum ego sedēns partem librī posteriōrem recitō! Nec enim stantēs dormīre potestis!"

nōs *acc* (= *nōm*)

vōs *acc* (= *nōm*)

red-īre -it -eunt

pos-sumus
pot-estis
pos-sunt

GRAMMATICA LATINA

Persōnae verbī

Puerī rīd*ent*. Puella nōn rīd*et*.

Puerī: "Cūr *tū* nōn rīdēs, cum *nōs* rīdē*mus*?"

Puella: "*Ego* nōn rīde*ō*, quia *vōs* mē rīdē*tis*!"

'Rīde*ō* rīdē*mus*' dīcitur persōna prīma, 'rīdē*s* rīdē*tis*' persōna secunda, 'rīd*et* rīd*ent*' persōna tertia.

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	rīde|*ō*	rīdē|*mus*
Persōna secunda	rīdē|*s*	rīdē|*tis*
Persōna tertia	rīde|*t*	rīde|*nt*

Exempla: [1] clām|*ō* clāmā|*mus;* [2] rīde|*ō* rīdē|*mus;* [3] dīc|*ō* dīc|*imus;* faci|*ō* faci|*mus;* [4] audi|*ō* audī|*mus*.

Malus discipulus in lūdō clām*at* et rīd*et*. Quī id nōn fac*it*, et omnia verba magistrī aud*it*, bonus *est* discipulus.

Bonus discipulus malō dīc*it:* "Ego bonus discipulus *sum:* in lūdō nec clāmō nec rīde*ō*, et omnia verba magistrī audi*ō*. At tū malus discipulus *es:* in lūdō clām*ās* et rīd*ēs* nec verba magistrī audī*s!* Vērum dīc*ō!* Nōnne hoc faci*s?*" Malus discipulus: "Quod dīci*s* vērum nōn est: ego hoc nōn faci*ō!*"

persōna (*pers*)

ego	*nōs*
tū	*vōs*
rīde*ō*	rīdē*mus*
rīdē*s*	rīdē*tis*
rīd*et*	rīd*ent*

	sing.	plūr.
I	*-ō*	*-mus*
II	*-s*	*-tis*
III	*-t*	*-nt*

[1] clāmā|re

clām|*ō*	clāmā|*mus*
clāmā|*s*	clāmā|*tis*
clāma|*t*	clāma|*nt*

[2] rīdē|re

rīde|*ō*	rīdē|*mus*
rīdē|*s*	rīdē|*tis*
rīde|*t*	rīde|*nt*

[3] dīc|ere

dīc|*ō*	dīc|*imus*
dīc|*is*	dīc|*itis*
dīc|*it*	dīc|*unt*

face|re

faci|*ō*	faci|*mus*
faci|*s*	faci|*tis*
faci|*t*	faci|*unt*

[4] audī|re

audi|*ō*	audī|*mus*
audī|*s*	audī|*tis*
audi|*t*	audi|*unt*

esse

sum	*sumus*
es	*estis*
est	*sunt*

[1]	*-ō*	*-āmus*
	-ās	*-ātis*
	-at	*-ant*
[2]	*-eō*	*-ēmus*
	-ēs	*-ētis*
	-et	*-ent*
[3]	*-ō*	*-imus*
	-is	*-itis*
	-it	*-unt*
	-iō	*-imus*
	-is	*-itis*
	-it	*-iunt*
[4]	*-iō*	*-īmus*
	-īs	*-ītis*
	-it	*-iunt*

īre

eō	*īmus*
īs	*ītis*
it	*eunt*

posse

pos-sum	*pos-sumus*
pot-es	*pot-estis*
pot-est	*pos-sunt*

Malī discipulī in lūdō clām*ant* et rīd*ent*. Quī id nōn fac*iunt*, et omnia verba magistrī aud*iunt*, bonī *sunt* discipulī.

Bonī discipulī malīs dīc*unt:* "Nōs bonī discipulī *sumus:* in lūdō nec clām*āmus* nec rīd*ēmus*, et omnia verba magistrī audī*mus*. At vōs malī discipulī *estis:* in lūdō clām*ātis* et rīd*ētis* nec verba magistrī aud*ītis!* Vērum dīc*imus!* Nōnne hoc fac*itis?*" Malī discipulī: "Quod dīc*itis* vērum nōn est: nōs hoc nōn fac*imus!*"

[1] Ut 'clāmō clām*āmus*' dēclīnantur verba quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-āre*.

[2] Ut 'rīd*eō* rīd*ēmus*' dēclīnantur verba quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-ēre*.

[3] Ut 'dīcō dīc*imus*' dēclīnantur verba quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-ere*, praeter ea quae *-i-* habent ante *-ō* et *-unt*, ut 'fac*i*ō fac*i*unt': accipere, aspicere, capere, facere, fugere, iacere, incipere, parere, cēt.

[4] Ut 'aud*iō* aud*īmus*' dēclīnantur verba quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-īre*, praeter verbum *īre* (pers. I sing. *eō*, pers. III plūr. *eunt*), item ab-īre, ad-īre, ex-īre, red-īre, cēt.

Ut 'sum sumus' dēclīnantur verba quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-esse*, ut ab-esse, ad-esse, in-esse, cēt., et *posse* (pers. I pos-sum pos-sumus, II pot-es pot-estis, III pot-est pos-sunt).

PENSVM A

Mārcus ad lūdum ven– nec iānuam puls–. Magister: "Cūr tū iānuam nōn puls–, cum ad lūdum ven–?" Mārcus: "Ego iānuam nōn puls– cum ad lūdum ven–, quod nec Sextus nec Titus id facit. Audīte, Sexte et Tite: vōs iānuam nōn puls– cum ad lūdum ven–!" Sextus et Titus: "Nōs iānuam puls– cum ad lūdum ven–!" Magister: "Tacēte! Aperīte librōs!" Titus: "Ego librum nōn hab–." Magister: "Cūr librum nōn hab–, Tite?" Titus: "Librum nōn hab–, quod Mārcus meum librum hab–!" Mārcus: "Sed vōs meās rēs hab–!" Titus et Sextus: "Nōs rēs tuās nōn hab–!"

Magister discipulōs dormīre vidēns exclāmat: "Ō puerī!

Dorm–! Ego recit–, vōs nōn aud–!" Mārcus: "Ego tē recitāre aud–. Nōn dorm–." Titus et Sextus: "Nec nōs dorm–. Tē recitāre aud–. Bene recit–, magister." Magister: "Ego bene recit–, at vōs male recit–! Malī discipulī es–!" Discipulī: "Vērum nōn dīc–, magister. Bonī discipulī s–: in lūdō nec clām– nec rīd–, et tē aud–!"

PENSVM B

Māne puerī in — eunt. Puerī quī in lūdum eunt — sunt. Quī lūdum habet — est. Mārcus magistrum metuit, nam Diodōrus magister — est quī puerōs improbōs — verberat.

Intrat magister. Sextus dē — surgit. Cēterī discipulī — adsunt. Magister —: "Ō, discipulōs improbōs!" Sextus: "Num ego improbus —?" Magister: "— discipulus improbus nōn es, — [= sed] cēterī discipulī improbī sunt!"

Post Sextum venit Titus, — [= deinde] Mārcus. Mārcus — [= ōstium] nōn pulsat, — lūdum intrat, nec magistrum salūtat. Magister: "Discipulus improbus —, Mārce! — ad mē venī!" Magister — Mārcī verberat. Tergum est — pars corporis. Magister puerum verberāre —. Mārcus ad sellam suam — neque —. Magister: "— [= cūr] nōn cōnsīdis?" Mārcus: "Sedēre nōn —, quod pars tergī — mihi dolet!"

PENSVM C

Quō puerī māne eunt?
Quis est Diodōrus?
Cūr puerī magistrum metuunt?
Quis discipulus prīmus ad lūdum advenit?
Quid facit Titus antequam lūdum intrat?
Cūr Titus librum suum nōn habet?
Quis est discipulus improbissimus?
Cūr Quīntus in lūdum īre nōn potest?
Cūr magister recitāre dēsinit?
Tūne magister an discipulus es?
Num tū iānuam pulsās antequam cubiculum tuum intrās?

Vocābula nova:
lūdus
magister
discipulus
virga
sella
iānua
vērum
tergum
malum
lectulus
sevērus
tacitus
vērus
posterior
īnferior
prior
pūnīre
cōnsīdere
exclāmāre
dēsinere
redīre
reddere
recitāre
licēre
sum
es
sumus
estis
ego
tū
nōs
vōs
nōndum
statim
tum
quid?
domī
antequam
at
sī
nisi



nāvis Rōmāna

TEMPESTAS

Italia inter duo maria interest, quōrum alterum, quod suprā Italiam situm est, 'mare Superum' sīve 'Hadriāticum' appellātur, alterum, īnfrā Italiam situm, 'mare Īnferum' sīve 'Tūscum'. Tōtum illud mare longum et lātum quod inter Eurōpam et Āfricam interest 'mare nostrum' appellātur ā Rōmānīs.

Urbs Rōma nōn ad mare, sed ad Tiberim flūmen sita est vīgintī mīlia passuum ā marī. Quod autem paulum aquae est in Tiberī, magnae nāvēs in eō flūmine nāvigāre nōn possunt. Itaque parvae tantum nāvēs Rōmam adeunt.

Ōstiam omnēs nāvēs adīre possunt, id enim est oppidum maritimum quod magnum portum habet. Ad ōstium Tiberis sita est Ōstia. ('Ōstium' sīve 'ōs' flūminis dīcitur is locus quō flūmen in mare īnfluit; Ōstia sita est eō locō quō Tiberis in mare Īnferum īnfluit.)

inter-esse
quōrum : ex quibus
situs -a -um: situm est = est (ubi?)
sīve = vel
appellāre = nōmināre

īnferus -a -um ↔ superus -a -um

ad = apud
Tiberis -is *m* (*acc* -im, *abl* -ī)
paulum ↔ multum

nāvis -is *f*
nāvigāre < nāvis

maritimus -a -um = ad mare situs
portus -ūs *m*

locus -ī *m*
īn-fluere

eō locō (*abl*) = in eō locō, illīc

Alia oppida maritima quae magnōs portūs habent sunt Brundisium, Arīminum, Genua, Puteolī. Haec omnia oppida in ōrā maritimā sita sunt. (Ōra maritima est fīnis terrae, unde mare incipit. Portus est locus in ōrā maritimā quō nāvēs ad terram adīre possunt.) In ōrā Italiae multī portūs sunt. Ex omnibus terrīs in portūs Italiae veniunt nāvēs, quae mercēs in Italiam vehunt. (Mercēs sunt rēs quās mercātōrēs emunt ac vēndunt.)

Nōn modo mercēs, sed etiam hominēs nāvibus vehuntur. Portus Ōstiēnsis semper plēnus est hominum quī in aliās terrās nāvigāre volunt. Is quī nāvigāre vult adit nautam quī bonam nāvem habet. Sī āēr tranquillus est, necesse est ventum opperīrī. (Ventus est āēr quī movētur.) Cum nūllus ventus super mare flat, tranquillum est mare; cum magnus ventus flat, mare turbidum est. Tempestās est magnus ventus quī mare turbat ac flūctūs facit quī altiōrēs sunt quam nāvēs. Nautae tempestātēs metuunt, nam magnī flūctūs nāvēs aquā implēre possunt. Tum nāvēs et nautae in mare merguntur.

Puteolī -ōrum *m pl*

ōra -ae *f*

ōra = ōra maritima

merx mercis *f*

Ōstiēnsis -e < Ōstia
semper = omnī tempore

nauta -ae *m*
tranquillus -a -um = quiētus
opperīrī = exspectāre
ventus -ī *m*
flāre: ventus flat (= movētur)
turbidus -a -um: (mare) t.um ↔ tranquillum
tempestās -ātis *f*
turbāre = turbidum facere
flūctus -ūs *m*

im-plēre = plēnum facere

nāvis et nautae in mare merguntur



marī turbidō (*abl*) = dum mare turbidum est
opperiu*ntur* = exspectant

ventō secundō (*abl*) = dum ventus secundus est
ē-gredī = exīre; ēgredi-u*ntur* = exeunt

puppis -is *f* (*acc* -im, *abl* -ī)
medium mare = media maris pars
gubernātor -ōris *m* = is quī nāvem gubernat

orīrī: sōl oritur = sōl in caelum ascendit
oriēns -entis *m* ↔ occidēns -entis *m*

'septem triōnēs'



septen-triōnēs -um *m pl* ↔ merīdiēs
occidere ↔ orīrī

contrārius -a -um < contrā

dextra -ae *f* = manus d.
sinistra -ae *f* = manus s.

serēnus -a -um: (caelum) s.um = sine nūbibus
simul = ūnō tempore

Nautae nec marī turbidō nec marī tranquillō nāvigāre volunt; itaque in portū ventum secundum opperiuntur (id est ventus quī ā tergō flat). Ventō secundō nāvēs ē portū ēgrediuntur: vēla ventō implentur ac nāvēs plēnīs vēlīs per mare vehuntur.

Pars nāvis posterior puppis dīcitur. In puppī sedet *II* nauta quī nāvem gubernat. Quōmodo nāvis in mediō marī gubernārī potest, cum terra nūlla vidētur? Gubernātor caelum spectat: in altō marī sōl aut stēllae eī ducēs sunt. Ea pars caelī unde sōl oritur dīcitur oriēns. Partēs caelī sunt quattuor: oriēns et occidēns, merīdiēs et

septentriōnēs. Occidēns est pars caelī quō sōl occidit. Merīdiēs dīcitur ea caelī pars ubi sōl merīdiē vidētur; pars contrāria septentriōnēs appellātur ā septem stēllīs quae semper in eā caelī parte stant. Iīs quī ad septentriōnēs nāvigant, oriēns ā dextrā est, ā sinistrā occidēns, merīdiēs ā tergō. Oriēns et occidēns partēs contrāriae sunt, ut merīdiēs et septentriōnēs. —

Hodiē caelum serēnum et ventus secundus est. Nāvēs multae simul ē portū Ōstiēnsī ēgrediuntur. Inter eōs

hominēs quī nāvēs cōnscendunt est Mēdus, quī ex Italiā proficīscitur cum amīcā suā Lȳdiā. Mēdus, quī Graecus est, in patriam suam redīre vult. Graecia nōn modo ipsīus patria est, sed etiam Lȳdiae.

Mēdus et Lȳdia ex Italiā proficīscentēs omnēs rēs suās sēcum ferunt: pauca vestīmenta, paulum cibī nec multum pecūniae. Praetereā Lȳdia parvum librum fert, quem sub vestīmentīs occultat.

Sōle oriente nāvis eōrum ē portū ēgreditur multīs hominibus spectantibus. Nāvis plēnīs vēlīs altum petit. Aliae nāvēs eam sequuntur.

Mēdus in puppim ascendit. Lȳdia eum sequitur. Ex altā puppī sōlem orientem spectant. Iam procul abest Ōstia, hominēs quī in portū sunt vix oculīs cernī possunt. Mēdus montem Albānum, quī prope vīllam Iūliī situs est, cernit et "Valē, Italia!" inquit, "Valēte montēs et vallēs, campī silvaeque! Ego in terram eō multō pulchriōrem, in patriam meam Graeciam!" Mēdus laetātur neque iam dominum suum sevērum verētur.

Lȳdia collēs in quibus Rōma sita est procul cernit et "Valē, Rōma!" inquit, "Nōn sine lacrimīs tē relinquō, nam tū altera patria es mihi." Lȳdia vix lacrimās tenēre potest.

Mēdus faciem Lȳdiae intuētur et "Nōnne gaudēs" inquit, "mea Lȳdia, quod nōs simul in patriam nostram redīmus?"

Lȳdia Mēdum intuēns "Gaudeō" inquit "quod mihi

cōn-scendere = ascendere
proficīscī = abīre

ipse -a -um, *gen* -īus

multum pecūniae = magna pecūnia
praeter-eā = praeter eās rēs
sōle oriente = dum sōl oritur
multīs spectantibus = dum multī spectant
altum -ī *n* = altum mare
sequī = venīre post; eam sequuntur = post eam veniunt

vix = prope nōn
cernere = vidēre (id quod procul abest)

īre: *eō* īmus
īs ītis
it *eunt*
laetārī = laetus esse, gaudēre
verērī = timēre

intuērī = spectāre

licet (+ *dat*)

lābī = cadere

complectī: eam complectitur = bracchia circum corpus eius pōnit

paulō post = post paulum (temporis)
quam in partem? = in quam partem?

sōl*e* duc*e* = dum sōl dux est, sōle dūcente

loquī = verba facere (dīcere); ↔ tacēre
āter -tra -trum = niger

fit = esse incipit

fulgur
-uris *n*

in-vocāre

paulum = paulum temporis
tonitrus -ūs *m* = quod audītur post fulgur

licet tēcum venīre. At nōn possum laetārī quod omnēs amīcās meās Rōmānās relinquō. Sine lacrimīs Rōmā proficīscī nōn possum." Dē oculīs Lȳdiae lacrimae lābuntur.

Mēdus eam complectitur et "Tergē oculōs!" inquit, "Ego, amīcus tuus, quī tē amō, tēcum sum. In patriam nostram īmus, ubi multī amīcī nōs opperiuntur." Hīs verbīs Mēdus amīcam suam trīstem cōnsōlātur.

Paulō post nihil ā nāve cernitur praeter mare et caelum. Mēdus gubernātōrem interrogat: "Quam in partem nāvigāmus?" Ille respondet: "In merīdiem. Ecce sōl oriēns mihi ā sinistrā est. Sōle duce nāvem gubernō. Bene nāvigāmus ventō secundō atque caelō serēnō."

Dum ille loquitur, Mēdus occidentem spectat et nūbēs ātrās procul suprā mare orīrī videt; simul mare tranquillum fit. "Nōn serēnum est caelum" inquit, "Ecce nūbēs ātrae..." *III*

Gubernātor statim loquī dēsinit et nūbēs spectat; tum vēla aspiciēns exclāmat: "Quid (malum!) hoc est? Nūbēs ātrae ab occidente oriuntur et ventus simul cadit! Ō Neptūne! Dēfende nōs ā tempestāte!" Nauta Neptūnum, deum maris, verētur.

"Cūr Neptūnum invocās?" inquit Mēdus, "Prope tranquillum est mare."

Gubernātor: "Adhūc tranquillum est, sed exspectā paulum: simul cum illīs nūbibus ātrīs tempestās orīrī solet cum tonitrū et fulguribus. Neptūnum invocō,

quod ille dominus maris ac tempestātum est." Nauta perterritus tempestātem venientem opperītur.

Paulō post tōtum caelum ātrum fit, ac fulgur ūnum et alterum, tum multa fulgura caelum et mare illūstrant. Statim sequitur tonitrus cum imbre, et simul magnus ventus flāre incipit. Mare tempestāte turbātur, ac nāvis, quae et hominēs et mercēs multās vehit, flūctibus iactātur et vix gubernārī potest. Nautae multum aquae ē nāve hauriunt, sed nāvis nimis gravis est propter mercēs. Hoc vidēns gubernātor "Iacite mercēs!" inquit nautīs, quī statim mercēs gravēs in mare iacere incipiunt, spectante mercātōre, quī ipse quoque nāve vehitur. Ille trīstis mercēs suās dē nāve lābī et in mare mergī videt. Nēmō eum cōnsōlātur! Nāvis paulō levior fit, simul vērō tempestās multō turbidior et flūctūs multō altiōrēs fīunt.

Mēdus perterritus exclāmat: "Ō Neptūne! Servā mē!" sed vōx eius vix audītur propter tonitrum. Nāvis aquā implērī incipit, neque enim nautae satis multum aquae haurīre possunt.

Cēterīs perterritīs, Lȳdia caelum intuētur et clāmat: "Servā nōs, domine!"

Mēdus: "Quis est ille dominus quem tū invocās?"

Lȳdia: "Est dominus noster Iēsūs Chrīstus, quī nōn modo hominibus, sed etiam ventīs et marī imperāre potest."

Mēdus: "Meus dominus nōn est ille! Ego iam nūllīus dominī servus sum. Nēmō mihi imperāre potest!"

iactāre = iacere atque iacere

haurīre
propter *prp+acc*

spectant*e* mercātōr*e* = dum mercātor spectat

...vērō = sed...: simul vērō = sed simul
fit fīunt

servāre

cēterīs perterritīs = dum cēterī perterritī sunt

nūllus -a -um, *gen* -īus

nec vērō = sed nōn

locō (*abl*) movēre = ē locō movēre

iterum = rūrsus

fit fīunt, *inf* fierī

Hīc magnus flūctus nāvem pulsat. Mēdus Lȳdiam lābentem complectitur ac sustinēre cōnātur, nec vērō ipse pedibus stāre potest. Mēdus et Lȳdia simul lābuntur. Mēdus surgere cōnātur, nec vērō sē locō movēre potest, quod Lȳdia perterrita corpus eius complectitur.

Lȳdia iterum magnā vōce Chrīstum invocat: "Ō Chrīste! Iubē mare tranquillum fierī! Servā nōs, domine!"

Mēdus ōs aperit ac Neptūnum iterum invocāre vult, sed magnus flūctus ōs eius aquā implet. Mēdus loquī cōnātur neque potest.

Tum vērō ventus cadere incipit! Iam flūctūs nōn tantī sunt quantī paulō ante. Nautae fessī aquam haurīre dēsinunt ac laetantēs mare iterum tranquillum fierī aspiciunt.

GRAMMATICA LATINA

dēpōnēns -entis (*dēp*)

[1] *-ārī: -ātur -antur*
[2] *-ērī: -ētur -entur*
[3] *-ī: -itur -untur*
[4] *-īrī: -ītur -iuntur*
ēgredī ēgrediuntur
orīrī oritur

Vocābula nova:
nāvis
portus
locus
ōra
merx
nauta
ventus
tempestās
flūctus
vēlum
puppis
gubernātor

Verba dēpōnentia

Mēdus laetā*tur* (= gaudet) nec dominum verē*tur* (= timet). Nauta nōn proficīsci*tur* (= abit), sed ventum secundum operī*tur* (= exspectat).

'Lāetā*rī*', 'verē*rī*', 'proficīscī', 'opperī*rī*' verba dēpōnentia sunt. Verbum dēpōnēns est verbum quod semper fōrmam verbī passīvī habet (praeter participium: laetā*ns*, verē*ns*, proficīscē*ns*, opperiē*ns*) atque in locō verbī āctīvī pōnitur.

Alia exempla verbōrum dēpōnentium: cōnsōlārī, cōnārī, intuērī, sequī, loquī, lābī, complectī, ēgredī, orīrī.

Mēdus ex Italiā proficīscē*ns* sōlem ori*entem* intuē*tur*. Nāvis ē portū ēgredi*tur;* aliae nāvēs eam sequ*untur*. Dum Lȳdia loqui*tur*, lacrimae dē oculīs eius lāb*untur*. Mēdus eam complecti*tur* et cōnsōlā*rī* cōnā*tur*.

PENSVM A

Nautae, quī Neptūnum ver–, tempestātem opper–. Mēdus et Lȳdia ex Italiā proficīsc–. Lȳdia Mēdum in puppim ascendentem sequ–. Dum nauta loqu–, Mēdus occidentem intu–, unde nūbēs ātrae ori–. Simul tempestās or–. Mercātor trīstis mercēs suās in mare lāb– videt; nēmō eum cōnsōl– potest.

Quī ab amīcīs proficīsc– laet– nōn potest.

PENSVM B

Brundisium est oppidum — (in — maritimā situm) quod magnum — habet. Portus est — quō — ad terram adīre possunt.

Cum nūllus — flat, mare — est. — est magnus ventus quī mare — et altōs — facit. Gubernātor est — quī in — nāvis sedēns nāvem —. Partēs caelī sunt — et —, — et merīdiēs. Oriēns est ea caelī pars unde sōl —, occidēns est ea pars quō sōl —.

Mēdus et Lȳdia nāvem — atque ex Italiā —. Ventus — est, nāvis plēnīs — ex portū —; sed in altō marī tempestās —: magnus ventus — incipit et tōtum mare turbidum —. Nautae aquam ē nāve — et — in mare iaciunt. Mēdus Neptūnum —: "Ō Neptūne! — mē!" Nāvis flūctibus — nec — [= sed nōn] mergitur.

PENSVM C

Quae nāvēs Rōmam adīre possunt?
Quid est 'ōstium' flūminis?
Num Tiberis in mare Superum īnfluit?
Quandō nāvēs ē portū ēgrediuntur?
Ubi sedet gubernātor et quid agit?
Quae sunt quattuor partēs caelī?
Quās rēs Mēdus et Lȳdia sēcum ferunt?
Quō Mēdus cum amīcā suā īre vult?
Cūr trīstis est Lȳdia?
Quem deum invocant nautae?
Cūr mercēs in mare iaciuntur?
Num nāvis eōrum mergitur?

oriēns
occidēns
septentriōnēs
altum
tonitrus
fulgur
situs
superus
īnferus
maritimus
tranquillus
turbidus
contrārius
serēnus
āter
interesse
appellāre
nāvigāre
īnfluere
opperīrī
flāre
turbāre
implēre
ēgredī
gubernāre
orīrī
occidere
cōnscendere
proficīscī
sequī
cernere
laetārī
verērī
intuērī
lābī
complectī
cōnsōlārī
loquī
invocāre
iactāre
haurīre
servāre
cōnārī
fierī fit fīunt
paulum
semper
simul
vix
praetereā
iterum
sīve
vērō
propter
dēpōnēns

discipulus digitīs computat

NVMERI DIFFICILES

discere: discipulus discit
docēre: magister docet

In lūdō puerī numerōs et litterās discunt. Magister pue- *1*
rōs numerōs et litterās docet. Magister puerōs multās rēs docēre potest, nam is multās rēs scit quās puerī nesciunt. Magister est vir doctus. Puerī adhūc indoctī sunt.

ne-scīre = nōn scīre
doctus -a -um
in-doctus = nōn doctus

Sextus manum tollit

Quī paulum aut nihil discere potest, stultus esse dīcitur. Quī discere nōn vult atque in lūdō dormit, piger esse dīcitur. Discipulus quī nec stultus nec piger est, sed prūdēns atque industrius, multās rēs ā magistrō discere potest. —

prūdēns -entis ↔ stultus
industrius -a -um ↔ piger -gra -grum

quis-que = et ūnus et alter et tertius...; *acc* quem-que
quisque ante suam sellam
nēmō eōrum = nēmō ex iīs

Magister Diodōrus recitāre dēsinit et puerōs aspicit, quī tacitī stant ante suam quisque sellam; nēmō eōrum dormit. Magister discipulum quemque cōnsīdere iubet, prīmum Sextum, deinde Titum, postrēmō Mārcum.

Magister: "Nunc tempus est numerōs discere. Prī- *15*
mum dīc numerōs ā decem ūsque ad centum!"

dīcere, *imp* dīc! dīcite!

tollere

Quisque puer manum tollit, prīmum Sextus, tum Titus, postrēmō Mārcus. Magister Titum interrogat.

Titus: "Decem, ūndecim, duodecim, trēdecim, quattuordecim, quīndecim, sēdecim, septendecim, duodēvīgintī, ūndēvīgintī, vīgintī, vīgintī ūnus, vīgintī duo..."

Hīc magister eum interpellat: "Necesse nōn est omnēs numerōs dīcere; ā vīgintī dīc decimum quemque numerum tantum, Tite!"

Titus: "Vīgintī, trīgintā, quadrāgintā, quīnquāgintā, sexāgintā, septuāgintā, octōgintā, nōnāgintā, centum."

Magister: "Bene numerās, Tite. Iam tū, Sexte, dīc numerōs ā centum ad mīlle!"

Sextus: "Longum est tot numerōs dīcere!"

Magister: "At satis est decem numerōs dīcere, id est centēsimum quemque."

Sextus: "Centum, ducentī, trecentī, quadringentī, quīngentī, sescentī, septingentī, octingentī, nōngentī, mīlle."

Magister: "Quot sunt trīgintā et decem?"

Omnēs puerī simul respondent, nēmō eōrum manum tollit. Titus et Sextus ūnō ōre dīcunt: "Quadrāgintā." Mārcus vērō dīcit: "Quīnquāgintā." Quod Mārcus dīcit rēctum nōn est. Respōnsum Titī et Sextī rēctum est: iī rēctē respondent. Respōnsum Mārcī est prāvum: is prāvē respondet.

II Magister Titum et Sextum laudat: "Vōs rēctē respondētis, Tite et Sexte. Discipulī prūdentēs atque industriī estis." Deinde Mārcum interrogat: "Quot sunt trīgintā et septem?"

X decem
XI ūn-decim
XII duo-decim
XIII trē-decim
XIV quattuor-decim
XV quīn-decim
XVI sē-decim
XVII septen-decim
XVIII duo-dē-vīgintī
XIX ūn-dē-vīgintī
XX vīgintī
XXX trīgintā
XL quadrāgintā
L quīnquāgintā
LX sexāgintā
LXX septuāgintā
LXXX octōgintā
XC nōnāgintā
C centum

tot (*indēcl*) = tam multī -ae -a

centēsimus -a -um = C (100.)
C centum
CC du-centī -ae -a
CCC tre-centī -ae -a
CCCC quadringentī -ae -a
D quīn-gentī -ae -a
DC ses-centī -ae -a
DCC septin-gentī -ae -a
DCCC octin-gentī -ae -a
DCCCCnōn-gentī -ae -a
M/CIↃ mīlle

rēctus -a -um
respōnsum -ī *n* = quod respondētur
prāvus -a -um ↔ rēctus
prāvē ↔ rēctē

laudāre

trīgintā septem = XXXVII (37)

Mārcus: "Ad hoc rēctē respondēre possum: trīgintā et septem sunt trīgintā septem."

"Rēctē respondēs, Mārce" inquit magister, "Quot sunt trīgintā et octō?"

facilis -e

Mārcus: "Facile est ad hoc respondēre."

Magister: "Nōn tam facile quam tū putās!"

Mārcus: "Trīgintā et octō sunt trīgintā octō."

duo-dē-quadrāgintā = XXXVIII (38)

Magister: "Prāvē dīcis! Trīgintā et octō sunt duodēquadrāgintā. Quot sunt trīgintā et novem?"

Mārcus: "Trīgintā novem."

ūn-dē-quadrāgintā = XXXIX (39)
cōgitāre

Magister: "Ō Mārce! Id quoque prāvum est. Trīgintā et novem sunt ūndēquadrāgintā. Cūr nōn cōgitās antequam respondēs?"

Mārcus: "Semper cōgitō antequam respondeō."

stultus es
stultē respondēs

Magister: "Ergō puer stultus es, Mārce! Cōgitāre nōn potes! Nam stultē et pravē respondēs!" Magister Mārcum nōn laudat, sed reprehendit.

reprehendere ↔ laudāre

numquam = nūllō tempore
numquam ↔ semper

Mārcus: "Cūr ego semper ā tē reprehendor, numquam laudor? Titus et Sextus semper laudantur, numquam reprehenduntur."

Magister: "Tū ā mē nōn laudāris, Mārce, quia numquam rēctē respondēs. Semper prāvē respondēs, ergō reprehenderis!"

dif-ficilis -e ↔ facilis

Mārcus: "At id quod ego interrogor nimis difficile est. Atque ego semper interrogor!"

Magister: "Tū nōn semper interrogāris, Mārce. Titus et Sextus saepe interrogantur."

saepe = multīs temporibus

Mārcus: "Nōn tam saepe quam ego."

Titus: "Nōs quoque saepe interrogāmur, nec vērō prāvē respondēmus. Itaque nōs ā magistrō laudāmur, nōn reprehendimur."

Mārcus: "Et cūr vōs semper laudāminī? Quia id quod vōs interrogāminī facile est — ego quoque ad id rēctē respondēre possum. Praetereā magister amīcus est patribus vestrīs, patrī meō inimīcus. Itaque vōs numquam reprehendiminī, quamquam saepe prāvē respondētis; ego vērō numquam laudor, quamquam saepe rēctē respondeō!"

quamquam ↔ quia

Sextus: "At frāter tuus saepe laudātur, Mārce."

Magister: "Rēctē dīcis, Sexte: Quīntus bonus discipulus est, et industrius et prūdēns." Quīntus ā magistrō laudātur, quamquam abest.

III Sextus: "Nōnne tū laetāris, Mārce, quod frāter tuus etiam absēns ā magistrō laudātur?"

absēns -entis = quī abest

Mārcus: "Ego nōn laetor cum frāter meus laudātur! Et cūr ille laudātur hodiē? Quia discipulum absentem reprehendere nōn convenit!"

as

Magister īrātus virgam tollēns "Tacēte, puerī!" inquit, "Nōnne virgam meam verēminī?"

Mārcus: "Nōs nec tē nec virgam tuam verēmur!"

dēnārius

Magister, quī verba Mārcī nōn audit, ex sacculō suō duōs nummōs prōmit, assem et dēnārium, et "Ecce" inquit nummōs ostendēns "as et dēnārius. Ut scītis, ūnus sēstertius est quattuor assēs et ūnus dēnārius quat-

prōmere = sūmere (ē locō)
as assis *m*
dēnārius -ī *m*
I sēstertius = IV assēs
I dēnārius = IV sēstertiī

tuor sēstertiī. Quot assēs sunt quattuor sēstertiī, Tite?"

Titus digitīs computat: "...quattuor...octō...duodecim...sēdecim: quattuor sēstertiī sunt sēdecim assēs."

Magister: "Et decem dēnāriī quot sēstertiī sunt?"

Titus: "Quadrāgintā."

duo-dē-quīnquāgintā = XLVIII (48)

Magister: "Quot dēnāriī sunt duodēquīnquāgintā sēstertiī?"

Titus magistrō interrogantī nihil respondet.

Magister: "Respōnsum tuum opperior, Tite. Cūr mihi nōn respondēs?"

Titus: "Nōndum tibi respondeō, quod prīmum cōgitāre oportet. Duodēquīnquāgintā est numerus difficilis!"

oportēre: oportet = necesse est, convenit

Sextus: "*Ego* respōnsum sciō"

Sextus manum tollēns "Ego respōnsum sciō" inquit.

Sextus dīcit '*sē* respōnsum scīre'

Magister: "Audī, Tite: Sextus dīcit 'sē respōnsum scīre.' Sed exspectā, Sexte! Nōn oportet respondēre antequam interrogāris."

Titus: "Duodēquīnquāgintā sēstertiī sunt dēnāriī... quattuordecim? an quīndecim? Nōn certus sum!" Titus nōn certus, sed incertus est, et respōnsum incertum dat magistrō.

certus -a -um

in-certus = nōn certus

Magister: "Respōnsum certum magistrō dare oportet. Respōnsum incertum nūllum respōnsum est. Nunc tibi licet respondēre, Sexte."

Quamquam difficilis est numerus, Sextus statim rēctē respondet: "Duodēquīnquāgintā sēstertiī sunt duodecim dēnāriī."

Magister iterum Sextum laudat: "Bene computās, Sexte! Semper rēctē respondēs. Ecce tibi assem dō." Diodōrus assem dat Sextō, et dēnārium in sacculō repōnit.

Mārcus: "Discipulō tam industriō dēnārium dare oportet. Largus nōn es, magister. Pecūniam tuam nōn largīris."

Diodōrus: "Nōn oportet pecūniam largīrī discipulīs."

Mārcus: "Quārē igitur tot numerōs difficilēs discimus?"

Magister: "Quia necesse est computāre scīre, ut multīs exemplīs tibi dēmōnstrāre possum. Sī tria māla ūnō asse cōnstant et tū decem assēs habēs, quot māla emere potes?"

Mārcus: "Tot assēs nōn habeō — nōn tam largus est pater meus; nec mihi licet tot māla emere."

Magister: "Id nōn dīcō. Ecce aliud exemplum: Sī tū sex assēs cum frātre tuō partīris, quot sunt tibi?"

Mārcus: "Quīnque!"

Magister: "In aequās partēs pecūniam partīrī oportet. Sī vōs sex assēs aequē partīminī, quot tibi sunt?"

Mārcus: "Pecūniam meam exiguam nōn largior nec partior cum aliīs!"

Postrēmō magister "Ō Mārce!" inquit, "hōc modō nihil tē docēre possum! Tam stultus ac tam piger es quam asinus!"

dare: dō damus
dās datis
dat dant

re-pōnere = rūrsus pōnere

largus -a -um = quī multum dat
largīrī = multum dare

quā-rē? = cūr?

dē-mōnstrāre = mōnstrāre (verbīs)

partīrī = dīvidere (in partēs)

aequē partīrī = in aequās partēs dīvidere

-or
-ris
-mur
-minī

	sing.	plūr.
I	*-or*	*-mur*
II	*-ris*	*-minī*
III	*-tur*	*-ntur*

[1] iactār|ī
iact|*or* iactā|*mur*
iactā|*ris* iactā|*minī*
iactā|*tur* iacta|*ntur*
[2] vidē|rī
vide|*or* vidē|*mur*
vidē|*ris* vidē|*minī*
vidē|*tur* vide|*ntur*
[3] merg|ī
merg|*or* merg|*imur*
merg|*eris* merg|*iminī*
merg|*itur* merg|*untur*
[4] audī|rī
audi|*or* audī|*mur*
audī|*ris* audī|*minī*
audī|*tur* audi|*untur*

[1]	*-or*	*-āmur*
	-āris	*-āminī*
	-ātur	*-antur*
[2]	*-eor*	*-ēmur*
	-ēris	*-ēminī*
	-ētur	*-entur*
[3]	*-or*	*-imur*
	-eris	*-iminī*
	-itur	*-untur*
	-ior	*-imur*
	-eris	*-iminī*
	-itur	*-iuntur*
[4]	*-ior*	*-īmur*
	-īris	*-īminī*
	-ītur	*-iuntur*

GRAMMATICA LATINA

Persōnae verbī passīvī

Ego ā magistrō laud*or* = magister mē laudat.
Tū ā magistrō laudā*ris* = magister tē laudat.
Nōs ā magistrō laudā*mur* = magister nōs laudat.
Vōs ā magistrō laudā*minī* = magister vōs laudat.

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	laud|*or*	laudā|*mur*
Persōna secunda	laudā|*ris*	laudā|*minī*
Persōna tertia	laudā|*tur*	lauda|*ntur*

Exempla: [1] iact|*or* iactā|*mur;* [2] vide|*or* vidē|*mur;* [3] merg|*or* merg|*imur;* [4] audi|*or* audī|*mur.*

Nauta, quī flūctibus iact*ātur* ac merg*itur:* "Flūctibus iact*or* ac merg*or!* Servā mē, Neptūne, quī prope ades, quamquam nec vid*ēris* nec aud*īris* ab hominibus." Neptūnus: "Flūctibus iact*āris,* nauta, nec vērō merg*eris!* Nam ego adsum, quamquam nec vid*eor* nec aud*ior.*" Deus ab hominibus nec vid*ētur* nec aud*ītur.*

Nautae, quī flūctibus iact*antur* ac merg*untur:* "Flūctibus iact*āmur* ac merg*imur!* Servāte nōs, ō deī bonī, quī prope adestis, quamquam nec vid*ēminī* nec aud*īminī* ab hominibus." Deī: "Flūctibus iact*āminī,* nautae, nec vērō merg*iminī!* Nam nōs adsumus, quamquam nec vid*ēmur* nec aud*īmur.*" Deī ab hominibus nec vid*entur* nec aud*iuntur.*

[1] Ut 'laud*or* laud*āmur*' dēclīnantur verba passīva et dēpōnentia quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-ārī.*

[2] Ut 'vid*eor* vid*ēmur*' dēclīnantur verba passīva et dēpōnentia quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-ērī.*

[3] Ut 'merg*or* merg*imur*' dēclīnantur verba passīva et dēpōnentia quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-ī* (praeter ea quae *-i-* habent ante *-or* et *-untur,* ut 'cap*ior* cap*iuntur*', 'ēgred*ior* ēgred*iuntur*').

[4] Ut 'aud*ior* aud*īmur*' dēclīnantur verba passīva et dēpōnentia quōrum īnfīnītīvus dēsinit in *-īrī* (sed 'orīrī oritur').

Exempla verbōrum dēpōnentium: [1] laet|*or* laetā|*mur;*

[2] vere|*or* verē|*mur;* [3] sequ|*or* sequ|*imur;* [4] parti|*or* partī|*mur*.

Lȳdia: "Ego Neptūnum nōn vere*or*. Tūne eum verē*ris*, nauta?" Nauta: "Omnēs nautae deum maris verē*mur*." Lȳdia: "Cūr Neptūnum verē*minī*?"

Nautae Neptūnum vere*ntur*, Lȳdia eum nōn verē*tur*.

vere*or*	verē*mur*
= time*ō*	= timē*mus*
verē*ris*	verē*minī*
= timē*s*	= timē*tis*
verē*tur*	vere*ntur*
= time*t*	= time*nt*

PENSVM A

Mārcus ā magistrō nōn laud–, sed reprehend–. Mārcus: "Cūr ego semper reprehend–, numquam laud–? Titus et Sextus semper laud–, numquam reprehend–." Magister: "Tū nōn laud–, sed reprehend–, quia prāvē respondēs." Mārcus: "Sed ego semper interrog–!" Sextus: "Tū nōn semper interrog–; nōs saepe interrog– nec prāvē respondēmus: itaque ā magistrō laud–, nōn reprehend–." Mārcus: "At facile est id quod vōs interrog–: itaque rēctē respondētis ac laud–!" Titus: "Nōs magistrum ver–. Nōnne tū eum ver–?" Mārcus: "Ego magistrum nōn ver–. Cūr vōs eum ver–?"

PENSVM B

Discipulus est puer quī —. Vir quī puerōs — magister est. Magister est vir — quī multās rēs — quās puerī —. Sextus nec stultus nec piger, sed — atque — est. Magister interrogat, discipulus quī respondēre potest manum —. Nōn — respondēre antequam magister interrogat. Magister: "— numerōs ā decem — ad centum!" — puer manum tollit, prīmum Sextus, deinde Titus, — Mārcus. Sextus numerōs dīcit: "X, XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX, XXX, XL, L, LX, LXX, LXXX, XC, C." Sextus bonus discipulus est, quī semper — respondet; itaque magister eum —. Mārcus, quī semper — respondet, ā magistrō —: "— rēctē respondēs, Mārce! Cūr nōn — antequam respondēs?" Mārcus: "Cūr Titum nōn interrogās? Is nōn tam — interrogātur quam ego." Magister: "Iam eum interrogō: quot sunt XXI et LXVIII?" Titus: "LXXXVII? an LXXXVIII?" Titus nōn —, sed — est ac

Vocābula nova:
respōnsum
as
dēnārius
doctus
indoctus
piger
prūdēns
industrius
rēctus
prāvus
facilis
difficilis
absēns
certus
incertus
largus
centēsimus
trēdecim
quattuordecim
quīndecim
sēdecim
septendecim
duodēvīgintī
ūndēvīgintī
quadrāgintā
quīnquāgintā
septuāgintā
quadringentī
quīngentī
sescentī
septingentī
octingentī
nōngentī
discere
docēre

scīre
nescīre
tollere
interpellāre
laudāre
cōgitāre
reprehendere
prōmere
oportēre
computāre
repōnere
largīrī
dēmōnstrāre
partīrī
quisque
tot
postrēmō
rēctē
prāvē
aequē
ūsque
numquam
saepe
quamquam
quārē

magistrō — incertum dat. Sextus vērō rēctē respondet, — difficile est id quod interrogātur. Quod Mārcus interrogātur nōn difficile, sed — est.

Ūnus — est IV sēstertiī, ūnus sēstertius IV —.

PENSVM C

Quid puerī discunt in lūdō?
Cūr Sextus ā magistrō laudātur?
Cūr Mārcus reprehenditur?
Estne facile id quod Titus interrogātur?
Cūr Titus nōn statim respondet?
Uter rēctē respondet, Titusne an Sextus?
Quot sunt ūndētrīgintā et novem?
Trēs sēstertiī quot sunt assēs?
Quot dēnāriī sunt octōgintā sēstertiī?
Num facilēs sunt numerī Rōmānī?
Tūne ā magistrō tuō laudāris?



LITTERAE LATINAE

litterae dīcuntur
A 'ā' N 'en'
B 'bē' O 'ō'
C 'cē' P 'pē'
D 'dē' Q 'cū'
E 'ē' R 'er'
F 'ef' S 'es'
G 'gē' T 'tē'
H 'hā' V 'ū'
I 'ī' X 'ix'
K 'kā' Y 'ypsīlon'
L 'el' Z 'zēta'
M 'em'

I Discipulī nōn modo numerōs, sed etiam litterās discunt. Parvī discipulī, ut Mārcus et Titus et Sextus, litterās Latīnās discunt. Magnī discipulī litterās Graecās et linguam Graecam discunt. Lingua Graeca difficilis est.

Ecce omnēs litterae Latīnae, quārum numerus est vīgintī trēs, ab A ūsque ad Z: A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z. Litterae sunt aut vōcālēs aut cōnsonantēs: vōcālēs sunt A, E, I, O, V, Y; cēterae sunt cōnsonantēs. (Etiam I et V cōnsonantēs sunt in vocābulīs IAM, VEL, VOS, QVAM, cēt.)

(littera) vōcālis -is *f*
(littera) cōnsonāns -antis *f*
[in hōc librō U u = V v vōcālis (cōnsonāns V v)]

Litterae Y et Z in vocābulīs Graecīs modo reperiuntur (ut in hōc vocābulō *zephyrus*, id est nōmen ventī quī ab occidente flat). Y et Z igitur litterae rārae sunt in linguā Latīnā, in linguā Graecā frequentēs. K littera, quae frequēns est in linguā Graecā, littera Latīna rārissima est,

zephyrus -ī *m*

rārus -a -um

frequēns -entis ↔ rārus

Kaesō -ōnis *m*

quae-que syllaba : et prīma et secunda et tertia syllaba

īdem ea-dem idem (< is ea id + -dem): *īdem* numerus (*m*), *eadem* littera (*f*), *idem* vocābulum (*n*)

per sē : sōla

facere/fierī (*āct/pass*): vōcālis syllabam *facere* potest; sine vōcālī syllaba *fierī* nōn potest

iungere ↔ dīvidere

con-iungere = iungere

uter- utra- utrum-que, *gen* utrīus-que

varius -a -um ↔ īdem

īdem ea-dem idem, *acc* eu*n*-dem ea*m*-dem idem (< eu*m*- ea*m*-dem)

erus -ī *m* = dominus

utraque lingua : lingua Graeca et Latīna

quis- quae- quod-que, *acc* quem- quam- quod-que, *gen* cuius-que

sīc = hōc modō

nam K in ūnō vocābulō Latīnō tantum reperītur, id est *kalendae* (itemque in praenōmine *Kaesō*, quod praenōmen Rōmānōrum rārissimum est).

Hoc vocābulum *amīca* quīnque litterās habet et trēs syllabās: *a-mī-ca*. Quaeque syllaba vōcālem habet, ergō numerus syllabārum et vōcālium īdem est. In prīmā et in postrēmā syllabā huius vocābulī eadem vōcālis est: *a*. Vōcālis est littera quae per sē syllabam facere potest, ut *a* syllabam prīmam facit in vocābulō *amīca*. Sine vōcālī syllaba fierī nōn potest. Cōnsonāns per sē syllabam nōn facit, sed semper cum vōcālī in eādem syllabā iungitur. In exemplō nostrō *m* cum *ī* iungitur in syllabā secundā *mī*, et *c* cum *a* in syllabā tertiā *ca*.

Cum syllabae iunguntur, vocābula fīunt. Cum vocābula coniunguntur, sententiae fīunt. Ecce duae sententiae: *Lingua in ōre inest* et *Lingua Latīna difficilis est*. Vocābulum prīmum utrīusque sententiae idem est, sed hoc idem vocābulum duās rēs variās significat. Item varia vocābula eandem rem vel eundem hominem significāre possunt, ut *ōstium* et *iānua*, *dominus* et *erus* (sed *erus* est vocābulum multō rārius quam *dominus*).

Quī litterās nescit legere nōn potest. Magister, quī puerōs legere docet, ipse et librōs Latīnōs et Graecōs legere potest, nam is utramque linguam scit. Quōmodo parvus discipulus hanc sententiam legit: *Mīles Rōmānus fortiter pugnat*? Discipulus quamque litteram cuiusque vocābulī sīc legit: "M-I mī, L-E-S les: mī-les, R-O Rō, M-A

mā, Rō-mā-, N-V-S nus: Rō-mā-nus..." Ita quodque vocābulum cuiusque sententiae ā discipulō legitur. (In hāc sententiā vocābulum *fortiter* novum est, sed quī vocābulum *fortis* scit, hoc vocābulum quoque intellegit, nam mīles fortis est mīles quī fortiter pugnat.)

ita = eō modō

intellegere

fort*is* fort*iter*: mīles fort*is* fort*iter* pugnat

In lūdō puerī nōn modo legere, sed etiam scrībere discunt. Quisque discipulus in tabulā suā scrībit eās sententiās quās magister eī dictat. Ita puerī scrībere discunt.



discipulī scrībunt magistrō dictante

Magister discipulīs imperat: "Prōmite rēgulās vestrās et līneās rēctās dūcite in tabulīs. Tum scrībite hanc sententiam: *Homō oculōs et nāsum habet.*"

līnea rēcta

Quisque puer stilum et rēgulam prōmit et dūcit līneam rēctam in tabulā suā; tum scrībere incipit. Discipulī eandem sententiam nōn eōdem modō, sed variīs modīs scrībunt. Sextus ūnus ex tribus puerīs rēctē scrībit: HOMO OCVLOS ET NASVM HABET. Titus sīc scrībit: HOMO HOCVLOS ET NASVM HABET. Mārcus vērō sīc: OMO OCLOS ET NASV ABET.

ūnus : sōlus
trēs tria, *abl* tribus

II Magister: "Date mihi tabulās, puerī!"

dare, *imp* dā! date!

quālis -e

tālis -e (= quī ita est)

pulch*er*, *comp* pulchrior, *sup* pulch*errimus* -a -um

simul = eōdem tempore

pig*er*, *comp* pigrior, *sup* pig*errimus* -a -um

Discipulī magistrō tabulās suās dant. Is tabulam cuiusque puerī in manūs sūmit litterāsque eōrum aspicit. Quālēs sunt litterae Sextī? Pulchrae sunt. Quālēs sunt litterae Mārcī et Titī? Litterae eōrum foedae sunt ac vix legī possunt. Magister suam cuique discipulō tabulam reddit, prīmum Sextō, tum Titō, postrēmō Mārcō, atque "Pulchrē et rēctē scrībis, Sexte" inquit, "Facile est tālēs litterās legere. At litterae vestrae, Tite et Mārce, legī nōn possunt! Foedē scrībitis, pigrī discipulī!" Magister Titum et Mārcum sevērē reprehendit.

Titus: "Certē pulcherrimae sunt litterae Sextī, sed meae litterae pulchriōrēs sunt quam Mārcī."

Magister: "Reddite mihi tabulās, Tite et Mārce!"

Titus et Mārcus tabulās suās reddunt magistrō, quī eās simul aspicit. Magister litterās Titī comparat cum litterīs Mārcī, et "Litterae vestrae" inquit "aequē foedae sunt: tū, Tite, neque pulchrius neque foedius scrībis quam Mārcus."

Titus: "At certē rēctius scrībō quam Mārcus."

Magister: "Facile est rēctius quam Mārcus scrībere, nēmō enim prāvius scrībit quam ille! Nōn oportet sē comparāre cum discipulō pigerrimō ac stultissimō! Comparā tē cum Sextō, quī rēctissimē et pulcherrimē scrībit." Tum sē vertēns ad Mārcum: "Tū nōn modo foedissimē, sed etiam prāvissimē scrībis, Mārce! Nescīs Latīnē scrībere! Puer pigerrimus es atque stultissimus!" Iam Mārcus multō sevērius reprehenditur quam Titus.

Mārcus (parvā vōce ad Titum): "Magister dīcit 'mē prāvē scrībere': ergō litterās meās legere potest."

At magister, quī verba Mārcī exaudit, "Litterās tuās turpēs" inquit "legere nōn possum, sed numerāre possum: quattuor litterās deesse cernō. Aspice: in vocābulō prīmō et in vocābulō postrēmō eadem littera H deest."

Mārcus: "At semper dīcō 'omō abet'."

Magister: "Nōn semper idem dīcimus atque scrībimus. In vocābulō secundō V deest, in quārtō M. Quid significant haec vocābula turpia *oclōs* et *nāsu*? Tālia verba Latīna nōn sunt! Nūllum rēctum est vocābulum praeter ūnum *et*, atque id vocābulum est frequentissimum et facillimum! Quattuor menda in quīnque vocābulīs! Nēmō alter in tam brevī sententiā tot menda facit!"

Magister stilō suō addit litterās quae dēsunt; ita menda corrigit. Tum vērō "Nec sōlum" inquit "prāvē et turpiter, sed etiam nimis leviter scrībis. Hās līneās tenuēs vix cernere possum. Necesse est tē stilum gravius in cēram premere." (Discipulī in cērā scrībunt, nam tabulae eōrum cērā operiuntur. Cēra est māteria mollis quam apēs, bēstiolae industriae, faciunt.)

Mārcus: "Stilum graviter premō, sed cēra nimis dūra est. Aliam tabulam dā mihi! Haec cēra prope tam dūra est quam ferrum." (Ferrum est māteria dūra ex quā cultrī, gladiī, stilī aliaeque rēs multae efficiuntur.)

Magister Mārcō eandem tabulam reddit et "Cēra tua" inquit "tam mollis est quam Sextī, et facile est eius

ex-audīre = audīre (quod parvā vōce dīcitur)

turpis -e = foedus

de-esse (: ab-esse)
de-est dē-sunt

facilis, *comp* facilior, *sup* facill*imus* -a -um

mendum -ī *n*: m. facere = prāvē scrībere

ad-dere < ad + dare

corrigere = rēctum facere

leviter scrībere = levī manū scrībere



bēsti*ola* -ae *f* = parva bēstia

dūrus -a -um ↔ mollis -e

ferrum -ī *n*

ef-ficere -iō = facere (< ex + facere)

litterās legere. Sūme tabulam tuam et scrībe H litteram

deciēs = 10×

deciēs!"

-iēs [×]:
quotiēs? totiēs:
deciēs = 10×
noviēs = 9×
octiēs = 8×
septiēs = 7×
sexiēs = 6×
quīnquiēs = 5×
quater = 4×
ter = 3×
bis = 2×
semel = 1×

Mārcus deciēs H scrībit: H H H H H H H H H H. Tum *III* magister eum V sexiēs scrībere iubet, et Mārcus, quī eandem litteram totiēs scrībere nōn vult, V V V V scrībit. Quotiēs Mārcus V scrībit? Mārcus, ut piger discipulus, quater tantum V scrībit. Deinde magister eum tōtum vocābulum NASVM quīnquiēs scrībere iubet, et Mārcus scrībit NASVM NASVM NASVM NASV NASV. Mārcus ter rēctē et bis prāvē scrībit.

Tum Titus, quī duās litterās deesse videt, sīc incipit: "Magister! Mārcus bis..." — cum Mārcus stilum dūrum in partem corporis eius mollissimam premit! Titus tacet nec fīnem sententiae facere audet. Magister vērō hoc nōn animadvertit.

animadvertere = vidēre vel audīre

Magister: "Iam tōtam sententiam rēctē scrībe!"

Mārcus interrogat: "Quotiēs?"

semel = 1×

Magister breviter respondet: "Semel."

Mārcus tōtam sententiam iterum ab initiō scrībere incipit: HOMO HOCVLOS...

Magister: "Quid significat *hoculōs*? Illud vocābulum turpe nōn intellegō!"

Mārcus: "Num hīc quoque littera deest?"

super-esse ↔ de-esse

Magister: "Immō vērō nōn deest, at superest H littera! Num tū *hoculōs* dīcis?"

Mārcus, ut puer improbus, magistrō verba sua reddit: "Nōn semper dīcimus idem atque scrībimus!"

Magister: "Tacē, improbe! Dēlē illam litteram!" Mārcus stilum vertit et litteram H dēlet. Simul Titus idem mendum eōdem modō corrigit in suā tabulā, neque vērō magister hoc animadvertit.

Postrēmō Mārcus "Quārē" inquit "nōs scrībere docēs, magister? Mihi necesse nōn est scrībere posse. Numquam domī scrībō."

Magister: "Num pater tuus semper domī est?"

Mārcus: "Nōn semper. Saepe abest pater meus."

Magister: "Cum pater tuus abest, oportet tē epistulās ad eum scrībere."

Sextus: "Ego frequentēs epistulās ad patrem meum absentem scrībō." Sextus puer probus est ac tam impiger quam apis.

Mārcus: "Ego ipse nōn scrībō, sed Zēnōnī dictō. Zēnō est servus doctus quī et Latīnē et Graecē scit. Īdem servus mihi recitāre solet."

Magister calamum et chartam prōmit et ipse scrībere incipit; is enim calamō in chartā scrībit, nōn stilō in cērā ut discipulī. (Charta ex papȳrō efficitur, id est ex altā herbā quae in Aegyptō apud Nīlum flūmen reperītur. *Charta* et *papȳrus* vocābula Graeca sunt.)

Mārcus magistrum scrībere animadvertit eumque interrogat: "Quid tū scrībis, magister?"

"Epistulam" inquit ille "ad patrem tuum scrībō. Breviter scrībō 'tē esse discipulum improbum'."

Magistrō scrībente, Mārcus "Prāvē scrībis" inquit,

dēlēre ↔ addere

Zēnō

frequentēs : multās

im-piger = industrius (↔ piger)
im- (ante *p*, *m*, *b*) = in-

Zēnō -ōnis *m*

Latīnē scīre = linguam Latīnam scīre
īdem servus : is quoque servus



papȳrus -ī *f*

"syllaba *im* superest. Dēlē illam syllabam et scrībe 'discipulum *probum*'!"

Magister: "Tacē, puer improbissime! Nihil dēleō, immō vērō vocābulum addō: 'tē discipulum improbum atque *pigrum* esse' scrībō!"

"Scrībe '*probum* atque *impigrum*'!" inquit Mārcus, nec vērō haec verba ā magistrō audiuntur.

epistul*ae* (*dat*) addere = ad epistulam addere

Diodōrus, quī diem epistulae addere vult, discipulōs interrogat: "Quī diēs est hodiē?"

kalendae Iūniae = diēs prīmus mēnsis Iūniī

Titus: "Hodiē kalendae Iūniae sunt."

mercēs -ēdis *f*

Magister: "Rēctē dīcis. Kalendae sunt hodiē. Ergō date mihi mercēdem!" (Mercēs est pecūnia quam magister quōque mēnse ā patribus discipulōrum accipit. Discipulī kalendīs cuiusque mēnsis mercēdem magistrō suō afferre solent.)

Sextus et Titus statim magistrō mercēdem dant. Mārcus vērō mercēdem sēcum nōn fert. Magister, antequam epistulam signat, pauca verba addit.

signāre (epistulam) = cērā claudere

"Quid nunc scrībis?" interrogat Mārcus.

"Scrībō 'tē mercēdem ad diem nōn afferre'" respondet magister, atque epistulam signat ānulum suum in cēram imprimēns.

im-primere < in + premere



magister epistulam signat

GRAMMATICA LATINA

Adverbium

Discipulus stult*us* est quī stult*ē* respondet.

Mīles fort*is* est quī fort*iter* pugnat.

'Stult*us*' et 'fort*is*' adiectīva sunt. 'Stult*ē*' et 'fort*iter*' sunt adverbia.

Adiectīvum: *-us -a -um* (dēcl. I/II). Adverbium: *-ē*.

Adiectīvum: *-is -e* (dēcl. III). Adverbium: *-iter*.

Exempla:

Sextus rēct*ē* et pulchr*ē* scrībit, Titus et Mārcus prāv*ē* et turp*iter* scrībunt ac sevēr*ē* reprehenduntur. Magister Latīn*ē* et Graec*ē* scit. Sōl clār*ē* lūcet. Magister brev*iter* respondet. Puer crassus nōn lev*iter*, sed grav*iter* cadit.

Cert*ē* Titus rēct*ius* et pulchr*ius* scrībit quam Mārcus, nēmō prāv*ius* aut turp*ius* scrībit quam ille; Mārcus prāv*issimē* et turp*issimē* scrībit, Sextus rēct*issimē* et pulcherr*imē*. Nēmō fort*ius* pugnat quam Rōmānī: Rōmānī fort*issimē* pugnant.

'Rēct*ius*', 'fort*ius*' est comparātīvus adverbiī, 'rēct*issimē*', 'fort*issimē*' superlātīvus est. Comparātīvus: *-ius*. Superlātīvus: *-issimē*.

stultē < stultus -a -um
fortiter < fortis -e

adverbium -ī *n* (*adv*) < ad + verbum

-ē
-iter

rēctē
rēctius
rēctissimē

fortiter
fortius
fortissimē

-ius
-issimē

PENSVM A

Sextus rēct- respondet, Mārcus prāv- respondet et sevēr- reprehenditur. Nēmō rēct- aut pulchr- scrībit quam Sextus; is rēctissim- et pulcherrim- scrībit. Lūna plēna clār- lūcet, sed sōl clār- lūcet quam lūna et cēterae stēllae; sōl clārissim- lūcet.

Hostēs nōn tam fort- pugnant quam Rōmānī. Mīlitēs nostrī fort- pugnant quam hostēs. Nostrī fortissim- pugnant. Mārcus nimis lev- scrībit. Magister brev- scrībit 'Mārcum improbum esse.'

Vocābula nova:
vōcālis
cōnsonāns
zephyrus
sententia
erus
mendum
cēra
māteria
apis
ferrum
epistula
calamus
charta
papȳrus
mercēs
rārus
frequēns
varius
turpis

PENSVM B

Ex XXIII litterīs Latīnīs VI — sunt: A E I O V Y; cēterae sunt —. Cōnsonāns semper cum vōcālī —. K, Y, Z litterae — sunt in

mollis
dūrus
quālis
tālis
impiger
iungere
coniungere
significāre
legere
intellegere
scrībere
dictāre
comparāre
exaudīre
deesse
addere
corrigere
premere
efficere
animadvertere
superesse
dēlēre
signāre
imprimere
īdem
eadem
idem
quaeque
quodque
sīc
ita
quotiēs
totiēs
semel
bis
ter
quater
quīnquiēs
sexiēs
deciēs
adverbium

— Latīnā, in linguā Graecā —. Vocābula *ōstium* et *iānua* — rem significant; *lingua* duās rēs — significat. Magister librōs Latīnōs et Graecōs — potest.

Discipulī hanc — in tabulīs suīs —: *Homō oculōs et nāsum habet*. Magister tabulam — puerī aspicit, et Sextī et Titī et Mārcī. In tabulā Mārcī IV litterae —. Magister litterās quae dēsunt —; — [= eō modō] magister menda Mārcī —. Tum Mārcus scrībit — [= hōc modō]: HOMO HOCVLOS... Magister: "Ō Mārce! Hīc nōn —, immō — littera H!" Mārcus stilum vertēns H litteram —. Tum magister calamum et — sūmit et — ad patrem Mārcī scrībit.

Cēra est — mollis. Ferrum est māteria —.

PENSVM C

Quot sunt litterae Latīnae?
Estne D vōcālis an cōnsonāns?
Quot syllabās habet vocābulum 'apis'?
Quōmodo parvus discipulus legit?
Quis discipulus rēctissimē scrībit?
Quālēs sunt litterae quās Titus scrībit?
Quālis discipulus est Mārcus?
Cūr Mārcus nōn HOMO, sed OMO scrībit?
Quotiēs Mārcus litteram H scrībit?
Stilōne in tabulā scrībit magister?
Quid magister scrībit?
Estne facilis grammatica Latīna?
Tūne rēctius scrībis quam Mārcus?



tēctum

columnae

signa

MARITVS ET VXOR

I Iūlius cum uxōre suā in peristȳlō ambulat. Uxor eius est Aemilia. Iūlius marītus Aemiliae est. Marītus et uxor inter columnās et signa ambulant. Tēctum peristȳlī altīs columnīs sustinētur, inter quās tria pulchra signa stant: ūnum Iūnōnis, alterum Cupīdinis, tertium Veneris. Iūnō et Venus deae sunt. Cupīdō est fīlius Veneris et Mārtis, quamquam Venus Mārtis coniūnx nōn est, sed alterīus deī, cui nōmen est Vulcānus. Venus enim mala uxor est, quae aliōs deōs amat praeter coniugem suum Vulcānum. Mārs et Vulcānus sunt fīliī Iūnōnis et Iovis; Iūnō enim coniūnx Iovis est. Sed Iuppiter malus marītus est, quī multās aliās deās amat praeter Iūnōnem, coniugem suam. Nēmō deōrum pēior marītus est quam Iuppiter, neque ūlla dea pēior uxor est quam Venus. Inter omnēs deōs deāsque Iuppiter pessimus marītus est ac Venus pessima uxor.

uxor -ōris *f*

marītus Aemiliae = vir Aemiliae
columna -ae *f*
signum -ī *n*
tēctum -ī *n*

Iūnō -ōnis *f*
Cupīdō -inis *m*
Venus -eris *f*
deus -ī *m*; dea -ae *f*
con-iūnx -iugis *f/m* = uxor/marītus
alter -era -erum, *gen* -erīus
Vulcānus -ī *m*

Iuppiter Iovis *m*

malus, *comp* pēior -ius, *sup* pessimus -a -um
ūllus -a -um: neque ūllus = et nūllus

māter familiās = māter (domina) familiae
mātrōna -ae *f* = fēmina quae marītum habet
amor -ōris *m* < amāre

pulchritūdō -inis *f* < pulcher
omnēs -ium *m pl* ↔ nēmō

bonus, *comp* melior -ius, *sup* optimus -a -um
Aemilia: "Iūlius *bonus* vir est, *melior* quam ūllus alius vir: Iūlius est *optimus* omnium virōrum!"

vocāre = appellāre

trēs tria, *gen* trium
duo -ae -o, *gen* duōrum -ārum -ōrum
ūnus -a -um, *gen* -īus
pater *ūnīus* fīliī/fīliae; *duōrum* fīliōrum/*duārum* fīliārum; *trium* fīliōrum /fīliārum

magnus, *comp* māior -ius, *sup* māximus -a -um
parvus, *comp* minor -us, *sup* minimus -a -um

pater familiās = pater (dominus) familiae
adulēscēns -entis *m* = vir quī nōndum XXX annōs habet
virgō -inis *f* = fēmina quae marītum nōndum habet

ab-erat
domus -ūs *f*, *abl* -ō, *pl acc* -ōs

Mātrēs familiās Iūnōnem invocant, ea enim dea est mātrōnārum. Venerem et Cupīdinem invocant amantēs, nam Venus et Cupīdō amōrem in cordibus hominum excitāre possunt. Cupīdō enim est deus amōris, et Venus, pulcherrima omnium deārum, dea amōris ac pulchritūdinis est. Pulchritūdō Veneris ab omnibus laudātur.

Iūlius est bonus marītus quī uxōrem suam neque ūllam aliam fēminam amat. Certē Iūlius marītus melior quam Iuppiter est! Item Aemilia bona uxor est quae marītum suum neque ūllum alium virum amat. Certē Aemilia uxor melior est quam Venus! Aemilia Iūlium 'virum optimum' appellat. Item Iūlius uxōrem suam 'optimam omnium fēminārum' vocat.

Iūlius et Aemilia sunt parentēs trium līberōrum: duōrum fīliōrum et ūnīus fīliae. Līberī adhūc parvī sunt. Mārcus octō annōs habet. Quīntus est puer septem annōrum. Iūlia quīnque annōs habet. Quīntus nōn tantus est quantus Mārcus nec tam parvus quam Iūlia. Quīntus māior est quam Iūlia et minor quam Mārcus. Māximus līberōrum est Mārcus, minima est Iūlia.

Ante decem annōs Iūlius pater familiās nōn erat, tunc enim nec uxōrem nec līberōs habēbat. Iūlius adulēscēns vīgintī duōrum annōrum erat. Aemilia mātrōna nōn erat, sed virgō septendecim annōrum, quae Rōmae apud parentēs suōs habitābat. Domus eōrum nōn procul aberat ab aliā domō, in quā Iūlius cum parentibus

suīs habitābat. Iūlius et Aemilia in eādem urbe habitā-
bant, nōn in eādem domō.

In urbe Rōmā multae domūs sunt et multa templa deōrum. In mediā urbe inter collēs Capitōlium et Palātium est forum Rōmānum, quō hominēs ex tōtā Italiā atque ex omnibus prōvinciīs Rōmānīs conveniunt. In Capitōliō est templum Iovis Optimī Māximī; circum forum Rōmānum sunt alia multa templa deōrum. In Palātiō sunt domūs magnificae. Rōmae plūrēs hominēs habitant quam in ūllā aliā urbe imperiī Rōmānī. Urbs Rōma plūrimōs hominēs et plūrimās domōs habet. Arīminum, Capua, Ōstia magna sunt oppida, sed minōra quam Rōma. Ōstia est oppidum minus quam Rōma, sed māius quam Tūsculum. Rōma urbs māxima atque pulcherrima est tōtīus imperiī Rōmānī.

II Pater Iūliī, quī iam mortuus est, magnam pecūniam habēbat multāsque vīllās magnificās possidēbat praeter domum Rōmānam: is homō dīves erat. Pater Aemiliae erat homō pauper, quī ūnam domum exiguam possidēbat. Aemilia igitur virgō pauper erat, sed tamen Iūlius eam amābat. Cūr Iūlius, adulēscēns dīves, virginem pauperem amābat? Quia ea virgō proba ac fōrmōsa erat. Nec Iūlius amōrem suum occultābat, nam Aemiliam 'amīcam' appellābat et multa dōna eī dabat. Sed tamen Aemilia nōn Iūlium amābat, sed alium virum Rōmānum. Ergō Iūlius miser erat et nocte male dormiēbat.

Vir quī ab Aemiliā amābātur Crassus Dīves nōminā-



templum -ī *n* = domus deī
forum -ī *n* = locus in urbe apertus quō multī conveniunt
con-venīre = in eundem locum venīre
Optimus Māximus: Iovis cognōmen
magnificus -a -um = magnus et pulcher
multī, *comp* plūrēs -a, *sup* plūrimī -ae -a



tōtus -a -um, *gen* -īus

possidēre = habēre

dīves -itis = pecūniōsus

pauper -eris ↔ dīves

tamen : quamquam ea pauper erat
tamen ↔ itaque

dōnum -ī *n* = rēs quae datur

miser -era -erum

bātur. Aemilia Crassum amābat, neque vērō ab eō amābātur, quod parentēs Aemiliae pauperēs erant. Itaque ea quoque misera erat.

Aemilia numquam Iūlium salūtābat, cum eum in forō Rōmānō vidēbat, quamquam ipsa ā Iūliō salūtābātur.

cotīdiē = omnī diē, quōque diē

Iūlius cotīdiē epistulās ad Aemiliam scrībēbat, in quibus pulchritūdō eius laudābātur verbīs magnificīs, ac simul cum epistulīs rosās aliōsque flōrēs pulcherrimōs ad eam mittere solēbat. Initiō Aemilia epistulās Iūliī nōn legēbat nec dōna eius accipiēbat, sed omnia ad eum

flōs flōris *m*: rosa flōs est; rosae et līlia flōrēs sunt

re-mittere

remittēbat; sed post paucōs diēs neque epistulae neque flōrēs remittēbantur...

annō (*abl*) post = post annum
coniugēs -um *m pl* = marītus et uxor

Annō post Iūlius et Aemilia coniugēs erant sub eōdem tēctō habitantēs. Iūlius uxōrem suam amābat et ab eā amābātur.

beātus -a -um ↔ miser

Etiam nunc, decem annīs post, beātī sunt coniugēs. Iūlius Aemiliam amat et ab eā amātur, neque amor coniugum hodiē minor est quam tunc.

ōsculārī (eam) = ōsculum dare (eī)

Iūlius uxōrem ōsculātur et "Ō Aemilia" inquit, "mea optima uxor! Decem annī longum est tempus, sed amor *III*

meus tempore nōn minuitur. Ut tunc tē amābam, ita etiam nunc tē amō."

minuere = minōrem facere

Tum Aemilia, quae verbīs Iūliī dēlectātur, "Ō Iūlī" inquit, "mī optime vir! Meus amor ergā tē multō māior est hodiē quam tunc! Tempus amōrem meum nōn minuit, immō vērō auget!"

Iūlius, meus, *voc* Iūlī! mī!: "Ō Iūlī, *mī* vir!"
ergā *prp* + *acc*

Ad hoc Iūlius rīdēns "Ita est ut dīcis" inquit, "nam tunc ego tē amābam, tū mē nōn amābās! Ego miserrimus eram omnium adulēscentium, quod tū numquam mē salūtābās, cum mē vidēbās, quamquam ego semper tē salūtābam, cum tē vidēbam. Neque epistulās, quās cotīdiē tibi scrībēbam, legēbās, neque flōrēs, quōs tibi multōs mittēbam, accipiēbās, sed omnēs ad mē remittēbās! Propter amōrem nocte vix dormiēbam — semper dē tē cōgitābam..."

augēre = māiōrem facere; ↔ minuere

miser, *comp* miserior, *sup* miserrimus

Aemilia item dē illō tempore cōgitāns "Ego quoque" inquit "tunc miserrima eram. Amābam enim alium virum Rōmānum, quī mē nōn amābat, quod virgō pauper eram."

Iūlius: "Ille vir pessimus tē dignus nōn erat!"

dignus -a -um (+ *abl.*: tē/amōre tuō d.)

Aemilia: "Rēctē dīcis, mī Iūlī. Tū sōlus amōre meō dignus erās, tū enim mē amābās, mihi epistulās scrībēbās ac flōrēs mittēbās, quamquam pecūniam nūllam habēbam. Certē nōn propter pecūniam mē amābās, Iūlī! At nunc tē sōlum nec ūllum alium virum amō. Fēmina beāta sum, quod marītum bonum habeō, et quia nōs trēs līberōs habēmus et cum magnā familiā in hāc vīllā

magnificā habitāmus, quae familiā nostrā digna est. Hoc peristȳlum magnificum, hae columnae, haec signa,

haec (*n pl*) = hae rēs

hī flōrēs — haec omnia cotīdiē mē dēlectant! Ō, quam beātī hīc sumus, Iūlī! Quantus est deōrum ergā nōs amor!"

X annīs (*abl*) ante = ante X annōs

Iūlius: "Est ut dīcis, Aemilia. Decem annīs ante apud parentēs nostrōs habitābāmus, ipsī parentēs nōndum erāmus nec familiam habēbāmus. Tū et parentēs tuī pauperēs erātis, in exiguā domō habitābātis nec ūllam vīllam habēbātis, sed tamen ego tē amābam..."

pauper, *comp* -erior, *sup* -errimus
dīves, *comp* dīvitior, *sup* dīvitissimus

Aemilia: "Quārē ego, virgō pauperrima, ā tē, adulēscente dīvitissimō, amābar?"

Iūlius iterum Aemiliam ōsculāns "Tū ā mē amābāris" inquit, "quod pulcherrima erās omnium virginum Rōmānārum, prope tam pulchra quam ipsa Venus!"

minus pulcher (↔ pulchrior) = nōn tam pulcher

Aemilia: "Num hodiē minus pulchra sum quam tunc eram?"

Iūlius faciem uxōris intuēns "Certē" inquit "mātrōna tam pulchra es quam virgō erās, mea Aemilia. Omnēs pulchritūdinem tuam laudant." Tum vērō fōrmam eius spectāns: "At minus gracilis es quam tunc: eō enim tempore gracilior erās quam hoc signum Veneris."

gracilis -e = tenuis

Aemilia signum Veneris aspicit, cuius corpus gracilius ac minus est quam ipsīus. "Certē tam gracilis hodiē nōn sum" inquit, "sed quārē mē crassiōrem fierī putās?"

ēsse:	edō	edimus
	ēs	ēstis
	ēst	edunt

Iūlius rīdēns respondet: "Quia nunc cibum meliōrem ēs quam tunc edēbās!"

Aemilia: "Id quod nunc edō nec melius nec pēius est quam quod apud parentēs meōs edēbam."

Iūlius: "Ergō plūs ēs quam tunc, Aemilia."

multum, *comp* plūs plūris, *sup* plūrimum -ī
paulum, *comp* minus -ōris, *sup* minimum -ī
opus est = necesse est /oportet

Postrēmō Aemilia "Certē plūs edō quam solēbam" inquit, "sed nec plūs nec minus quam opus est. Nimis stultus vir es, Iūlī! Nōnne intellegis nōn modo amōrem nostrum, sed etiam familiam tempore augērī? Num opus est mē plūs dīcere?"

Amor dōnum est Veneris. Līberī dōna Iūnōnis sunt.

GRAMMATICA LATINA

Verbī tempora

Tempus praesēns et praeteritum

praesēns -entis (*praes*)
praeteritus -a -um

Tempus praesēns (nunc): Māne *est*. Sōl lūce*t*. Omnēs vigila*nt*, nēmō dormi*t*. Avēs canu*nt*.

Tempus praeteritum (tunc): Ante trēs hōrās nox *erat*. Stēllae lūcē*bant*, sōl nōn lūcē*bat*. Nēmō vigilā*bat*, omnēs dormiē*bant*. Avēs nōn canē*bant*.

praeteritum -ī *n* = tempus praeteritum

-bat	*-bant*
-ēbat	*-ēbant*

Praeteritum (pers. III): singulāris *-bat -ēbat*, plūrālis *-bant -ēbant*.

Praeteritum

[A] Āctīvum.

[1] computā|ba|*m*
computā|bā|*s*
computā|ba|*t*
computā|bā|*mus*
computā|bā|*tis*
computā|ba|*nt*
[2] pārē|ba|*m*
pārē|bā|*s*
pārē|ba|*t*
pārē|bā|*mus*
pārē|bā|*tis*
pārē|ba|*nt*

Exempla: [1] computā|re: computā|*bat*; [2] pārē|re: pārē|*bat*; [3] scrīb|ere: scrīb|*ēbat*; [4] dormī|re: dormi|*ēbat*.

Ante vīgintī annōs Iūlius discipulus tam improbus *erat* quam Mārcus nunc est: in lūdō dormiē*bat*, male computā*bat*, foedē scrībē*bat*, neque magistrō suō pārē*bat*.

Mārcus: "Num tū melior discipulus *erās*, pater, quam ego sum? Nōnne tū in lūdō dormiē*bās?* Num semper magistrō pārē*bās*, bene computā*bās* et pulchrē scrībē*bās?*" Iūlius: "Ego

[3] scrīb|*ēba*|*m*
scrīb|*ēbā*|*s*
scrīb|*ēba*|*t*
scrīb|*ēbā*|*mus*
scrīb|*ēbā*|*tis*
scrīb|*ēba*|*nt*
[4] dormi|*ēba*|*m*
dormi|*ēbā*|*s*
dormi|*ēba*|*t*
dormi|*ēbā*|*mus*
dormi|*ēbā*|*tis*
dormi|*ēba*|*nt*
esse *era*|*m* *erā*|*mus*
erā|*s* *erā*|*tis*
era|*t* *era*|*nt*

[1,2] *-ba*|*m* *-bā*|*mus*
-bā|*s* *-bā*|*tis*
-ba|*t* *-ba*|*nt*
[3,4] *-ēba*|*m* *-ēbā*|*mus*
-ēbā|*s* *-ēbā*|*tis*
-ēba|*t* *-ēba*|*nt*

[1] laudā|*ba*|*r*
laudā|*bā*|*ris*
laudā|*bā*|*tur*
laudā|*bā*|*mur*
laudā|*bā*|*minī*
laudā|*ba*|*ntur*
[2] timē|*ba*|*r*
timē|*bā*|*ris*
timē|*bā*|*tur*
timē|*bā*|*mur*
timē|*bā*|*minī*
timē|*ba*|*ntur*
[3] reprehend|*ēba*|*r*
reprehend|*ēbā*|*ris*
reprehend|*ēbā*|*tur*
reprehend|*ēbā*|*mur*
reprehend|*ēbā*|*minī*
reprehend|*ēba*|*ntur*
[4] pūni|*ēba*|*r*
pūni|*ēbā*|*ris*
pūni|*ēbā*|*tur*
pūni|*ēbā*|*mur*
pūni|*ēbā*|*minī*
pūni|*ēba*|*ntur*

[1,2] *-ba*|*r* *-bā*|*mur*
-bā|*ris* *-bā*|*minī*
-bā|*tur* *-ba*|*ntur*
[3,4] *-ēba*|*r* *-ēbā*|*mur*
-ēbā|*ris* *-ēbā*|*minī*
-ēbā|*tur* *-ēba*|*ntur*

numquam in lūdō dormi*ēbam*, semper magistrō pārē*bam*, bene computā*bam* et pulchrē scrīb*ēbam!* Certē ego discipulus multō melior *eram* quam tū nunc es!"

Quīntus: "Quid? Num vōs meliōrēs discipulī *erātis* quam nōs sumus? Nōnne vōs in lūdō dormi*ēbātis?* Num semper magistrō pārē*bātis*, bene computā*bātis* et pulchrē scrīb*ēbātis?*"

Iūlius: "Nōs numquam in lūdō dormi*ēbāmus*, semper magistrō pārē*bāmus*, bene computā*bāmus* et pulchrē scrīb*ēbāmus!* Certē nōs discipulī multō meliōrēs *erāmus* quam vōs nunc estis!"

Iūlius vērum nōn dīcit: ante vīgintī annōs discipulī tam malī *erant* quam nunc sunt: in lūdō dormi*ēbant*, male computā*bant*, foedē scrīb*ēbant*, neque magistrō suō pārē*bant!*

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
Persōna prīma	-bam	-bāmus	-ēbam	-ēbāmus
Persōna secunda	-bās	-bātis	-ēbās	-ēbātis
Persōna tertia	-bat	-bant	-ēbat	-ēbant

[B] Passīvum.

Iūlius magistrum suum nōn timēbat, sed ipse ā magistrō timē*bātur!* Itaque nōn reprehendē*bātur* nec pūniē*bātur*, sed laudā*bātur* ā magistrō.

Mārcus: "Num tū semper ā magistrō tuō laudā*bāris?* Nōnne reprehendē*bāris* ac pūniē*bāris?*" Iūlius: "Ego ā magistrō meō saepe laudā*bar*, numquam reprehendē*bar* aut pūniē*bar*. Ego magistrum nōn timēbam, sed ipse ab eō timē*bar!*" Mārcus: "Tūne ā magistrō timē*bāris?*" Iūlius: "Nōs omnēs ā magistrō timē*bāmur*. Itaque nōn reprehendē*bāmur* nec pūniē*bāmur*, sed semper laudā*bāmur!*" Mārcus: "Nōn vērum dīcis! Vōs nōn timē*bāminī* ā magistrō nec semper laudā*bāminī*, sed reprehendē*bāminī* ac pūniē*bāminī!*"

In illō lūdō discipulī ā magistrō timē*bantur!* Itaque nōn reprehendē*bantur* nec pūniē*bantur*, sed semper laudā*bantur*.

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
Persōna prīma	-bar	-bāmur	-ēbar	-ēbāmur
Persōna secunda	-bāris	-bāminī	-ēbāris	-ēbāminī
Persōna tertia	-bātur	-bantur	-ēbātur	-ēbantur

PENSVM A

Ante X annōs Iūlius apud parentēs suōs habit– nec uxōrem hab–. Iūlius et Aemilia Rōmae habit–. Iūlius Aemiliam am– nec ab eā am–. Ea numquam Iūlium salūt– cum eum vid–, quamquam ipsa ab eō salūt–. Aemilia epistulās Iūliī nōn leg– nec dōna eius accipi–, sed omnia remitt–.

Iūlius: "Tunc ego tē am– nec ā tē am–, nam tū alium virum am– nec ab eō am–. Ego miser er– et tū misera er–. Tunc apud parentēs nostrōs habit–. Tū et parentēs tuī in parvā domō habit–. Vōs ā mē salūt–, quamquam pauperēs er–."

PENSVM B

Iūlius, quī — Aemiliae est, — suam nec — aliam fēminam amat. Quīntus — quam Mārcus et — quam Iūlia est.

— peristylī XVI altīs — sustinētur. Inter columnās III — stant. Iūnō, — [= uxor] Iovis, — mātrōnārum est. Nēmō deōrum — marītus est quam Iuppiter. Inter omnēs deōs Iuppiter — marītus est.

Ante X annōs Aemilia nōn mātrōna, sed — erat. Tunc Iūlius — XXII annōrum erat. Pater Iūliī vir — [= pecūniōsus] erat. Quī nōn dīves, sed — est, in parvā — habitat. Rōmae multī hominēs habitant, — quam in ūllā aliā urbe. Rōma est urbs — imperiī Rōmānī.

PENSVM C

Quae est coniūnx Iovis?
Num Iuppiter bonus marītus est?
Cuius fīlius est Cupīdō?
Estne Quīntus māior quam Mārcus?
Ubi parentēs Iūliī habitābant?
Cūr Iūlius tunc miser erat?
Cūr Aemilia Iūlium nōn amābat?
Num Iūlius Aemiliam propter pecūniam amābat?
Cūr Aemilia nunc beāta est?
Hodiēne Aemilia minus pulchra est quam tunc?

Vocābula nova:
uxor
marītus
columna
signum
tēctum
dea
coniūnx
mātrōna
amor
pulchritūdō
adulēscēns
virgō
domus
templum
forum
dōnum
flōs
melior
pēior
optimus
pessimus
māior
minor
māximus
minimus
magnificus
plūrēs
plūrimī
dīves
pauper
miser
beātus
dignus
gracilis
convenīre
possidēre
mittere
remittere
ōsculārī
minuere
augēre
opus esse
mī
ūllus
tamen
cotīdiē
minus
plūs
ergā
praesēns
praeteritum

vīcēsimus -a -um
= XX (20.)

cūnae

parvulus -a -um = parvus
fārī = loquī
īn-fāns -antis *m/f*
cūnae -ārum *f pl*

somnus -ī *m*

necessārius -a -um
< necesse
carēre + *abl*: cibō c.
= sine cibō esse
postulāre = poscere
vāgīre = 'vā' facere,
plōrāre (ut īnfāns)

lac lactis *n*

alere (īnfantem) = cibum
dare (īnfantī)
sī-ve = vel sī
mulier -eris *f* = fēmina

aliēnus -a -um = nōn
suus, alterīus
nūtrīx -īcis *f*

nōlunt (< ne-volunt)
= nōn volunt



PARENTES

Puerī parvulī quī nōndum fārī possunt īnfantēs dīcuntur. Parvulus īnfāns in cūnīs cubāre solet. Cūnae sunt lectulus īnfantis. Īnfāns multās hōrās dormit nōn sōlum nocte, sed etiam diē; nam longus somnus īnfantī tam necessārius est quam cibus. Īnfāns neque somnō neque cibō carēre potest. Quōmodo īnfāns, quī fārī nōn potest, cibum postulat? Īnfāns quī cibō caret magnā vōce vāgit. Ita parvulus īnfāns cibum postulat. Tum māter accurrit atque īnfantem ad pectus suum appōnit. Īnfāns lac mātris bibit. Parvulus īnfāns, cui dentēs nūllī sunt, nōn pāne, sed lacte vīvit.

Sī māter īnfantem suum ipsa alere nōn potest sīve nōn vult, īnfāns ab aliā muliere alitur, quae eī in locō mātris est. Mulier quae aliēnum īnfantem alit nūtrīx vocātur. Multī īnfantēs Rōmānī nōn ā mātribus suīs, sed ā nūtrīcibus aluntur. Multae mātrēs īnfantēs suōs ipsae alere nōlunt.

Ante quīnque annōs Iūlia parvula īnfāns erat. Tunc īnfantem in cūnīs habēbat Aemilia. Nunc ea parvulō īnfante caret: cūnae vacuae sunt.

Sed post paucōs mēnsēs novus īnfāns in cūnīs erit. Aemilia rūrsus parvulum īnfantem habēbit neque cūnae vacuae erunt. Tum Iūlius et Aemilia quattuor līberōs habēbunt. Aemilia laeta cūnās movēbit et parvā vōce cantābit: "Lalla". Pater īnfantem suum in manibus portābit eumque nōn minus amābit quam māter. Pater et māter īnfantem suum aequē amābunt.

Annō post pater et māter ab īnfante suō appellābuntur. Aemilia autem 'mamma' appellābitur, nōn 'māter', neque Iūlius 'pater', sed 'tata' appellābitur; neque enim īnfāns ipsa nōmina 'patris' et 'mātris' dīcere poterit. Īnfāns igitur parentibus suīs dīcet: "Mamma! Tata!" Neque sōlum prīma verba, sed etiam prīmōs gradūs faciet īnfāns. Initiō pater eum sustinēbit ac manū dūcet, mox vērō īnfāns sōlus ambulāre incipiet neque ā parentibus sustinēbitur neque manū dūcētur. Īnfāns ambulāns ā parentibus laetīs laudābitur. Simul īnfāns plūra verba discet et mox rēctē loquī sciet.

pot-erit

gradus -ūs *m*

mox = brevī tempore post

prīmī gradūs īnfantis

Utra īnfantem Aemiliae alet, māterne an nūtrīx? Īnfāns ā mātre alētur. Aemilia ipsa īnfantem vāgientem ad pectus suum appōnet. Īnfāns lac mātris bibet, nōn nūtrīcis. Tum māter īnfantem in cūnās impōnet. Vesperī duae ancillae cūnās in cubiculum parentum portābunt atque ante lectum eōrum ponent. Sī īnfāns bene dor-

vesperī (*adv*) ↔ māne

miet nec vāgiet, parentēs quoque bene dormient neque ab īnfante vāgiente ē somnō excitābuntur. —

col-loquī (< cum + loquī) = inter sē loquī

Iūlius adhūc in peristȳlō cum uxōre colloquitur. Aemilia fessa in sellā cōnsīdit. Marītus et uxor iam nōn dē tempore praeteritō colloquuntur, sed dē tempore futūrō. Sermō eōrum est dē rēbus futūrīs. *II*

futūrus -a -um: (tempus) futūrum↔praeteritum
sermō -ōnis *m* = id quod dīcitur, verba

Iūlius, quī iam intellegit Aemiliam novum īnfantem exspectāre, "Ō Aemilia!" inquit, "Mox parvulum fīlium habēbimus."

Aemilia: "Fīlium? Iam duōs fīliōs habēmus. Ego alteram fīliam habēre volō, plūrēs quam duōs fīliōs nōlō! Cūr tū fīlium habēre vīs, Iūlī? Nōnne laetus eris, sī fīliolam habēbis? Num parvulam fīliam minus amābis quam fīlium?"

(ego) volō, (tū) vīs, (is) vult
nōlō (< ne-volō) = nōn volō

fīli*ola* -ae *f* = parva fīlia

Iūlius: "Profectō laetus erō, sī alteram fīliam habēbō. Nēminem magis amābō quam parvulam fīliam."

profectō = certē

nēmō, *acc* nēminem
magis ↔ minus

Aemilia: "Iam fīliōs tuōs magis amās quam tuam Iūliam fīliolam: Mārcum et Quīntum saepe laudās, sed Iūliam rārō laudās, quamquam proba est puella. Vōs virī fīliōs modo habēre vultis, fīliās nōn amātis!" Aemilia surgit atque gradum adversus ōstium facit.

rārō (*adv*) ↔ saepe
velle: volō volumus
vīs vultis
vult volunt
adversus *prp+acc*

manēre (= nōn abīre)

ad ōstium versus = adversus ōstium

Iūlius: "Manē hīc apud mē, Aemilia!"

Aemilia alterum gradum ad ōstium versus facit, tum incerta cōnsistit.

nōlī abīre! = manē!

Iūlius: "Nōlī abīre! Tēcum colloquī volō."

Aemilia nōn abit, sed apud marītum manet. Coniugēs colloquī pergunt. Ecce colloquium eōrum:

pergere (= nōn dēsinere)
colloquium -ī *n*<colloquī

Iūlius: "Nōs virī nōn fīliōs tantum, sed etiam fīliās habēre volumus, nec fīliās minus amāmus quam fīliōs. Certē mulierēs rārius ā līberīs suīs discēdunt..."

rārō *adv*, *comp* rārius, *sup* rārissimē

Aemilia: "Multae mātrēs īnfantēs suōs apud nūtrīcēs relinquunt, ego vērō manēbō apud īnfantem meum: numquam ab eō discēdam! Sī aeger erit, ipsa eum cūrābō tōtamque noctem apud eum vigilābō; nēmō īnfantem aegrum tam bene cūrāre potest quam māter ipsa."

Iūlius: "Nōnne ab īnfante sānō discēdēs?"

Aemilia: "Minimē! Bona māter semper apud īnfantem suum manēre dēbet. Sīve īnfāns valet sīve aegrōtat, māter ipsa eum cūrāre et alere dēbet — hoc est mātris officium!"

minimē = certē nōn (discēdam)
sī-ve ... sī-ve = sī ... vel sī
dēbēre
officium -ī *n*: mātris officium est = māter dēbet

Iūlius: "Tūne ipsa īnfantem tuum lacte tuō alēs?"

Aemilia: "Profectō īnfantem meum ipsa alam. Ego faciam officium meum! Neque sōlum diē, sed etiam nocte apud īnfantem erō: semper cum eō dormiam."

Iūlius: "Quid? Nōs et īnfāns in eōdem cubiculō dormiēmus? Vix ūnam hōram dormīre poterimus, sī īnfāns vāgiet. Sī tū et īnfāns tuus in cubiculō nostrō dormiētis, ego profectō in aliō cubiculō dormiam, ubi ab īnfante vāgiente nōn excitābor!"

pot-erimus

Aemilia: "Ō Iūlī! Ita loquitur homō quī officium suum nescit!"

Iūlius: "Meum officium est pecūniam facere ac magnam familiam alere, nōn cum īnfante vāgiente cubāre! Somnus virō industriō necessārius est!"

pergere : loquī pergere
plūra : plūra verba

Aemilia īrāta "Nōlī pergere!" inquit, "Plūra ā tē audīre nōlō!" atque iterum ad ōstium versus īre incipit.

"Manē, Aemilia!" inquit Iūlius, "Nōlī ita mē relinquere!" sed illa adversus ōstium īre pergit.

III

Tum vērō Syra, quae eō ipsō tempore peristȳlum intrat ūnā cum Iūliā, dominae in ōstiō occurrit.

ūnā cum = simul cum
occurrere + *dat*:

Syra Aemiliae in ōstiō occurrit

Aemilia ante Syram et Iūliam cōnsistēns "Quid vultis?" inquit, "Cūr nōn manētis in hortō?"

Syra: "Quia mox imbrem habēbimus: ecce caelum nūbibus ātrīs operītur. Sī in hortō manēbimus, ūmidae erimus. Vōs quoque ūmidī eritis, dominī, sī hīc in peristȳlō manēbitis."

Iūlius caelum spectāns "Rēctē dīcis" inquit, "Illae nūbēs imbrem afferent. Venīte mēcum in ātrium! Mox sōl rūrsus lūcēbit."

Iūlius ātrium intrat; Aemilia eum sequitur ūnā cum Iūliā et Syrā. In ātriō Iūlius et Aemilia silentēs imbrem in impluvium cadentem aspiciunt. Iūlia silentium parentum animadvertit, et "Quid silētis?" inquit, "Estisne trīstēs? Ego vōs cōnsōlābor!"

silēre = tacēre

silentium -ī *n* (< silēns) ↔ sermō

Aemilia: "Cōgitāmus dē... miserīs nautīs, quōrum officium est nāvigāre, sīve mare tranquillum sīve turbidum est. Multī nautae nunc in mare merguntur, dum rēs necessāriās ex terrīs aliēnīs in Italiam advehere cōnantur. Ō, miserōs nautās, quī numquam domum revertentur! Ō, miserōs līberōs nautārum, quī post hanc tempestātem patrēs suōs nōn vidēbunt!"

ad-vehere

domum = ad domum suam
re-vertī = red-īre

Iūlia: "Ego laetor quod pater meus nauta nōn est et domī apud nōs manēre potest."

domī = in domō suā

Iūlius, quī crās Rōmam ībit, "Nōn semper" inquit "mihi licet apud vōs manēre, Iūlia. Necesse est mihi crās rūrsus ā vōbīs discēdere, nec vērō in terrās aliēnās ībō, ut nauta."

crās = diē post hunc diem

vōs, *abl* vōbīs: ā *vōbīs*

īre: ībō ībimus
ībis ībitis
ībit ībunt

Iūlia: "Quō ībis, tata? Quandō revertēris? Ego et mamma tē sequēmur!"

Iūlius: "Quārē mē sequēminī? Rōmam proficīscar, unde tertiō quōque diē revertar, sī poterō."

pot-erō

Iūlia: "Nōlī ā nōbīs discēdere! Vel sī necesse erit domō abīre, nōn modo tertiō quōque diē, sed cotīdiē ad nōs revertī dēbēs. Hoc postulō ā tē! Nōlō tē carēre, tata. Cotīdiē tibi occurram."

nōs, *abl* nōbīs: ā *nōbīs*

domō = ā domō suā

Iūlius: "Audīsne, Aemilia? Iūlia dīcit 'sē patre suō carēre nōlle', ergō mē nōn minus dīligit quam tē. Atque ego profectō fīliam meam aequē dīligō ac fīliōs. Nec alteram fīliam minus dīligam."

nōlle *īnf* (< ne- + velle) = nōn velle
dīligere = amāre (ut parentēs līberōs suōs)
aequē (ac) = nec magis nec minus (quam)

Iūlia: "Quam 'alteram fīliam' dīcis? Mihi soror nōn est."

Iūliō silente, Aemilia "Nōnne gaudēbis, Iūliola" inquit, "sī parvulam sorōrem habēbis?"

Iūliō silente = dum Iūlius silet
Iūlio*la* = parva Iūlia

Iūlia: "Sorōrem habēre nōlō! Nam sī sorōrem habēbō, ea sōla ā vōbīs amābitur, ego nōn amābor!"

Aemilia: "Certē tū nōn minus ā nōbīs amāberis: tū et parvula soror aequē amābiminī."

Iūlia: "Sī aequē amābimur, laeta erō. Sed multō ma-

gis laetābor, sī frātrem habēbō, mamma! Nōnne tū quo-
que laetāberis, tata, sī fīliolum habēbis?"

fīlio*lus* -ī *m* = parvus fīlius

Iūlius silet. Aemilia vērō, antequam Iūlia silentium
patris animadvertit, "Nōlī dīcere 'tatam' et 'mammam',
Iūliola!" inquit, "Ea nōmina ā tē audīre nōlumus. Ita
loquuntur parvulī īnfantēs, nec sermō īnfantium tē de-
cet. 'Patrem' et 'mātrem' dīcere oportet."

nōlumus (< ne-volumus) = nōn volumus

decēre = dignus esse; eam decet = eā dignus est, eī convenit

nōlī! (*sg*) nōlīte! (*pl*)

Iūlia: "Sī īnfāns nōn sum, nōlīte mē 'Iūliolam' vo-
cāre! Id nōmen mē nōn decet. Mihi nōmen est 'Iūlia'."

Aemilia: "Rēctē dīcis, Iūlia. Tū igitur ā nōbīs 'Iūlia'
vocāberis, et nōs ā tē 'pater' et 'māter' vocābimur."

Iūlia: "Ita semper ā mē vocābiminī, tata et mamma!"

GRAMMATICA LATINA

Verbī tempora

futūrum (*fut*)

Tempus futūrum

Tempus praesēns: Diēs est. Sōl lūcet. Omnēs vigilant.
Nēmō dormit. Avēs canunt.

Tempus futūrum: Mox nox *erit*. Sōl nōn lūcē*bit*, sed stēllae
lūcē*bunt*. Omnēs dormi*ent*. Nēmō vigilā*bit*. Nūlla avis can*et*.

Futūrum (pers. III): singulāris *-bit -et*, plūrālis *-bunt -ent*.
[A] Āctīvum.

[1] computā|*b*|*ō*
computā|*b*|*is*
computā|*b*|*it*
computā|*b*|*imus*
computā|*b*|*itis*
computā|*b*|*unt*
[2] pārē|*b*|*ō*
pārē|*b*|*is*
pārē|*b*|*it*
pārē|*b*|*imus*
pārē|*b*|*itis*
pārē|*b*|*unt*
[3] scrīb|*a*|*m*
scrīb|*ē*|*s*
scrīb|*e*|*t*
scrīb|*ē*|*mus*
scrīb|*ē*|*tis*
scrīb|*e*|*nt*

Exempla: [1] computā|re: computā|*bit*; [2] pārē|re: pārē-
|*bit*; [3] scrīb|ere: scrīb|*et*; [4] dormī|re: dormi|*et*.

Malus discipulus: "Ab hōc diē bonus discipulus *erō*, magis-
ter: numquam in lūdō dormi*am*, semper tibi pārē*bō*, bene
computā*bō* et pulchrē scrīb*am!*" Magister: "Quid? Tūne bo-
nus discipulus *eris?* Id fierī nōn potest! Crās rūrsus in lūdō
dormi*ēs*, male computā*bis*, foedē scrīb*ēs*, nec mihi pārē*bis!*"
Crās discipulus tam malus *erit* quam hodiē est: in lūdō dor-
mi*et*, male computā*bit*, foedē scrīb*et*, nec magistrō pārē*bit*.

Malī discipulī: "Ab hōc diē bonī discipulī *erimus*, magister: numquam in lūdō dormi*ēmus*, semper tibi pārē*bimus*, bene computā*bimus* et pulchrē scrībē*mus!*" Magister: "Quid? Vōsne bonī discipulī *eritis?* Id fierī nōn potest! Crās rūrsus in lūdō dormi*ētis*, male computā*bitis*, foedē scrībē*tis*, nec mihi pārē*bitis!*" Crās discipulī tam improbī *erunt* quam hodiē sunt: in lūdō dormi*ent*, male computā*bunt*, foedē scrīb*ent*, nec magistrō pārē*bunt*.

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
Persōna prīma	-bō	-bimus	-am	-ēmus
Persōna secunda	-bis	-bitis	-ēs	-ētis
Persōna tertia	-bit	-bunt	-et	-ent

[B] Passīvum.

Fīlius: "Ab hōc diē bonus discipulus erō. Ergō ā magistrō laudā*bor*, nōn reprehend*ar*." Pater: "Tū nōn laudā*beris*, sed reprehendē*ris* ā magistrō!" Crās discipulus rūrsus ā magistrō reprehendē*tur*, nōn laudā*bitur*.

Fīliī: "Ab hōc diē bonī discipulī erimus. Ergō ā magistrō laudā*bimur*, nōn reprehendē*mur*." Pater: "Vōs nōn laudā*biminī*, sed reprehendē*minī* ā magistrō!" Crās discipulī rūrsus ā magistrō reprehend*entur*, nōn laudā*buntur*.

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
Persōna prīma	-bor	-bimur	-ar	-ēmur
Persōna secunda	-beris	-biminī	-ēris	-ēminī
Persōna tertia	-bitur	-buntur	-ētur	-entur

PENSVM A

Mox novus īnfāns in cūnīs Aemiliae er–. Aemilia rūrsus īnfantem hab–. Tum quattuor līberī in familiā er–. Iūlius et Aemilia quattuor līberōs hab–. Aemilia īnfantem suum am–. Iūlius et Aemilia īnfantem suum aequē am–. Annō post īnfāns prīma verba disc– et prīmōs gradūs faci–. Īnfāns ambulāns ā parentibus laud–.

Aemilia: "Ego īnfantem meum bene cūr–: semper apud eum man–, numquam ab eō discēd–." Iūlius: "Certē bona

[4] dormi|*a*|*m*
dormi|*ē*|*s*
dormi|*e*|*t*
dormi|*ē*|*mus*
dormi|*ē*|*tis*
dormi|*e*|*nt*

esse *erō* *erimus*
eris *eritis*
erit *erunt*

[1,2] -*b*|*ō* -*b*|*imus*
-*b*|*is* -*b*|*itis*
-*b*|*it* -*b*|*unt*
[3,4] -*a*|*m* -*ē*|*mus*
-*ē*|*s* -*ē*|*tis*
-*e*|*t* -*e*|*nt*

laudā|*b*|*or*
laudā|*b*|*eris*
laudā|*b*|*itur*
laudā|*b*|*imur*
laudā|*b*|*iminī*
laudā|*b*|*untur*
reprehend|*a*|*r*
reprehend|*ē*|*ris*
reprehend|*ē*|*tur*
reprehend|*ē*|*mur*
reprehend|*ē*|*minī*
reprehend|*e*|*ntur*

[1,2] -*b*|*or* -*b*|*imur*
-*b*|*eris* -*b*|*iminī*
-*b*|*itur* -*b*|*untur*
[3,4] -*a*|*r* -*ē*|*mur*
-*ē*|*ris* -*ē*|*minī*
-*ē*|*tur* -*e*|*ntur*

Vocābula nova:
īnfāns
cūnae
somnus
lac
mulier
nūtrīx
gradus
sermō
fīliola
fīliolus
colloquium
officium
silentium
parvulus
necessārius
aliēnus
futūrus
ūmidus
fārī
carēre
postulāre
vāgīre
alere
colloquī
volō
vīs
volumus
vultis
manēre
pergere
cūrāre
dēbēre
occurrere
silēre
advehere
revertī
dīligere
decēre
nōlle
domō
mox
magis
rārō
crās
adversus
ad... versus
nōlī nōlīte
sīve... sīve
profectō
minimē
ūnā cum

māter er–, Aemilia: īnfantem tuum ipsa cūr– nec eum apud nūtrīcem relinqu–." Aemilia: "Etiam nocte apud īnfantem er–, semper cum eō dorm–. Nōs et īnfāns in eōdem cubiculō dorm–." Iūlius: "Nōn dormiēmus, sed vigil–! Nam certē ab īnfante vāgiente excit–!" Aemilia: "Ego excit–, tū bene dormi– nec excit–!"

PENSVM B

Parvulus puer quī in — iacet — appellātur. Īnfāns quī cibō — magnā vōce —. Nōn pānis, sed — cibus īnfantium est. Nūtrīx est — [= fēmina] quae nōn suum, sed — īnfantem —. Multāe mātrēs īnfantēs suōs ipsae alere —.

Marītus et uxor iam nōn dē tempore praeteritō —, sed dē tempore —. Aemilia: "Cūr tū fīlium habēre —, Iūlī? Ego alteram fīliam habēre —, plūrēs quam duōs fīliōs — [= nōn volō]. Vōs virī fīliōs tantum —! Fīliōs — dīligitis quam fīliās!" Iūlius — [= tacet]. Aemilia īrāta — adversus ōstium facit, sed Iūlius "— hīc apud mē!" inquit, "— discēdere!" Aemilia manet ac loquī —: "Bona māter apud īnfantem suum manēre —, hoc mātris — est. Nēmō enim īnfantem melius — potest quam māter ipsa."

PENSVM C

Ubi parvulus īnfāns cubat?
Quid facit īnfāns quī cibō caret?
Quid est cibus īnfantium parvulōrum?
Num omnēs īnfantēs ā mātribus suīs aluntur?
Quae sunt prīma verba īnfantis?
Quandō Aemilia novum īnfantem habēbit?
Cūr Aemilia ā marītō suō discēdere vult?
Cūr Iūlius in aliō cubiculō dormīre vult?
Quid Aemilia officium mātris esse dīcit?
Cūr Syra et Iūlia in hortō nōn manent?
Cūr Iūlia sorōrem habēre nōn vult?

PVGNA DISCIPVLORVM

Ecce puer quī ē lūdō domum revertitur. Quis est hic puer? Mārcus est, sed difficile est eum cognōscere, nam sordidus est et sanguis dē nāsō eius fluit. Hodiē māne vestīmenta Mārcī munda erant atque tam candida quam nix nova, nunc vērō sordida et ūmida sunt. Cūr vestis Mārcī ūmida est? Vestis ūmida est, quod Mārcus per imbrem ambulāvit. Nec modo Mārcus, sed etiam Titus et Sextus per imbrem ambulāvērunt. Omnēs discipulī vestīmentīs ūmidīs domum revertuntur.

Sed cūr sanguis dē nāsō fluit Mārcō? Sanguis eī dē nāsō fluit, quod Mārcus ā Sextō pulsātus est. Nōnne Mārcus Sextum pulsāvit? Prīmum Sextus ōs Mārcī pugnō pulsāvit, deinde Mārcus et Titus Sextum pulsāvērunt. Sextus, quī māior est quam cēterī discipulī, cum Mārcō et Titō pugnāvit et ab iīs pulsātus est. Puerī pugnāvērunt in viā angustā quae Tūsculō ad vīllam Iūliī fert.

mundus -a -um = pūrus
candidus -a -um = albus (ut nix)
vestis -is *f* = vestīmenta

Mārcus ā Sextō pulsātus est (*pass*) = Sextus Mārcum pulsāvit (*āct*)

pugnāre cum = pugnāre contrā
angustus -a -um ↔ lātus

via fert = via dūcit (ad)

genū -ūs *n*, *pl* genua -uum

humus -ī *f* = terra; humī (*loc*) = in humō

genū

cruor -ōris *m* = sanguis
cōn-spicere -iō = vidēre
meus fīlius, *voc* mī fīlī!

cornua



bōs bovis *m/f*

cornū -ūs *n* (*dēcl IV*):

	sing	*plūr*
nōm	cornū	corn*ua*
acc	cornū	corn*ua*
gen	cornūs	corn*uum*
dat	cornū	corn*ibus*
abl	cornū	corn*ibus*

Nōn modo vestis, sed etiam faciēs et manūs et genua Mārcī sordida sunt. Cūr tam sordidus est puer? Sordidus est quod humī iacuit; humus enim propter imbrem ūmida et sordida est. Et Mārcus et Sextus humī iacuērunt. Prīmum Mārcus iacuit sub Sextō. Titus vērō Mārcum vocāre audīvit ac Sextum oppugnāvit. Mox Sextus ipse humī iacēns ā duōbus puerīs pulsātus est; magnā vōce patrem et mātrem vocāvit, nec vērō parentēs eum audīvērunt: vōx Sextī ā nūllō praeter puerōs audīta est.

Mārcus ātrium intrāns nōn statim ā patre suō cognōscitur, sed cum prīmum fīlius patrem salūtāvit, Iūlius vōcem fīliī cognōscit. Tum cruōrem in faciē eius cōnspiciēns exclāmat pater: "Ō mī fīlī! Quis tē pulsāvit?" *II*

Mārcus: "Bōs īrātus cornū mē pulsāvit!"

Iūlius: "Id vērum nōn est! Is quī tē pulsāvit cornua nōn gerit. Ā quō pulsātus es?"

Mārcus: "Ā Sextō pulsātus sum."

Iūlius: "Intellegēbam tē nōn cornibus, sed pugnīs pulsātum esse. At cūr tū pulsātus es? Certē nōn sine causā Sextus tē pulsāvit. Incipe ab initiō: ille prīmum ā tē pulsātus est!"

Mārcus: "Minimē! Prīmum ille mē pugnō pulsāvit sine causā, deinde ego illum pulsāvī!"

Iūlius: "Tūne sōlus Sextum pulsāvistī?"

Mārcus: "Ego et Titus eum pulsāvimus."

Iūlius: "Quid? Vōs duo ūnum pulsāvistis? Duo cum ūnō pugnāvistis?"

Mārcus sē et Titum excūsāre cōnātur: "At pugnāvimus cum puerō māiōre. Sōlus Sextum vincere nōn possum, nam is multō māior ac validior est quam ego. Sextus tam validus est quam bōs!"

ex-cūsāre ↔ accūsāre

porcus -ī *m*

Iūlius: "Et tū tam sordidus es quam porcus! Cūr sordida est vestis tua nova? Humīne iacuistī?"

humī-ne

Mārcus: "Humī iacuī: Sextus mē tenuit. Sed is quoque humī iacuit: nōs eum tenuimus!"

Iūlius: "Iam satis audīvī dē pugnā vestrā indignā. Nam certē nōn decet pulsāre puerum minōrem, sed duōs puerōs cum ūnō pugnāre indignissimum est — hoc nūllō modō excūsārī potest! Nōlī mihi plūs nārrāre dē hāc rē! Age, ī in cubiculum tuum ac mūtā vestīmenta! Dāvus tibi alia vestīmenta dabit."

pugna -ae *f* < pugnāre
in-dignus -a -um = nōn dignus
nōn decet = indignum est

Mārcus Dāvum sequitur in cubiculum, ubi cruōrem et sordēs ē faciē, manibus, genibus lavat ac vestīmenta mūtat. Puer vestem sordidam pōnit aliamque vestem mundam et candidam induit.

sordēs -ium *f pl*

(vestem) pōnere ↔ induere

Interim Aemilia ātrium intrat. Māter familiās statim sordēs et vestīgia Mārcī in solō cōnspicit et "Sordidum est hoc solum!" inquit, "Aliquis pedibus sordidīs in solō mundō ambulāvit! Quis per ōstium intrāvit? aliquis ē familiā nostrā?"

interim = dum haec aguntur
solum -ī *n*

ali-quis (: nesciō quis)
ali-quid (: nesciō quid)

"Porcus intrāvit!" ait Iūlius.

Aemilia: "Quid ais?"

Iūlius: "'Porcum intrāvisse' āiō."

ait = dīcit
āiō —
ais —
ait āiunt

Aemilia: "Ain' tū? Porcusne ātrium intrāvit?"

ain'? = ais-ne?

Iūlius: "'Porcus' quī intrāvit est tuus Mārcus fīlius!" Iūlius 'Mārcum intrāvisse' dīcit, at nōn dīcit 'eum ā Sextō pulsātum esse et humī iacuisse.'

Aemilia, quae iam intellegit puerum sordidum ā patre 'porcum' appellātum esse, "Ubi est Mārcus?" inquit, "Cūr nōndum mē salūtāvit?"

Iūlius: "Mārcus lavātur et vestem mūtat."

post-quam ↔ antequam

Mārcus, postquam vestem mūtāvit, mundus redit et *III* mātrem salūtat.

"Salvē, mī fīlī!" inquit māter, "Bonus es puer, quod

lūdō-ne

statim vestem mūtāvistī. In lūdōne quoque bonus puer fuistī?"

sum fuī
es fuistī
est fuit

esse fuisse

Mārcus: "Profectō bonus puer fuī, māter. Laudātus sum ā magistrō." Mārcus dīcit 'sē bonum puerum fuisse et laudātum esse', quamquam puer improbus fuit et ā magistrō verberātus est. Quod dīcit nōn vērum, sed falsum est: Mārcus mentītur.

falsus -a -um ↔ vērus
mentīrī = falsum dīcere

Iūlius: "Quid magister vōs docuit hodiē?"

multa (*n pl*) = multae rēs
cētera (*n pl*) = cēterae rēs
nōs, *dat* nōbīs

Mārcus: "Multa nōs docuit: legere et scrībere et computāre et cētera. Prīmum magister nōbīs aliquid recitāvit, nesciō quid: nihil enim audīvī praeter initium!" Mārcus dīcit 'sē nihil audīvisse praeter initium', id quod vērum est.

quā dē causā? = dē quā causā? = cūr?
omnia (*n pl*) = omnēs rēs (↔ nihil)

Aemilia: "Quā dē causā nōn omnia audīvistī?"

Iūlius: "Hahae! Magistrō recitante, Mārcus dormīvit!" Iūlius 'Mārcum dormīvisse' dīcit, nec vērō māter id crēdit.

crēdere = vērum esse putāre

Aemilia: "Audīsne, Mārce? Pater dīcit 'tē in lūdō dormīvisse'! Nōnne falsum est quod dīcit pater? Num tū vērē in lūdō dormīvistī?"

Mārcus: "Ita est ut dīcit pater. Nec vērō ego sōlus dormīvī: omnēs dormīvimus!"

Aemilia: "Ain' vērō? In lūdō dormīvistis? Malī discipulī fuistis! Nōnne pūnītī estis ā magistrō?"

Mārcus: "Certē malī discipulī fuimus ac pūnītī sumus: omnēs verberātī sumus ā magistrō. Adhūc mihi dolet tergum. Sed paulō post magister litterās meās laudāvit. Tabellam vōbīs ostendam. Ecce tabella mea."

tabella -ae *f* = parva tabula

vōs, *dat* vōbīs

Mārcus parentibus nōn suam, sed aliēnam tabellam ostendit. Cuius est ea tabella? Sextī est: Mārcus enim tabellās eōrum mūtāvit inter pugnam! Nōn Mārcus, sed Sextus scrīpsit litterās quae in eā tabellā leguntur. Aemilia vērō, quae tabellam Mārcī esse crēdit, ā fīliō suō improbō fallitur. Nōn difficile est mātrem Mārcī fallere!

scrīp*s*- < scrī*bs*-

Aemilia: "Tūne ipse hās litterās pulcherrimās scrīpsistī?"

Mārcus: "Ipse scrīpsī profectō. Mihi crēde!"

crēdere + *dat*: mihi crēde! = crēde id quod dīcō!

Mārcus mentītur; nam id quod Mārcus 'sē ipsum scrīpsisse' dīcit, ā Sextō scrīptum est. Sed Aemilia, quae litterās ā Mārcō scrīptās esse crēdit, "Aspice, Iūlī!" inquit, "Mārcus ipse haec scrīpsit et ā magistrō laudātus est. Quid dīxit magister, Mārce? Nārrā nōbīs omnia!"

scrīp*t*- < scrī*bt*-

haec (*n pl*) = hae rēs

dīx- < dīc*s*-

Mārcus iterum mentītur: "Dīxit 'mē pulcherrimē et rēctissimē scrīpsisse'." (Nōs vērō scīmus magistrum aliud dīxisse!)

Iūlius, quī Mārcum discipulum pigerrimum esse scit, iam dē verbīs eius dubitāre incipit. Aemilia vērō nihil dubitat, sed omnia crēdit!

dubitāre = incertus esse; dubitāre (dē) ↔ crēdere

Aemilia: "Cēterī discipulī nōnne rēctē scrīpsērunt?"

Mārcus: "Minimē! Titus et Sextus prāvē scrīpsērunt et malī discipulī fuērunt, nec ā magistrō laudātī sunt. Ego sōlus laudātus sum!"

Iūlius: "Vōsne omnēs eadem vocābula scrīpsistis?"

Mārcus: "Omnēs eadem scrīpsimus, sed ego sōlus rēctē scrīpsī — ut iam vōbīs dīxī."

Iam Iūlius, quī Sextum discipulum industrium ac prūdentem esse scit, Mārcō nōn crēdit. Mārcus patrem suum fallere nōn potest. Ergō Iūlius, quī interim tabellam in manūs sūmpsit, "Mentīris, Mārce!" inquit, "Hoc tuā manū scrīptum nōn est. Falsa sunt omnia quae nōbīs nārrāvistī!"

sūm*ps*- < sūm*s*-

falsa (*n pl*) = rēs falsae

Aemilia vērō "Quā dē causā" inquit "eum falsa dīxisse putās? Cūr nōn crēdis fīliō tuō?"

Sed antequam Iūlius ad haec respondēre potest, aliquis iānuam pulsat. Quis pulsat? Vidē capitulum quod sequitur!

GRAMMATICA LATINA

Verbī tempora

Praeteritum perfectum et imperfectum

perfectum (*perf*)
im-perfectum (*imperf*)

Nox obscūra erat: nūlla lūna caelum illūstrā*bat;* caelum neque lūnā neque stēllīs illūstrā*bātur.*

Tum fulgur caelum illūstrā*vit;* caelum obscūrum fulgure clārissimō illūstrā*tum est.*

'Illūstrā*bat*, illūstrā*bātur*' est praeteritum imperfectum. 'Illūstrā*vit*, illūstrā*tum est*' praeteritum perfectum est.

Perfectum

[A] Āctīvum.

Mārcus dīcit 'sē Sextum pulsāv*isse*': "Ego Sextum pulsāvī." Iūlius: "Tūne sōlus eum pulsāv*istī?*" Mārcus: "Ego et Titus eum pulsāv*imus.*" Iūlius: "Vōsne ūnum pulsāv*istis?*" Prīmum Mārcum pulsāv*it* Sextus, tum Mārcus et Titus eum pulsāv*ērunt.*

pulsāv*isse*

pulsāvī	pulsāv*imus*
pulsāv*istī*	pulsāv*istis*
pulsāv*it*	pulsāv*ērunt*

Īnfīnītīvus perfectī: pulsāv|*isse*.

-*isse*

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	pulsāv|*ī*	pulsāv|*imus*
Persōna secunda	pulsāv|*istī*	pulsāv|*istis*
Persōna tertia	pulsāv|*it*	pulsāv|*ērunt*

I	-*ī*	-*imus*
II	-*istī*	-*istis*
III	-*it*	-*ērunt*

[1] recitā-: recitāv-
[2] pārē-: pāru-
[3] scrīb-: scrīps-
[4] dormī- dormīv-

Exempla: [1] recitā|re: recitāv|isse; [2] pārē|re: pāru|isse; [3] scrīb|ere: scrīps|isse; [4] audī|re: audīv|isse.

[1] recitāv|*isse*
recitāv|*ī* -āv|*imus*
recitāv|*istī* -āv|*istis*
recitāv|*it* -āv|*ērunt*
[2] pāru|*isse*
pāru|*ī* pāru|*imus*
pāru|*istī* pāru|*istis*
pāru|*it* pāru|*ērunt*
[3] scrīps|*isse*
scrīps|*ī* scrīps|*imus*
scrīps|*istī* scrīps|*istis*
scrīps|*it* scrīps|*ērunt*
[4] dormīv|*isse*
dormīv|*ī* dormīv|*imus*
dormīv|*istī* dormīv|*istis*
dormīv|*it* dormīv|*ērunt*

Mārcus malus discipulus *fuit:* male recitāv*it*, foedē scrīps*it*, in lūdō dormīv*it*, nec magistrō pāru*it*. Sed Mārcus dīcit 'sē bonum discipulum *fuisse*, bene recitāv*isse*, pulchrē scrīpsi*sse*, magistrō pāru*isse*, nec in lūdō dormīv*isse*': "Ego bonus discipulus *fuī*, bene recitāv*ī*, pulchrē scrīps*ī*, magistrō pāru*ī*, nec in lūdō dormīv*ī!*" Iūlius: "Mentīris, Mārce! Tū malus discipulus *fuistī*, male recitāv*istī*, foedē scrīpsi*stī*, in lūdō dormīv*istī*, nec magistrō pāru*istī!*"

Mārcus et Titus malī discipulī *fuērunt*, male recitāv*ērunt*, foedē scrīps*ērunt*, in lūdō dormīv*ērunt*, nec magistrō pāru*ērunt*. Mārcus et Titus: "Nōs bonī discipulī *fuimus*, bene reci-

fu|isse

fu|ī	*fu|imus*
fu|istī	*fu|istis*
fu|it	*fu|ērunt*

laudāt|*us est*
laudāt|*us* = quī laudātus est
laudāt|*ī sunt*
laudāt|*ī* = quī laudātī sunt

laudāt|*us* -a -um

laudāt|*us sum*
laudāt|*us es*
laudāt|*us est*
laudāt|*ī sumus*
laudāt|*ī estis*
laudāt|*ī sunt*

-t|um esse

laudāt|*um esse*

-tus	*sum*	*-tī*	*sumus*
-ta	*es*	*-tae*	*estis*
	est		*sunt*
-tum est		*-ta sunt*	

tāvimus, pulchrē scrīp*simus*, magistrō pār*uimus*, nec in lūdō dormī*vimus!*" Iūlius: "Mentūminī, puerī! Vōs malī discipulī *fuistis*, male recit*āvistis*, foedē scrīp*sistis*, in lūdō dormī*vistis*, nec magistrō pār*uistis!*"

[B] Passīvum.

Pater fīlium/fīliam laudāvit = fīlius laud*ātus est*/fīlia laud*āta est* ā patre. Fīlius laudā*tus*/fīlia laudā*ta* gaudet.

Pater fīliōs/fīliās laudāvit = fīliī laud*ātī sunt*/fīliae laud*ātae sunt* ā patre. Fīliī laudā*tī*/fīliae laudā*tae* gaudent.

'Laudāt|*us -a -um*' est participium perfectī. Participium perfectī est adiectīvum dēclīnātiōnis I/II. Alia participia perfectī: pulsāt|*us*, appellāt|*us*, verberāt|*us*, scrīpt|*us*, audīt|*us*, pūnīt|*us*. Cum participium perfectī cum tempore praesentī verbī 'esse' coniungitur, fit perfectum passīvī.

Discipulus dīcit 'sē laudā*tum esse*': "Ā magistrō laudā*tus sum*." Pater: "Tūne laudā*tus es?*"

Discipulī dīcunt 'sē laudā*tōs esse*': "Ā magistrō laudā*tī sumus*." Pater: "Vōsne laudā*tī estis?*"

Īnfīnītīvus: laudā*tum esse*

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	laudā*tus sum*	laudā*tī sumus*
Persōna secunda	laudā*tus es*	laudā*tī estis*
Persōna tertia	laudā*tus est*	laudā*tī sunt*

PENSVM A

Mārcus ūmidus est, quod per imbrem ambul–, ac sordidus, quod humī iac–. Discipulī ūmidī sunt, quod per imbrem ambul–, ac sordidī, quod humī iac–.

Mārcus: "Ā Sextō puls– sum." Iūlius: "Nōnne tū Sextum puls–?" Mārcus: "Prīmum Sextus mē puls–, tum ego illum puls–. Ego et Titus Sextum puls–." Iūlius: "Quid? Vōs duo ūnum puls–? Et cūr sordida est vestis tua? Humīne iac–?" Mārcus: "Humī iac–: Sextus mē ten–."

Aemilia: "Quid magister vōs doc– hodiē?" Mārcus: "Magister aliquid recit–, sed ego initium tantum aud–." Aemilia:

"Cūr nōn omnia aud–?" Iūlius: "Mārcus in lūdō dorm–!" Aemilia: "Audīsne? Pater dīcit 'tē in lūdō dorm–.' Tūne vērē dorm–?" Mārcus: "Certē dorm–, māter. Omnēs dorm–! Sed paulō post magister laud– litterās meās." Mārcus mātrī litterās quās Sextus scrīps– ostendit. Aemilia: "Tūne ipse hoc scrīps–?" Mārcus: "Ipse scrīps–. Cēterī puerī prāvē scrīps–."

PENSVM B

Hodiē māne Mārcus — erat, vestīmenta eius tam — erant quam nix. Nunc nōn modo — [= vestīmenta], sed etiam faciēs et manūs et — sordida sunt, atque — [= sanguis] eī dē nāsō fluit. Nam Sextus, quī tam — est quam bōs, Mārcum pulsāvit sine — (ut ait Mārcus). Mārcus, quī — iacuit, tam sordidus est quam —. Difficile est eum —.

In cubiculō suō Mārcus lavātur et vestem —. — [= dum haec aguntur] Aemilia ātrium intrat et vestīgia puerī —. Aemilia: "Quid hoc est? — pedibus sordidīs in — mundō ambulāvit!" Mārcus, — vestem mūtāvit, in ātrium redit. Puer mātrī — [= parvam tabulam] Sextī ostendit et 'sē ipsum eās litterās —' dīcit. Id quod Mārcus dīcit nōn vērum, sed — est; Mārcus —, sed Aemilia fīliō suō —. Iūlius vērō dē verbīs eius —; Mārcus patrem suum — nōn potest.

PENSVM C

Cūr Mārcus rediēns ūmidus et sordidus est?
Ā quō pulsātus est?
Cūr Mārcus sōlus Sextum vincere nōn potest?
Quōmodo Mārcus sē excūsāre cōnātur?
Quid agit Mārcus in cubiculō suō?
Quid Aemilia in solō cōnspicit?
Quid tum Iūlius dīcit uxōrī?
Quid Mārcus parentibus suīs ostendit?
Quis litterās quae in eā tabulā sunt scrīpsit?
Cūr Iūlius fīlium suum nōn laudat?

Vocābula nova:
vestis
genū
humus
cruor
bōs
cornū
causa
porcus
pugna
sordēs
solum
tabella
mundus
candidus
angustus
validus
indignus
falsus
cognōscere
cōnspicere
excūsāre
vincere
nārrāre
mūtāre
mentīrī
crēdere
fallere
dubitāre
fuisse
āiō ais ait
ain'
aliquis
aliquid
humī
interim
postquam
perfectum
imperfectum



līmen



foris -is *f*

līmen -inis *n*
cardō -inis *m*

vertī = circum movērī

iānitor -ōris *m* = ōstiārius

sī quis = sī aliquis
extrā *prp+acc*

ad-mittere
intrā *prp+acc* ↔ extrā

ferōx -ōcis = ferus

anteā=ante hoc tempus,
antīquīs temporibus

catēna
-ae *f*

ferreus -a -um = ex ferrō factus
aurum -ī *n*

CAVE CANEM

Iānua vīllae ē duābus foribus cōnstat. Sub foribus est *1*
līmen, in quō SALVE scrīptum est. Foris duōs cardinēs
habet, in quibus vertī potest; cum foris in cardinibus
vertitur, iānua aperītur aut clauditur. Servus cuius offi-
cium est forēs aperīre et claudere ac vīllam dominī 5
cūstōdīre, ōstiārius vel iānitor appellātur.

Sī quis vīllam intrāre vult, iānuam pulsat et extrā
iānuam exspectat, dum iānitor forēs aperit eumque in
vīllam admittit. Iānitor intrā iānuam sedet cum cane
suō, quī prope tam ferōx est quam lupus; itaque necesse 10
est eum catēnā vincīre. Anteā dominī sevērī nōn sōlum
canēs, sed etiam iānitōrēs suōs catēnīs vinciēbant.

Catēna quā canis vincītur ex ferrō facta est. Catēna
cōnstat ē multīs ānulīs ferreīs quī inter sē coniunguntur.
Ānulī quibus digitī ōrnantur nōn ex ferrō, sed ex aurō 15

factī sunt. Aurum est magnī pretiī sīcut gemmae. Ānulus aureus multō pulchrior est quam ānulus ferreus.

Forēs ē lignō factae sunt sīcut tabulae. Lignum est māteria dūra, sed minus dūra quam ferrum. Quī rēs ferreās vel ligneās facit, faber appellātur. Deus fabrōrum est Vulcānus. —

Iānua clausa est. Iānitor, quī forēs clausit postquam Mārcus intrāvit, iam rūrsus dormit! Iānitōre dormiente, canis vigilāns iānuam cūstōdit. Extrā forēs stat tabellārius (sīc appellātur servus quī epistulās fert, nam anteā in tabellīs scrībēbantur epistulae). Is baculō ligneō forēs pulsat atque clāmat: "Heus! Aperī hanc iānuam! Num quis hīc est? Num quis hanc aperit iānuam? Heus tū, iānitor! Quīn aperīs? Dormīsne?"

Cane lātrante iānitor ē somnō excitātur.

Tabellārius iterum forēs pulsat magnā vōce clāmāns: "Heus, iānitor! Quīn mē admittis? Putāsne mē hostem esse? Ego nōn veniō vīllam oppugnātum sīcut hostis, nec pecūniam postulātum veniō."

Tandem surgit iānitor. "Quis forēs nostrās sīc pulsat?" inquit.

Tabellārius (extrā iānuam): "Ego pulsō."

Iānitor (intrā iānuam): "Quis 'ego'? Quid est tibi nōmen? Unde venīs? Quid vīs aut quem quaeris?"

Tabellārius: "Multa simul rogitās. Admitte mē! Posteā respondēbō ad omnia."

Iānitor: "Respondē prius! Posteā admittēris."

sīc-ut = ut

aureus -a -um = ex aurō factus

ligneus -a -um = ex lignō factus
faber -brī *m*

claudere clausisse clausum (esse)



heus! : audī!

num quis = num aliquis

quīn? = cūr nōn?
quīn aperīs? = cūr nōn aperīs? aperī!

-*tum*: vīllam oppugnā*tum* = quia vīllam oppugnāre volō

tandem = postrēmō (post longum tempus)

rogitāre = interrogāre (multa)
post-eā = deinde

prius *adv* ↔ posteā

-*tū*: nōmen facile dic*tū* est = facile est nōmen dīcere; vōx difficilis audī*tū* est = difficile est vōcem audīre

Tabellārius: "Nōmen meum nōn est facile dictū: Tlēpolemus nōminor."

Iānitor: "Quid dīcis? Cleopolimus? Vōx tua difficilis est audītū, quod forēs intersunt."

dīcere dīxisse dictum (esse)

Tabellārius: "Mihi nōmen est Tlēpolemus, sīcut iam dictum est. Tūsculō veniō. Erum tuum quaerō."

erus -ī *m* = dominus

Iānitor: "Sī erum salūtātum venīs, melius est aliō tempore venīre, nam hāc hōrā erus meus dormītum īre solet, post brevem somnum ambulātum exībit, deinde lavātum ībit."

dormītum īre = ad somnum īre

Tlēpolemus: "Sī quis per hunc imbrem ambulat, nōn opus est posteā lavātum īre! At nōn veniō salūtātum. Tabellārius sum."

forīs *adv* = extrā forēs

Tandem iānitor forēs aperit et Tlēpolemum forīs in imbre stantem videt. Canis īrātus dentēs ostendit ac fremit: "Rrrr...!" nec vērō tabellārium mordēre potest, quod catēnā retinētur.

II

fremere = 'rrr' facere ut canis īrātus

re-tinēre < re- + tenēre

cavēre

Iānitor: "Cavē! Canis tē mordēbit!" Sīc iānitor hominem intrantem dē cane ferōcī monet.

re-sistere = cōnsistere et manēre

solvere ↔ vincīre

Tlēpolemus in līmine resistēns "Retinē canem!" inquit, "Nōlī eum solvere! Nec vērō opus est mē monēre dē cane, ego enim legere sciō." Tabellārius solum intrā līmen aspicit, ubi CAVE CANEM scrīptum est īnfrā imāginem canis ferōcis. "Neque haec imāgō neque canis vērus mē terret!" inquit, et propius ad canem accēdit.

imāgō -inis *f*

terrēre=timentem facere

propius *comp* < prope

ac-cēdere = ad-īre

"Manē forīs!" inquit iānitor, "Nōlī ad hunc canem accēdere! Iam tē monuī!"

monēre -uisse -itum

Tabellārius vērō, quamquam sīc ā iānitōre monitus est, alterum gradum ad canem versus facit — sed ecce canis in eum salit catēnam rumpēns! Homō territus ex ōstiō cēdere cōnātur, sed canis īrātus pallium eius dentibus prehendit et tenet.

salīre
rumpere
terrēre -uisse -itum
cēdere = īre
pallium -ī *n*
prehendere

canis saliēns catēnam rumpit et pallium Tlēpolemī dentibus prehendit

"Ei! Canis mē mordet!" exclāmat tabellārius, quī iam neque recēdere neque prōcēdere audet: canis fremēns eum locō sē movēre nōn sinit.

prō- [→] ↔ re- [←]
prō-cēdere ↔ re-cēdere

sinere

Iānitor rīdēns "Quīn prōcēdis?" inquit, "Nōlī resistere! Ego tē intrāre sinō. Iānuam aperuī. Prōcēde in vīllam!" Sīc iānitor virum territum dērīdet.

aperīre -uisse -rtum
dē-rīdēre

"Id facilius est dictū quam factū" inquit tabellārius, atque alterum gradum facere audet, sed canis statim in pedēs posteriōrēs surgit atque pedēs priōrēs in pectore eius pōnit! Tabellārius, tōtō corpore tremēns, ex ōstiō cēdit: sīc canis eum ē vīllā pellit. "Removē canem!" inquit ille, "Iste canis ferōx mē intrāre nōn sinit."

re-movēre
iste -a -ud: iste canis = ille canis apud tē

Iānitor eum tremere animadvertit iterumque dērīdet: "Quid tremis? Hicine canis tē terruit?"

hicine = hic-ne

Tlēpolemus: "Nōlī putāre mē ab istō cane territum esse! Sī tremō, nōn propter canem ferōcem, sed propter imbrem frīgidum tremō. Admitte mē sub tēctum, iānitor — amābō tē! Vincī istum canem ferōcem! Cūr eum solvistī?" Tabellārius enim canem ā iānitōre solūtum esse arbitrātur.

Iānitor catēnam manū prehendit canemque paulum ā tabellāriō removet. "Nōlī arbitrārī" inquit "mē canem solvisse. Canis ipse catēnam suam rūpit. Ecce catēna rupta."

Tlēpolemus: "Num canis catēnam ferream rumpere potest? Id nōn crēdō. At certē vestem scindere potuit: vidēsne pallium meum novum, quod nūper magnō pretiō ēmī, scissum esse ā cane tuō?"

Iānitor: "Istud pallium nōn est magnī pretiī, neque id nūper ēmptum esse crēdō. Sed quid tū vēnistī? Num quid tēcum fers?"

Tlēpolemus: "Stultē rogitās, iānitor, nam iam tibi dīxī 'tabellārium mē esse'. Quid tabellāriōs ferre arbitrāris? aureōsne iānitōribus? Profectō nōs aurum nōn ferimus."

Iānitor: "Vōs scīlicet epistulās fertis."

Tlēpolemus: "Rēctē dīcis. Epistulam afferō ad Lūcium Iūlium Balbum. Hocine erō tuō nōmen est?"

Iānitor. "Est. Quīn mihi istam epistulam dās?"

Tlēpolemus: "Prius vincī canem et sine mē intrāre! Nōlī iterum mē forās in imbrem pellere!"

sub + *abl/acc*:
sub tēctō esse
sub tēct*um* īre

solvere -visse solūtum

arbitrārī = putāre

rumpere rūpisse ruptum

posse potuisse

nūper = paulō ante

emere ēmisse ēmptum
scindere scidisse scissum

iste -a -*ud*

venīre vēnisse

num quid = num aliquid

ferre: ferō ferimus
fers fertis
fert ferunt

aureus -ī *m* = nummus
aureus (I aureus = XXV dēnāriī = C sēstertiī)

scī-licet = ut sciunt omnēs

hic haec hoc + -ne:
hicine?
haecine?
hocine?

forās *adv* = ē foribus, ē domō

Iānitor, postquam canem vīnxit, "Nōn ego" inquit, "sed hic canis tē forās pepulit. Nōlī nārrāre 'tē ā iānitōre forās pulsum esse'!"

vincīre vīnxisse vīnctum

pellere pepulisse pulsum

Cane vīnctō, tabellārius tandem intrat epistulamque ostendit iānitōrī; quī statim epistulam prehendit et in ātrium ad dominum suum fert.

cane vīnctō = postquam canis vīnctus est

GRAMMATICA LATINA

Supīnum

[I] Amīcī salūtā*tum* veniunt (= quia salūtāre volunt).

salūtā*tum*

'Salūtā*tum*' supīnum vocātur. Supīnum in *-tum* dēsinēns significat id quod aliquis agere vult et pōnitur apud verba 'īre', 'venīre', 'mittere' et alia.

-tum

Exempla: Rōmānī cotīdiē lavā*tum* eunt. Mīlitēs oppidum oppugnā*tum* mittuntur. Vesperī omnēs dormī*tum* eunt. Mēdus et Lȳdia ad tabernam eunt ānulum ēmp*tum*.

[II] Id est facile dic*tū* = facile est id dīcere.

dic*tū*

'Dic*tū*' est alterum supīnum in *-tū* dēsinēns, quod apud adiectīva 'facilis' et 'difficilis' et pauca alia reperītur.

-tū

Exempla: Multa sunt faciliōra dic*tū* quam fac*tū*. Vōx difficilis audī*tū* est.

PENSVM A

Hōrā nōnā erus ambulā– īre solet. Tabellāriī nōn mittuntur pecūniam postulā–. Hostēs castra expugnā– veniunt. Multī barbarī Rōmam veniunt habitā–.

Syra: "Verba medicī difficilia sunt audī–." Ea rēs est fac– facilis. Nōmen barbarum difficile dic– est.

Verba: terrēre –isse –um; claudere –isse –um; dīcere –isse –um; solvere –isse –um; emere –isse –um; rumpere –isse –um; aperīre –isse –um; vincīre –isse –um; pellere –isse –um; scindere –isse –um; venīre –isse; posse –isse.

Vocābula nova:
foris
līmen
cardō
iānitor
catēna
aurum
lignum
faber
tabellārius
imāgō
pallium
aureus

ferōx
ferreus
aureus
ligneus
cūstōdīre
admittere
vincīre
rogitāre
fremere
mordēre
retinēre
cavēre
monēre
resistere
solvere
terrēre
accēdere
salīre
rumpere
cēdere
prehendere
recēdere
prōcēdere
sinere
dērīdēre
tremere
pellere
removēre
arbitrārī
scindere
iste
scīlicet
anteā
posteā
prius
tandem
nūper
forīs
forās
sīcut
quīn
extrā
intrā
supīnum

PENSVM B

Iānua cōnstat ē duābus —, quae in — vertuntur. Ōstiārius vel — dīcitur servus quī hominēs in vīllam —. Canis eius prope tam — quam lupus est; itaque necesse est eum catēnā — [<ferrum] —. Ānulus Lȳdiae nōn ex ferrō, sed ex — factus est. Servus quī epistulās fert — dīcitur, nam — epistulae in tabellīs scrībēbantur.

Tabellārius — ianuam stat. Iānitor, quī — iānuam sedet, tabellārium dē cane ferōcī —: "Cavē! Canis tē —!" In solō intrā — scrīptum est '— canem' īnfrā — canis. "Nec haec — nec canis vērus mē —" inquit tabellārius, ac propius ad canem —. Canis catēnam — et vestem eius dentibus —. Tabellārius neque — neque — audet. Iānitor: "— prōcēdis? Ego tē intrāre —!" Sīc iānitor hominem territum —. Ille alterum gradum facit, sed canis eum ex ōstiō —. Tlēpolemus tōtō corpore — ex ōstiō —. — [= postrēmō] iānitor canem vincit.

PENSVM C

Quid est iānitōris officium?
Cūr necesse est canem eius vincīre?
Ex quā māteriā cōnstat iānua?
Vulcānus quis est?
Quid in solō intrā līmen vidētur?
Quid tabellārius sēcum fert?
Unde venit Tlēpolemus et quem quaerit?
Quōmodo iānitor ē somnō excitātur?
Quid agit Iūlius post merīdiem?
Cūr canis saliēns catēnā nōn retinētur?
Quid facit iānitor antequam tabellārius intrat?



EPISTVLA MAGISTRI

1 Iūlius, quī canem lātrāre audīvit, iānitōrem ātrium intrantem interrogat: "Quis advēnit?"

Iānitor: "Tabellārius advēnit Tūsculō. Ecce epistula quam illinc ad tē tulit." Hoc dīcēns iānitor epistulam dominō suō trādit.

Iūlius: "Quidnam hoc est? Quisnam Tūsculō epistulam ad mē mīsit?"

Iānitor: "Nesciō. Tantum sciō epistulam Tūsculō missam et ā tabellāriō ad tē lātam esse."

Iūlius: "Nōn opus est idem bis dīcere. Ego id quod semel dictum est bene intellegō. Recēde hinc ad canem tuum!" Sīc Iūlius iānitōrem dīmittit.

Dominus cēram aspiciēns signum magistrī cognōscit (est enim parva eius imāgō) et "Missa est" inquit "ā magistrō Diodōrō. Nōlō hās litterās legere, nam certē

ad-venīre -vēnisse

illinc = ab illō locō
ferre tulisse lātum
trā-dere = dare (dē manū in manum)
quid-nam? = quid?
quis-nam? = quis?
mittere mīsisse missum

signum magistrī

hinc = ab hōc locō

dī-mittere = ā sē mittere, iubēre discēdere

litterae -ārum *f pl* = epistula

dēbēre + *dat:* eī dēbeō : eī dare dēbeō

magister poscit pecūniam quam eī dēbeō. Duōrum mēnsium mercēdem magistrō dēbeō."

con-tinēre = in sē habēre
integer -gra -grum: (signum) i.um = nōn ruptum
signō integrō (*abl*)=dum signum integrum est
ea (*n pl*) = eae rēs

Aemilia: "At fortasse epistula aliās rēs continet. Quis scit? Fortasse magister aliquid scrīpsit dē Mārcō? Signō integrō, nēmō scit."

Iūlius signum rumpit et epistulam aperit. Ecce ea quae in epistulā magistrī scrīpta sunt:

salūs -ūtis *f*: (eī) salūtem dīcere = (eum) salūtāre

Diodōrus Iūliō salūtem dīcit.

Discipulus improbus atque piger est tuus Mārcus fīlius. Male recitat, foedē et prāvē scrībit, computāre nūllō modō potest, neque umquam rēctē respondet cum eum interrogāvī. Fīlium tuum nihil docēre possum quia ipse nihil discere vult. Nēmō magister pēiōrem discipulum umquam docuit. Valē.

umquam = ūllō tempore (neque umquam = et numquam)

nēmō magister = nūllus magister

kalendīs Iūniīs = diē prīmō mēnsis Iūniī

Scrībēbam Tūsculī kalendīs Iūniīs. Hic diēs mē monet dē pecūniā quam mihi dēbēs. Quārē Mārcus hodiē mercēdem sēcum nōn tulit? Mercēs numquam mihi trāditur ad diem. Iterum valē.

vultus -ūs *m* = faciēs
pallidus -a -um = albus (dē colōre vultūs dīcitur)
pallēre = pallidus esse
ob *prp+acc* = propter

Interim Mārcus, cuius vultus ad nōmen magistrī colōrem mūtāvit, pallidus et tremēns patrem legentem spectat. Cūr pallet puer? Pallet ob timōrem. (Quī timet pallēre solet.)

legere lēgisse lēctum

Item Aemilia vultum Iūliī sevērum intuētur. Postquam ille epistulam lēgit ūsque ad fīnem, uxor eum interrogat: "Quid scrīpsit magister?"

Iūlius: "Prior epistulae pars dē aliā rē est; in parte posteriōre magister mē monet dē pecūniā quam eī dēbeō." *II*

Aemilia: "Cūr nōn solvis pecūniam quae magistrō dēbētur? Certē magister, quī fīliōs nostrōs tam bene scrībere et legere docet, mercēdem suam meret. Sed quidnam scrīptum est in priōre epistulae parte? Nōnne magister Mārcum laudat?"

Iūlius: "Hāc epistulā nūlla laus continētur, nec enim puer piger atque improbus laudem meret! Tūne putās tē hīs litterīs laudārī, Mārce?"

Mārcus vultum ā patre āvertit nec ūllum verbum respondet, at genua trementia et vultus pallidus respōnsum plānum est, quod pater facile intellegit. Saepe silentium est respōnsum plānissimum.

Tacente Mārcō, Aemilia "Quid fēcit Mārcus?" inquit, "Dīc mihi omnia!"

Iūlius: "Mārcus prope omnia fēcit quae facere nōn dēbuit! Haec epistula omnem rem plānam facit. — Ō Mārce! Iam plānē intellegō falsa esse omnia quae nōbīs nārrāvistī: magister plānīs verbīs scrībit 'tē discipulum improbissimum fuisse ac foedē et prāvē scrīpsisse'!"

Mārcus: "At tabulam vōbīs ostendī..."

Iūlius: "Aspice hanc tabulam: vidēsne nōmen 'Sextī' litterīs plānīs in parte superiōre īnscrīptum? Tūne solēs nōmina aliēna īnscrībere in tabulā tuā? Haec nōn tua, sed Sextī tabula est. Hocine negāre audēs?"

Mārcus, quī iam nōn audet mentīrī, nihil negat, sed omnia fatētur: "Rēctē dīcis, pater. Tabula Sextī est. Tabulās mūtāvī inter pugnam."

solvere pecūniam = dare pecūniam quae dēbētur

merēre -uisse -itum

laus laudis *f* = verba laudantia
rēs epistulā continētur = epistula rem continet

ā-vertere

plānus -a -um = quī facile intellegitur
facile *adv*

facere -iō fēcisse factum

dēbēre -uisse -itum

omnis -e = tōtus



ostendere -disse

superior -ius *comp* ↔ īnferior
īn-scrībere

negāre = dīcere 'nōn vērum esse'

fatērī ↔ negāre

Aemilia: "Pugnam? Quam pugnam nārrās?"

Iūlius: "Mārcus mihi iam nārrāvit 'sē cum Sextō pugnāvisse.' — Nōnne tibi satis fuit vestem tuam novam perdere? Etiamne tabulam aliēnam...?"

per-dere ↔ servāre

per-dere -didisse

Mārcus: "Tabulam Sextī nōn perdidī, pater. Vidē: integra est tabula."

Iūlius: "At certē pater Sextī putābit eum perdidisse tabulam suam. Fortasse Sextus ā patre suō pūniētur ob hanc rem. Intellegisne factum tuum indignum esse? Nōnne tē pudet hoc fēcisse? Profectō mē pudet hoc ā meō fīliō factum esse!"

factum -ī *n* = id quod factum est

pudēre: mē pudet=intellegō mē indignē fēcisse /indignē factum esse

rubēre = ruber esse

Mārcus, quī paulō ante ob timōrem pallēbat, iam rubet propter pudōrem. Puerum pudet factī suī. (Is quem factōrum suōrum pudet rubēre solet.)

pudor -ōris *m* < pudēre

pudēre + *gen*: factī suī : ob factum suum

post-hāc = post hoc tempus

futūrus sum = erō

pāritūrus sum = pārēbō

pugnātūrus sum = pugnābō

dormītūrus sum = dormiam

prō-mittere -mīsisse -missum

Mārcus: "Certē malus puer fuī, sed posthāc bonus puer futūrus sum: semper vōbīs pāritūrus sum, numquam pugnātūrus sum in viā nec umquam in lūdō dormītūrus sum. Hoc vōbīs prōmittō, pater et māter! Mihi crēdite!"

III

Mārcus 'sē malum puerum fuisse' fatētur ac simul prōmittit 'sē posthāc bonum puerum futūrum esse, semper sē parentibus pāritūrum esse nec umquam in viā pugnātūrum nec in lūdō dormītūrum esse' — id quod saepe antehāc prōmīsit!

pugnātūrum *esse*

ante-hāc = ante hoc tempus; ↔ post-hāc

facere, *imp* fac! facite!

Iūlius: "Prīmum fac quod prōmīsistī, tum tibi crēdēmus!" Iūlius nōn crēdit Mārcum prōmissum factūrum esse.

prōmissum -ī *n* = quod prōmissum est

Mārcus: "Omnia quae prōmīsī factūrus sum. Nōlī mē verberāre! Iam bis verberātus sum ā magistrō."

"Ergō verbera magistrī nōn satis fuērunt!" inquit Iūlius, "Profectō verbera meruistī!" Tum oculōs ā fīliō āvertēns: "Abī hinc ab oculīs meīs! Dūc eum in cubiculum eius, Dāve, atque inclūde eum! Posteā fer mihi clāvem cubiculī!"

Postquam Dāvus puerum ex ātriō dūxit, dominus "Haec omnia" inquit "facta sunt, quod Mēdus herī domō fūgit nec hodiē Mārcum in lūdum euntem et illinc redeuntem comitārī potuit. Posthāc Mārcum sine comite ambulāre nōn sinam. Crās Dāvus eum comitābitur; is certē bonus comes erit."

Mārcō in cubiculum ductō atque inclūsō, Dāvus redit et "Mārcus" inquit "inclūsus est. Ecce clāvis cubiculī."

Iūlius clāvem sūmit ac surgit. Aemilia, quae putat eum ad Mārcum īre, "Quō īs, Iūlī?" inquit, "Mārcumne verberātum īs?" Aemilia Mārcum ā patre verberātum īrī putat. "Nōlī eum verberāre! Nōn putō eum posthāc in viā pugnātūrum neque in lūdō dormītūrum esse."

Iūlius: "Putāsne iam mūtātum esse istum puerum? Ego eum nec mūtātum esse nec posthāc mūtātum īrī crēdō! Quamquam herī ā mē semel verberātus est atque hodiē bis ā magistrō, nec verbera patris nec magistrī eum meliōrem fēcērunt."

Aemilia: "Ergō nōn opus est iterum eum verberāre. Nec laudibus nec verberibus melior fierī potest."

factūrus sum = faciam

verbera -um *n pl*

in-clūdere < in + claudere

clāvis -is *f*

dūcere dūxisse ductum

herī = diē ante hunc diem (↔ crās)
fugere -iō fūgisse
īre, *part* iēns *eu*ntis
comitārī: eum c. = cum eō īre
comes -itis *m* = is quī comitātur

in-clūdere -sisse -sum
Mārcō...ductō/inclūsō = postquam Mārcus ... ductus/inclūsus est

māter putat fīlium ā patre verberā*tum īrī* = māter putat patrem fīlium verberātūrum esse

Iūlius: "Nōlī timēre, Aemilia! Mārcum in cubiculō relinquam. Iam epistulam scrīptūrus sum." Iūlius dīcit 125
'sē epistulam scrīptūrum esse.'

scrīptūrus sum = scrībam

Aemilia: "Cuinam scrīptūrus es?"

cui-nam? = cui?

Iūlius: "Magistrō scīlicet. Crās Dāvus, Mārcī comes, epistulam meam sēcum feret, quae ā Mārcō ipsō trādētur magistrō. Tabellārius, quī epistulam magistrī trādidit, tempus perdit, sī forīs respōnsum meum opperītur. Dīmitte eum, Dāve! Dīc eī 'respōnsum meum crās ā Mārcō trāditum īrī'."

trā-dere -didisse -ditum

'respōnsum ā Mārcō trāditum *īrī*' = 'Mārcum respōnsum trāditūrum esse'

Aemilia: "Nōnne Mārcus simul cum epistulā tuā mercēdem dēbitam trādet magistrō?"

dēbitus -a -um = quī dēbētur

Iūlius: "Minimē! Ego enim plānē respondēbō 'mē mercēdem solvere nōlle'!"

"mercēdem solvere nōlō"

Aemilia: "Quid ais? Nōnne tē pudet pauperī magistrō mercēdem negāre? Quam ob rem mercēdem dēbitam solvere nōn vīs? Causam afferre oportet."

negāre + *dat* = dare nōlle
quam ob rem? = ob quam rem? quārē?

Iūlius: "Magister ipse mihi causam attulit."

af-ferre at-tulisse al-lātum (< ad-)

Aemilia: "Quōnam modō? Quaenam causa allāta est ā magistrō?"

quō-nam? = quō?
quae-nam? = quae?

Iūlius: "In hīs litterīs magister ipse fatētur 'sē fīlium meum nihil docēre posse': ergō mercēdem nōn meruit. Pecūniam quae merita nōn est nōn solvam. Nōlō pecūniam meam perdere!"

Epistulam sūmēns Aemilia "Itane scrībit magister?" inquit; tum, epistulā lēctā, "Hoc tē nōn excūsat, nam plānē scrībit 'Mārcum ipsum nihil discere velle', et quī

epistulā lēctā=postquam epistula lēcta est (ab eā)

nihil discere vult, nihil discere potest. Nōn modo posse, sed etiam velle opus est: quod nōn vīs, nōn potes."

Iūlius rīdēns "Rēctē dīcis" inquit, "Ego enim pecūniam solvere nōlō: ergō solvere nōn possum!"

Hoc dīcēns Iūlius epistulam magistrī scindit.

Iūlius epistulam scindit

GRAMMATICA LATINA

Participium et īnfīnītīvus futūrī

[A] Āctīvum.

Mīles: "Fortiter pugnā*tūrus* sum." Mīles dīcit 'sē fortiter pugnā*tūrum esse*.'

'Pugnā*tūrus -a -um*' est participium futūrī. Participium futūrī est adiectīvum dēclīnātiōnis I/II. 'Pugnā*tūrum esse*' est īnfīnītīvus futūrī, quī cōnstat ex participiō futūrī et 'esse'.

Exempla: pāritūrus, dormītūrus, factūrus, scrīptūrus, futūrus.

Mārcus: "Posthāc bonus discipulus *futūrus* sum..." Mārcus dīcit 'sē posthāc bonum discipulum *futūrum esse*, semper magistrō pārī*tūrum esse* nec umquam in lūdō dormī*tūrum esse*.' Magister nōn crēdit eum prōmissum fac*tūrum esse*.

Puerī: "Posthāc bonī discipulī *futūrī* sumus..." Puerī dīcunt 'sē posthāc bonōs discipulōs *futūrōs esse*, semper magistrō pārī*tūrōs esse* nec umquam in lūdō dormī*tūrōs esse*.' Magister nōn crēdit eōs prōmissum fac*tūrōs esse*.

[B] Passīvum.

Iūlius: "Sextus ā magistrō laudābitur." Iūlius dīcit 'Sextum ā magistrō laudā*tum īrī*.'

'Laudā*tum īrī*' est īnfīnītīvus futūrī passīvī, quī ex supīnō et 'īrī' cōnstat.

pugnā*tūr*|*us sum* = pugnābō
pugnā*tūr*|*um esse*

-tūr|*us* -a -um
-tūr|*um esse*

[1] pugnā*tūr*|*um esse*

[2] pārī*tūr*|*um esse*

[3] fac*tūr*|*um esse*

[4] dormī*tūr*|*um esse*

futūr|*um esse*

laudā*tum īrī*

-tum īrī

PENSVM A

Mārcus: "Posthāc bonus puer fu– sum et vōbīs pāri– sum." Mārcus prōmittit 'sē bonum puerum fu– esse et sē pārentibus

Vocābula nova:
signum
litterae
vultus
laus
factum
pudor
prōmissum
verbera
clāvis
comes
integer
pallidus
plānus
superior
trādere
dīmittere
dēbēre
continēre
salūtem dīcere
pallēre
solvere
merēre
āvertere
īnscrībere
negāre
fatērī
perdere
pudēre
rubēre
prōmittere
inclūdere
comitārī
illinc
hinc
quidnam?
quisnam?
fortasse
umquam
posthāc
antehāc
herī
ob

pāri– esse.' Aemilia putat Mārcum ā Iūliō verberā– īrī, sed Iūlius 'sē epistulam scrīp– esse' dīcit.

Verba: dūcere –isse –um; legere –isse –um; mittere –isse –um; inclūdere –isse –um; facere –isse –um; ferre –isse –um; afferre –isse –um; trādere –isse –um; perdere –isse; ostendere –isse; fugere –isse.

PENSVM B

Iānitor dominō epistulam — [= dat]. Iūlius — rumpit; iam signum — nōn est. Mārcus — et tremēns — patris legentis aspicit. Epistula magistrī omnem rem — facit. Iūlius: "Sextī est haec tabula; num hoc — audēs?" Puer nihil negat, sed omnia —. Iūlius: "Indignum est — tuum. Nōnne tē — factī tuī?" Mārcus, quī paulō ante — timōrem pallēbat, iam — ob —. Mārcus: "— semper bonus puer erō, hoc vōbīs —!"

Hodiē Mēdus Mārcum ad lūdum — nōn potuit, nam — domō fūgit; itaque Mārcus sine — ambulāvit. Magister pecūniam quam Iūlius eī — postulat. Iūlius: "Magistrō pecūniam — nōlō, neque enim is mercēdem —. Pecūniam meam — nōlō."

PENSVM C

Ā quō epistula missa est?
Quōmodo Iūlius epistulam aperit?
Quid magister scrīpsit dē Mārcō?
Cuius nōmen in tabulā īnscrīptum est?
Quam ob rem rubet Mārcus?
Negatne Mārcus sē malum discipulum fuisse?
Quid Mārcus parentibus suīs prōmittit?
Quō Dāvus puerum dūcit?
Quārē Iūlius surgit?
Quid Iūlius magistrō respondēbit?
Cūr mercēdem solvere nōn vult?



PVER AEGROTVS

Interim Quīntus lectō tenētur. Puer aegrōtus iterum iterumque super lectum sē convertit nec dormīre potest sīve in latere dextrō cubat sīve in latere sinistrō. Itaque ē lectō surgere cōnātur, sed pēs dēnuō dolēre incipit. Puer territus pedēs nūdōs aspicit et "Quid hoc est?" inquit, "Pēs dexter multō māior est quam pēs laevus!" Quīntus mīrātur quod pedēs, quī herī parēs erant, hodiē tam imparēs sunt. Tum puer aegrōtus in lectō recumbit. Villa quiēta est: nūllus sonus audītur ab ūllā parte; etiam avēs, tempestāte subitā territae, in hortō silent.

At subitō silentium clāmōre et strepitū māximō rumpitur, nam Mārcus in cubiculō suō, quod iūxtā cubiculum Quīntī est, magnā vōce clāmat et forem manibus pedibusque percutit. Quīntus, quī tantum strepitum mīrātur, Syram vocat; quae continuō accurrit.

Syra: "Quid est, Quīnte? Putāvī tē dormīre."

Quīntus: "Mēne dormīre per tantum strepitum?

aegrōtus -a -um = aeger

con-vertere = vertere

latus -eris *n*

dē-nuō (< dē novō) = rūrsus

laevus -a -um = sinister

pār paris = aequus

im-pār ↔ pār

re-cumbere ↔ surgere (ē lectō)

subitus -a -um = nōn exspectātus

subitō *adv*

strepitus -ūs *m* = sonus magnus

iūxtā *prp+acc* = apud

per-cutere -iō = pulsāre

continuō = statim

mē-ne dormīre *putāvistī?*

quid agitur? = quid fit?

valdē < validē

frangere = rumpere (rem dūram)
aliter = aliō modō

sē, *dat* sibi

dolor -ōris *m* < dolēre

cōnārī -ātum esse

dolēre -uisse
intuērī, *imp* -re: intuēre! = aspice!
cadere cecidisse

māior pede laevō=māior *quam* pēs laevus

frangere frēgisse frāctum

os ossis *n*

flēre = lacrimāre

patī -ior: dolōrem p. = dolōrem ferre
et-sī = quamquam
dolor gravis=d. magnus
intus ↔ forīs

cōnsōlārī, loquī, *imp* -re: Q. imperat: "Cōnsōlāre mē! loquere mēcum!"

laetārī, *imp* -re: laetāre! = gaudē!

Quid agitur, Syra? Quam ob rem Mārcus sīc clāmat ac forem tam valdē percutit?"

Syra: "Nōlī hoc mīrārī: Mārcus forem frangere cōnātur, quod aliter exīre nōn potest. Sed tū quid agis? Doletne tibi pēs adhūc?"

Puer 'pedem sibi dolēre' ait: "Valdē mihi dolet pēs, ob dolōrem ē lectō surgere nōn possum."

Syra: "Tūne ē lectō surgere cōnātus es?"

Quīntus: "Certē surgere cōnātus sum, at necesse fuit mē continuō recumbere, ita pēs doluit. Intuēre pedēs meōs, Syra! Comparā eōs! Antequam dē arbore cecidī, parēs erant, nunc pēs dexter māior est pede laevō."

Syra: "Ego nōn mīror pedem tuum aegrum esse, quod dē tam altā arbore cecidistī; at mīror tē crūs nōn frēgisse. Facile os frangere potuistī."

Quīntus: "Quis scit? Fortasse os frāctum est, nam pedem vix movēre possum sine dolōribus."

Syra: "Ossa tua integra sunt omnia. Nōlī flēre! Puerum Rōmānum sine lacrimīs dolōrem patī decet."

Quīntus: "Nōn fleō, etsī dolōrem gravem patior. Trīstis sum, quod mihi necesse est intus cubāre, dum aliī puerī forīs lūdunt. Cōnsōlāre mē, Syra! Cōnsīde hīc iūxtā lectum et loquere mēcum!"

Syra iūxtā lectum ad latus puerī laevum cōnsīdit eumque sīc cōnsōlātur: "Nōlī trīstis esse quod hīc intus cubās: immō laetāre tē nōn inclūsum esse in cubiculō ut frātrem tuum! Nec Mārcō licet cum aliīs puerīs lūdere."

Quīntus: "Is nōn aegrōtat nec dolōrēs patitur."

Syra: "Etsī valet, certē tergī dolōrēs passus est." — patī passum esse

Quīntus: "Estne verberātus Mārcus? Cūr eī nōn licet exīre? Quid factum est postquam frāter meus domum rediit? Omnia ignōrō. Dum hīc sōlus cubō, nihil nōscere possum, etsī omnia scīre cupiō." — fierī factum esse; red-īre -iisse; ignōrāre = nescīre; cupere -iō = velle

II Syra: "Iam nārrābō tibi omnia quae facta sunt: Frāter tuus hodiē sine comite in lūdum iit..." — iam (+ *fut*) = continuō; īre iisse (< īvisse)

Quīntus: "Nōnne Mēdus eum comitātus est?" — comitārī -ātum esse

Syra: "Mēdus herī domō fūgit — putō quia amīcam suam, quae Rōmae habitat, vidēre cupīvit." — cupere -īvisse

Quīntus: "Quōmodo Mēdus, quī vix umquam Rōmae fuit, puellam Rōmānam nōscere potuit?" — vix umquam = prope numquam

Syra: "Nesciō quōmodo, sed certō sciō eum aliquam fēminam nōvisse, nam saepe dē eā locūtus est. Nihil difficile est amantī, ut āiunt." — certō *adv*; ali-qua fēmina, *acc* ali-quam fēminam; nōscere nōvisse; loquī locūtum esse; ut *hominēs* āiunt

"Mēdus igitur hodiē Mārcum comitārī nōn potuit. Nūper Mārcus sōlus rediit, sed pater fīlium suum redeuntem vix cognōvit neque eum ōsculātus est ut solet, nam Mārcus nōn modo ūmidus erat quod per imbrem ambulāverat, sed etiam sordidus atque cruentus quod humī iacuerat et ā Sextō pulsātus erat. Puerī enim in viā pugnāverant: prīmum Mārcum pulsāverat Sextus, tum Mārcus et Titus Sextum pulsāverant. Hōc audītō, dominus Mārcum sevērē reprehendit." — cognōscere cognōvisse cognitum; cruentus -a -um < cruor; reprehendere -disse -ēnsum

Quīntus: "Māter quid dīxit?"

Syra: "Māter tua nōn aderat, sed paulō post intrāvit. — ad-erat

lavāre lāvisse lautum (= lavātum)
vidēre vīdisse vīsum

cēterum = praetereā, sed

pēior cēterīs (*abl*) = pēior *quam* cēterī

mentīrī mentītum esse

ali-quis, *acc* ali-quem

tumultus -ūs *m* = clāmor et strepitus
verērī veritum esse

mordēre momordisse morsum
lupō ferōcior = ferōcior *quam* lupus

saepe, *comp* saepius, *sup* saepissimē
nōvisse ↔ ignōrāre

dare dedisse datum
lūdere lūsisse

Tunc Mārcus iam lautus erat et vestem mūtāverat, domina eum sordidum atque cruentum nōn vīdit. Mārcus vērō 'sē bonum discipulum fuisse' dīxit, etsī in lūdō dormīverat nec magistrum recitantem audīverat — cēterum in hāc rē is nōn pēior fuerat cēterīs, nam omnēs dormīverant! Postrēmō litterās pulchrās quās Sextus scrīpserat mātrī ostendit atque dīxit 'sē ipsum eās litterās scrīpsisse.' Tam turpiter frāter tuus mentītus est!"

Quīntus: "Quōmodo scīs Mārcum mentītum esse et eās litterās ā Sextō scrīptās esse?"

Syra: "Quia nōmen 'Sextī' in tabellā scrīptum erat. Et paulō post tabellārius advēnit..."

Quīntus: "Nūper aliquem iānuam pulsāre et canem valdē lātrāre audīvī. Tum subitō magnā vōce clāmāvit aliquis. Quidnam tantus ille tumultus significāvit?"

Syra: "Tabellārius clāmāvit quod canem veritus est, nec sine causā, nam canis eum momordit et vestem eius scidit. Is canis lupō ferōcior est!"

Quīntus: "Ego canem iānitōris nōn vereor neque umquam ab eō morsus sum."

Syra: "Id nōn mīror, nam canis saepissimē tē vīdit. Canis tē nōvit, ignōrat illum."

Quīntus: "Canis mē nōn modo nōvit, sed etiam dīligit, nam multa eī ossa dedī et saepe cum eō lūsī. Cēterum quid attulit tabellārius?"

Syra: "Epistulam attulit in quā magister scrīpserat 'Mārcum discipulum pigerrimum fuisse atque foedē et

prīmō *adv* = initiō

fatērī fassum esse

velle voluisse

melior frātre meō = m. *quam* frāter meus

stultior *vōbīs* (*abl*) = stultior quam vōs

ambulāv*erat*

plūs-quam-perfectum

-erat

prāvē scrīpsisse.' Tum Mārcus, quī prīmō omnia negāverat, 'sē mentītum esse' fassus est."

Quīntus: "Profectō verbera meruit!"

Syra: "Magister eum iam bis verberāverat, nec igitur pater eum dēnuō verberāre voluit, sed in cubiculum inclūsit. Cēterum facile tibi est frātrem tuum reprehendere, dum ipse hīc in mollī lectulō cubās. Tūne ipse semper bonus discipulus es?"

Quīntus: "Melior sum frātre meō! Herī laudātus sum, quia pulchrē scrīpseram et recitāveram."

Syra: "Tūne sōlus pulchrē scrīpserās et recitāverās?"

Quīntus: "Immō omnēs praeter Mārcum laudātī sumus, quod pulchrē scrīpserāmus et recitāverāmus."

Syra: "Sī vōs laudātī estis, quod pulchrius scrīpserātis et recitāverātis quam Mārcus, nōnne ille tam rēctē scrīpserat quam vōs? Ego Mārcum bene nōvī, nec putō eum vōbīs stultiōrem esse."

Quīntus: "At certē pigrior est nōbīs!"

GRAMMATICA LATINA

Verbī tempora

Plūsquamperfectum

[A] Āctīvum.

Puer ūmidus est quod per imbrem ambulāv*it*.

Puer ūmidus erat quod per imbrem ambulāv*erat*

'Ambulāvit' praeteritum perfectum est. 'Ambulāv*erat*' est tempus praeteritum plūsquamperfectum. Plūsquamperfectum dēsinit in *-erat* (pers. III sing.), quod ad īnfīnītīvum perfectī sine *-isse* additur.

[1] recitāv|*era*|*m*
recitāv|*erā*|*s*
recitāv|*era*|*t*
recitāv|*erā*|*mus*
recitāv|*erā*|*tis*
recitāv|*era*|*nt*
[2] pāru|*era*|*m*
pāru|*erā*|*s*
pāru|*era*|*t*
pāru|*erā*|*mus*
pāru|*erā*|*tis*
pāru|*era*|*nt*
[3] scrīps|*era*|*m*
scrīps|*erā*|*s*
scrīps|*era*|*t*
scrīps|*erā*|*mus*
scrīps|*erā*|*tis*
scrīps|*era*|*nt*
[4] dormīv|*era*|*m*
dormīv|*erā*|*s*
dormīv|*era*|*t*
dormīv|*erā*|*mus*
dormīv|*erā*|*tis*
dormīv|*era*|*nt*
fu|*era*|*m* *fu*|*erā*|*mus*
fu|*erā*|*s* *fu*|*erā*|*tis*
fu|*era*|*t* *fu*|*era*|*nt*

-era|*m* *-erā*|*mus*
-erā|*s* *-erā*|*tis*
-era|*t* *-era*|*nt*

verberāt|*us erat*

verberāt|*ī erant*

verberāt|*us eram*
verberāt|*us erās*
verberāt|*us erat*
verberāt|*ī erāmus*
verberāt|*ī erātis*
verberāt|*ī erant*

-tus|*eram* *-tī*|*erāmus*
-ta|*erās* *-tae*|*erātis*
erat *erant*
-tum erat *-ta erant*

Exempla: [1] recitāv|*erat;* [2] pāru|*erat;* [3] scrīps|*erat;* [4] dormīv|*erat.*

Herī magister puerum laudāvit, quia bonus discipulus *fuerat:* bene recit*āverat* et scrī*pserat,* magistrō pār*uerat,* nec in lūdō dormī*verat.*

Bonus discipulus malō: "Herī magister mē laudāvit, quia bonus discipulus *fueram:* bene recit*āveram* et scrī*pseram,* magistrō pār*ueram,* nec in lūdō dormī*veram.* At tē verberāvit magister, quia malus discipulus *fuerās:* male recit*āverās* et scrī*pserās,* in lūdō dormī*verās,* nec magistrō pār*uerās.*"

Herī magister puerōs laudāvit, quia bonī discipulī *fuerant:* bene recit*āverant* et scrī*pserant,* magistrō pār*uerant,* nec in lūdō dormī*verant.*

Bonī discipulī malīs: "Herī magister nōs laudāvit, quia bonī discipulī *fuerāmus:* bene recit*āverāmus* et scrī*pserāmus,* magistrō pār*uerāmus,* nec in lūdō dormī*verāmus.* At vōs verberāvit magister, quia malī discipulī *fuerātis:* male recit*āverātis* et scrī*pserātis,* in lūdō dormī*verātis,* nec magistrō pār*uerātis.*"

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	-eram	-erāmus
Persōna secunda	-erās	-erātis
Persōna tertia	-erat	-erant

[B] Passīvum.

Magister Mārcum verberāverat = Mārcus verberā*tus erat* ā magistrō. Magister puerōs verberāverat = puerī verberā*tī erant* ā magistrō.

Fīlius: "Pater mē verberāvit, etsī iam ā magistrō verberā*tus eram.*" Māter: "Cūr verberā*tus erās?*"

Fīliī: "Pater nōs verberāvit, etsī iam ā magistrō verberā*tī erāmus.*" Māter: "Cūr verberā*tī erātis?*"

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	verberā*tus eram*	verberā*tī erāmus*
Persōna secunda	verberā*tus erās*	verberā*tī erātis*
Persōna tertia	verberā*tus erat*	verberā*tī erant*

PENSVM A

Mārcus rediēns sordidus erat quod humī iac– et cruentus quod Sextus eum puls–. Puerī in viā pugn–. Tergum Mārcō dolēbat quod magister eum verber–. Mārcus ā magistrō verber– — quod in lūdō dorm– nec magistrum recitantem aud–. Mārcus: "Magister mē verberāvit quod in lūdō dorm– nec eum recitantem aud–, sed mē laudāvit quod bene comput– et scrīps–."

Verba: lavāre –isse –um; vidēre –isse –um; mordēre –isse –um; dare –isse –um; reprehendere –isse –um; frangere –isse –um; cognōscere –isse –um; nōscere –isse; lūdere –isse; cadere –isse; īre –isse; cupere –isse; velle –isse; patī –um esse; loquī –um esse; fatērī –um esse.

PENSVM B

Puer — [= aeger] dormīre nōn potest sīve in — dextrō iacet sīve in — [= sinistrō]. Itaque surgere cōnātur, sed in lectō —, nam pēs — [= rūrsus] dolēre incipit. Mārcus clāmat et forem valdē — [=pulsat], ita puer inclūsus forem — cōnātur. Quīntus clāmōrem et — audit et Syram vocat; quae — accurrit. Puer dīcit 'pedem — dolēre': "Pēs mihi dolet, ob — dormīre nōn possum. Fortasse — crūris frāctum est." Syra: "Nōlī —!" Quīntus: "Nōn fleō, — [= quamquam] dolōrem gravem —."

PENSVM C

Cūr Quīntus mīrātur pedēs suōs aspiciēns?
Quam ob rem pēs eius aegrōtat?
Estne frāctum os crūris?
Quārē Mārcus forem frangere cōnātur?
Quid Syra Quīntō nārrat dē Mārcō?
Cūr Mārcus rediēns cruentus erat?
Quārē Mēdus ē vīllā fūgit?
Quid Syra dē cane iānitōris putat?
Cūr canis Quīntum dīligit?
Cūr Iūlius Mārcum nōn verberāvit?

Vocābula nova:
latus
sonus
strepitus
dolor
os
tumultus
aegrōtus
laevus
pār
impār
subitus
cruentus
convertere
mīrārī
recumbere
percutere
frangere
flēre
patī
ignōrāre
nōscere
cupere
iūxtā
dēnuō
subitō
continuō
certō
prīmō
valdē
aliter
intus
etsī
cēterum
plūsquamperfectum

GRAECIA
Lemnos
Troia
Lesbos
ASIA
Euboca
Chios
Mare
Aegaeum
Delphi
Corinthus
Athenae
Samos
Icaria
Peloponnesus
Naxus
Sparta
Melos
Rhodus
Creta



1 = nom + verb
1 = Gen.
1 = acc.
1 = abl.
1 = dat.

THESEVS ET MINOTAVRVS

I Syra, postquam facta Mārcī nārrāvit, abīre vult, sed Quīntus "Nōlī" inquit "mē relinquere! Tē hīc manēre volō. Nārrā mihi aliquam fābulam!"

Syra: "Quam fābulam mē tibi nārrāre vīs? Fābulamne dē lupō et agnō quī forte ad eundem rīvum vēnērunt? an fābulam dē puerō quī cupīvit regere equōs quī currum Sōlis per caelum trahunt?"

Tacente Quīntō, Syra pergit: "An cupis audīre fābulam dē Achille, duce Graecōrum, quī Hectorem, ducem Trōiānum, interfēcit atque corpus eius mortuum post currum suum trāxit circum moenia urbis Trōiae? an fābulam dē Rōmulō, quī prīma moenia Rōmāna aedificāvit..."

Quīntus: "...et Remum frātrem interfēcit quia moenia humilia dērīdēbat! Omnēs istās fābulās antīquās saepe audīvī. Iam vērō nec dē hominibus nec dē bēstiīs



currus
-ūs *m*

fābula -ae *f* (< fārī)

agnus -ī *m* = parvula ovis
forte = nesciō cūr, sine causā
regere = gubernāre
Sōl : deus sōlis
trahere trāxisse tractum

Achillēs -is *m*
Hector -oris *m*
Trōiānus -a -um < Trōia -ae *f*, urbs Asiae
inter-ficere -iō -fēcisse -fectum = mortuum facere
moenia -ium *n pl* = mūrī

Rōmulus -ī *m*

Remus -ī *m*

humilis -e ↔ altus

audīre cupiō. Nārrā mihi fābulam dē aliquō ferōcī mōnstrō, cui caput bēstiae et corpus hominis est et quod hominēs vīvōs vorat! Tālem fābulam audīre cupiō."

mōnstrum -ī *n*

vorāre = tōtum ēsse

Syra: "At tāle mōnstrum tē terrēbit, Quīnte."

timidus -a -um = quī timet

Quīntus: "Nōlī putāre mē puerum timidum esse! Timor mōnstrōrum puerum Rōmānum nōn decet!"

Thēseus -ī *m*
Mīnōtaurus -ī *m*

"Nārrābō tibi fābulam dē Thēseō et Mīnōtaurō" inquit Syra, et sīc nārrāre incipit:

ōlim = aliquō tempore, tempore antīquō
terribilis -e < terrēre
taurus -ī *m* = bōs masculus
labyrinthus -ī *m*

"In īnsulā Crētā ōlim vīvēbat mōnstrum terribile, nōmine Mīnōtaurus, cui caput taurī, corpus virī erat. Mīnōtaurus in magnō labyrinthō habitābat."



taurus



Quīntus: "Quid est labyrinthus?"

aedificium -ī *n* < aedificāre

Syra: "Est magnum aedificium quod frequentibus mūrīs in plūrimās partēs dīviditur. Nēmō quī tāle aedificium semel intrāvit rūrsus illinc exīre potest, etsī iānua patet. Labyrinthus ille in quō Mīnōtaurus inclūsus tenēbātur, ā Daedalō, virō Athēniēnsī, aedificātus erat. Quī iam antequam ex urbe Athēnīs in Crētam vēnit, complūrēs rēs mīrābilēs fēcerat.

patēre = apertus esse
Daedalus -ī *m*
Athēniēnsis -e < Athēnae -ārum *f pl*, urbs Graeciae
quī : Daedalus
com-plūrēs -a = plūrēs quam duo
mīrābilis -e < mīrārī

"Mīnōtaurus nihil praeter hominēs vīvōs edēbat. Itaque complūrēs adulēscentēs virginēsque quotannīs

quot-annīs = omnī annō, quōque annō

Athēnīs in Crētam mittēbantur, quī omnēs in labyrinthō ā mōnstrō illō saevō vorābantur. Nāvis quā Athēniēnsēs illūc vehēbantur vēla ātra gerēbat, nam eō colōre significātur mors."

II Quīntus: "Quam ob rem tot Athēniēnsēs ad mortem certam mittēbantur?"

Syra: "Rēx Mīnōs, quī tunc Crētam regēbat, paucīs annīs ante urbem Athēnās bellō expugnāverat. Post expugnātiōnem urbis Mīnōs, cupidus aurī atque sanguinis, nōn modo magnam pecūniam, sed etiam hominēs vīvōs ab Athēniēnsibus postulāverat. Rēx enim Athēniēnsibus male volēbat, quod fīlius eius paulō ante ab iīs necātus erat.

"Eō tempore Thēseus, vir patriae amāns atque glōriae cupidus, Athēnīs vīvēbat. Quī nūper Athēnās vēnerat neque ibi fuerat cum urbs ā rēge Mīnōe expugnāta est. Thēseus, quī patrem Mīnōtaurī, taurum album, iam necāverat, novam glōriam quaerēns Mīnōtaurum ipsum quoque interficere cōnstituit. Itaque ūnā cum cēterīs Athēniēnsibus nāvem vēlīs ātrīs ōrnātam cōnscendit et in Crētam profectus est. Ibi continuō rēgem Mīnōem adiit, quī eum ā mīlitibus in labyrinthum dūcī iussit.

"Mīnōs autem fīliam virginem habēbat, cui nōmen erat Ariadna. Quae cum prīmum Thēseum cōnspexit, eum amāre coepit cōnstituitque eum servāre.

"Ariadna igitur, antequam Thēseus labyrinthum intrāvit, ad eum accessit et sīc loquī coepit: "Contrā Mī-

Athēnīs (*abl*) = *ab/ex* urbe Athēnīs
saevus -a -um = ferōcissimus
illūc = ad illum locum

mors mortis *f*

rēx rēgis *m*: vir quī terram/urbem regit
Mīnōs -ōis *m*: rēx Crētae
expugnātiō -ōnis *f* < expugnāre
cupidus -a -um < cupere; aurī cupidus = quī aur*um* cupit

velle: volēbat (*imperf*)
bene/male velle + *dat* = amīcus/inimīcus esse
necāre = interficere
patri*ae* amāns = quī patri*am* amat
glōria -ae *f* = magna laus
Athēnīs=*in* urbe Athēnīs
Athēnās = *ad/in* urbem Athēnās
ibi = illīc

cōn-stituere -uisse -ūtum
vēlīs ōrnātus = vēla gerēns
cōnscendere -disse
proficīscī -fectum esse

iubēre iussisse iussum
eum ā mīlitibus dūcī iussit = mīlitēs eum dūc*ere* iussit
cōn-spicere -iō -spexisse -spectum
incipere -iō coepisse coeptum

ac-cēdere -cessisse

auxilium -ī *n*

occīdere -disse -sum = interficere (gladiō)
cīvis -is *m/f* = quī/quae in eādem urbe habitat

parātus -a -um

exitus -ūs *m* < exīre

reperīre repperisse repertum
fīlum -ī *n* = līnea tenuis

hūc = ad hunc locum
haec locūta = postquam haec locūta est
opperīre! = exspectā!

brevī *adv* = brevī tempore, mox

pollicērī = prōmittere

mora -ae *f*: sine morā = continuō
petere -īvisse -ītum

Mīnōtaurō occīsō = postquam M.us occīsus est
sequī secūtum esse
fīlum secūtus : postquam fīlum secūtus est, fīlum sequēns

nex necis *f* < necāre



exitus

nōtaurum ego tibi auxilium ferre nōn possum..." "Deī" inquit Thēseus "mihi auxilium ferent contrā illum. Hodiē certē Mīnōtaurum occīdam atque cīvēs meōs ā mōnstrō illō terribilī servābō. Bonum gladium gerō. Ad pugnam parātus sum." Tum Ariadna "Hoc nōn dubitō" inquit, "sed quōmodo exitum labyrinthī posteā reperiēs? Nēmō adhūc per sē viam ē labyrinthō ferentem repperit. Ego vērō tibi auxilium feram: ecce fīlum ā Daedalō factum quod tibi viam mōnstrābit. Auxiliō huius fīlī hūc ad mē redībis." Haec locūta, Ariadna Thēseō fīlum longum dedit; atque ille "Opperīre mē" inquit "hīc ad iānuam! Nōlī timēre! Ego mortem nōn timeō. Sine timōre mortis contrā hostem eō. Brevī hūc redībō, neque sine tē, Ariadna, in patriam revertar. Illūc tē mēcum dūcam neque umquam tē relinquam. Hoc tibi polliceor."

"Tum Thēseus, fīlum Ariadnae post sē trahēns, labyrinthum intrāvit ac sine morā Mīnōtaurum in mediō labyrinthō exspectantem petīvit, quem post brevem pugnam gladiō occīdit. Mīnōtaurō occīsō, Thēseus fīlum Ariadnae secūtus exitum labyrinthī facile repperit. Ita Thēseus ob amōrem patriae cīvēs suōs ā mōnstrō saevissimō servāvit.

"Haec sunt quae nārrantur dē nece Mīnōtaurī."

Hīc Quīntus "Perge" inquit "nārrāre dē Thēseō et Ariadnā! Nōnne illa Thēseum secūta est?"

Syra: "Thēseus ē labyrinthō exiēns "Mīnōtaurus ne-

III

cātus est" inquit, "Laetāminī, cīvēs mēī! Intuēminī gladium meum cruentum! Sequiminī mē ad portum! Ibi nāvis mea parāta est ad nāvigandum." Tum Ariadnam cōnspiciēns "Et tū" inquit "sequere mē! Proficīscere mēcum Athēnās!" Ariadna, quae nihil magis cupiēbat, "Parāta sum ad fugiendum" inquit, atque sine morā nāvem Thēseī cōnscendit. Thēseus nāvem solvit et cum fīliā rēgis nāvigāvit Naxum; ibi vērō nocte silentī Ariadnam dormientem relīquit atque ipse Naxō profectus est. Māne Ariadna ē somnō excitāta amīcum in lītore quaesīvit neque eum repperit. Puella misera ab humilī lītore

laetā*minī!* = gaudēte!
intuē*minī!* = spectāte!
sequi*minī* mē! = venīte mēcum!
nāvigāre: *ad* nāviga*ndum*

et = etiam; et tū = etiam tū

fugere: *ad* fugi*endum*

Naxus -ī *f*
Nax*um* = *ad* īnsulam Naxum
Naxō = *ab* īnsulā Naxō
relinquere -līquisse -lictum
lītus -oris *n*
quaerere -sīvisse -sītum



lītus saxum

in altum saxum ascendit, unde prōspiciēns nāvem Thēseī procul in marī vīdit. Tum, etsī vōx eius ā nūllō audīrī poterat, Ariadna amīcum suum fugientem vocāvit: "Thēseu! Thēseu! Revertere ad mē!" neque ūllum respōnsum eī redditum est praeter vōcem ipsīus quam dūra saxa reddidērunt. Brevī nāvis ē cōnspectū eius abiit neque iam ūllum vēlum in marī cernēbātur. Ariadna igitur in lītus dēscendit atque hūc et illūc currēns

saxum -ī *n*
prō-spicere -iō = ante sē aspicere
ascendere -disse

Thēseus, *voc* Thēseu!

revertere! = redī!

red-dere -didisse -ditum

cōnspectus -ūs *m* < cōnspicere; ē cōnspectū = ab oculīs

dē-scendere -disse [↓] ↔ ascendere [↑]

multīs cum lacrimīs capillum et vestem scindēbat, ut hominēs quī maerent agere solent — ita maerēbat virgō miserrima, quae ā virō quem ante omnēs amābat sōla relicta erat inter ferās īnsulae sīcut agnus timidus inter saevōs lupōs." 115

maerēre ↔ gaudēre

ante omnēs : magis quam omnēs aliōs

Quīntus: "Cūr Thēseus amīcam suam ita dēseruit?"

Syra: "Tālēs sunt virī, mī puer. Montēs aurī fēminīs pollicentur, tum prōmissa oblīvīscuntur ac fēminās sine nummō dēserunt! Quis tam facile prōmissum oblīvīscitur quam vir quī fēminam amāvit? Ego quoque ōlim 120 dēserta sum ab amīcō pecūniōsō quī mihi magnās rēs pollicitus erat. Nōlī vērō putāre mē ob cupiditātem pecūniae amāvisse eum, ego eum amābam quia eum probum virum esse crēdēbam. Etiam nunc maereō ob amōrem illīus virī." 125

dēserere -uisse -rtum = relinquere

oblīvīscī -lītum esse

quis...? : nēmō...!

pollicērī -itum esse

cupiditās -ātis *f* < cupidus

ob amōrem virī : quia virum amō/amāvī

Quīntus: "Oblīvīscere illīus virī improbī quī tē tam turpiter dēseruit!"

Syra: "Nōn facile est amōris antīquī oblīvīscī. Sed hoc tū nōndum intellegis, mī Quīnte. Redeō ad nārrātiōnem fābulae, quam prope oblīta sum, dum dē aliīs 130 rēbus loquor.

oblīvīscī + *gen/acc:* o. hominis, o. rei/rem

nārrātiō -ōnis *f* < nārrāre

"Ariadnā Naxī relictā, Thēseus ad patriam suam nāvigābat. Interim pater eius Aegeus, rēx Athēniēnsium, ab altō saxō in mare prōspiciēbat. Brevī nāvis fīliī in cōnspectum vēnit, sed nāvis rediēns eadem vēla ātra 135 gerēbat quae abiēns gesserat: Thēseus enim post necem Mīnōtaurī vēla mūtāre oblītus erat! Itaque Aegeus, ar-

Naxī = in īnsulā Nāxō

Aegeus -ī *m*

gerere gessisse gestum

arbitrātus = quī arbitrātus est

bitrātus mortem fīliī eō colōre significārī, sine morā dē saxō sē iēcit in mare, quod ā nōmine eius etiam nunc 'mare Aegaeum' vocātur.

iacere -iō iēcisse iactum

"Post mortem rēgis Aegeī fīlius eius Thēseus rēx Athēniēnsium factus est. Quī multōs annōs Athēnās magnā cum glōriā rēxit."

regere rēxisse rēctum

Hīs verbīs Syra fīnem nārrātiōnis facit.

fīnem nārrātiōnis facit = nārrāre dēsinit

GRAMMATICA LATINA

Verba dēpōnentia

Imperātīvus.

Laetā|*re!* = gaudē!	Laetā|*minī!* = gaudēte!
Intuē|*re!* = spectā!	Intuē|*minī!* = spectāte!
Revert|*ere!* = redī!	Revert|*iminī!* = redīte!
Partī|*re!* = dīvide!	Partī|*minī!* = dīvidite!

[1] laetā|rī
lāetā|*re* laetā|*minī*
[2] intuē|rī
intuē|*re* intuē|*minī*
[3] revert|ī
revert|*ere* revert|*iminī*
[4] partī|rī
partī|*re* partī|*minī*

-re *-minī*

'Laetā*re* laetā*minī*' et cētera sunt imperātīvī verbōrum dēpōnentium. Imperātīvus verbī dēpōnentis: singulāris *-re*, plūrālis *-minī*.

PENSVM A

Mēdus (ad Lȳdiam): "In Graeciam ībō. Comit– mē! Proficīsc– mēcum! Hoc mihi pollic–! Oblīvīsc– Rōmae! Ōscul– mē!"

Mēdus (ad nautās): "Iam proficīsc–, nautae! Ventus secundus est: intu– caelum! Laet–!"

Verba: trahere –isse –um; petere –isse –um; quaerere –isse –um; occīdere –isse –um; relinquere –isse –um; interficere –isse –um; cōnstituere –isse –um; dēserere –isse –um; cōnspicere –isse –um; incipere –isse –um; reddere –isse –um; reperīre –isse –um; iubēre –isse –um; gerere –isse –um; iacere –isse –um; regere –isse –um; accēdere –isse; ascendere –isse; proficīscī –um esse; sequī –um esse; oblīvīscī –um esse.

Vocābula nova:
fābula
agnus
currus
moenia
mōnstrum
taurus
labyrinthus
aedificium
mors

rēx
expugnātiō
glōria
auxilium
cīvis
exitus
fīlum
mora
nex
lītus
saxum
cōnspectus
cupiditās
nārrātiō
humilis
timidus
terribilis
mīrābilis
saevus
cupidus
parātus
regere
trahere
interficere
aedificāre
vorāre
patēre
necāre
cōnstituere
occīdere
pollicērī
prōspicere
dēscendere
maerēre
dēserere
oblīvīscī
coepisse
complūrēs
forte
quotannīs
ōlim
ibi
illūc
hūc
brevī

PENSVM B

Quīntus — dē lupō et — audīre nōn vult nec fābulam dē Achille, quī Hectorem — et corpus eius mortuum post — suum circum — [= mūrōs] Trōiae —.

Labyrinthus est magnum — unde nēmō exīre potest, etsī iānua —. Thēseus, quī patrem Mīnōtaurī, — album, iam necāverat, Mīnōtaurum ipsum quoque — [= interficere] —. Antequam Thēseus, ad pugnam —, labyrinthum intrāvit, Ariadna, fīlia —, eī — longum dedit. Ita Ariadna Thēseō — tulit, nam ille fīlum sequēns — labyrinthī repperit. Post — Mīnōtaurī Thēseus cum Ariadnā Naxum nāvigāvit atque — [= illīc] eam — [= relīquit]. Ariadna ab altō — prōspiciēbat, sed — [= mox] nāvis Thēseī ē — eius abiit. Puella misera in — dēscendit, ubi — et — currēns capillum scindēbat, ut faciunt eae quae —. Thēseus post — patris multōs annōs Athēnās —.

PENSVM C

Quid fēcit Achillēs?
Quid fēcit Rōmulus?
Quālem fābulam Quīntus audīre cupit?
Ubi habitābat Mīnōtaurus?
Quid est labyrinthus?
Quid Mīnōtaurus edēbat?
Cūr tot Athēniēnsēs ad eum mittēbantur?
Quis Athēniēnsēs ā Mīnōtaurō servāvit?
Quōmodo Thēseus exitum labyrinthī repperit?
Sōlusne Thēseus ē Crētā profectus est?
Ubi Thēseus Ariadnam relīquit?
Ā quō mare Aegaeum nōmen habet?



DAEDALVS ET ICARVS

Quīntus: "Nōnne rēx Mīnōs Thēseum cum Ariadnā fugientem persecūtus est?"

Syra: "Certē rēx eōs persequī coepit, sed nāvis Thēseī nimis celeris fuit. Mīnōs, quamquam celeriter nāvigāvit, nōn tam celer fuit quam Thēseus neque eum cōnsequī potuit. Tum rēx īrātus cēpit Daedalum, quī fīlum cōnfēcerat et Ariadnae dederat, eumque in labyrinthum inclūdī iussit ūnā cum eius Īcarō fīliō; vērum pater et fīlius mīrābilī modō ē labyrinthō fūgērunt. Crās tibi nārrabō dē fugā eōrum, hodiē plūs temporis ad nārrandum nōn habeō: iam hōram cōnsūmpsī in nārrandō."

Quīntus: "Neque tempus melius cōnsūmere potuistī! Nōn oportet in mediā fābulā fīnem nārrandī facere. Quoniam māiōrem fābulae partem iam nārrāvistī, partem reliquam quoque nārrāre dēbēs. Ego parātus sum ad audiendum."

Ad hoc Syra "Ergō" inquit, "quoniam tam cupidus es audiendī, reliquam fābulam tibi nārrābō:

per-sequī = (fugientem) sequī

celer -eris -ere:
equus celer (*m*)
nāvis celer*is* (*f*)
pīlum celere (*n*)
capere-iō cēpisse captum

cōn-ficere -iō -fēcisse -fectum = facere
vērum = sed
Īcarus -ī *m*

fuga -ae *f* < fugere
ad nārran*dum* = ad nārrātiōnem
cōn-sūmere
in nārran*dō* = in nārrātiōne

fīnis nārran*dī* = fīnis nārrātiōnis
quoniam = quia

reliquus -a -um = cēterus

cupidus audi*endī* = quī audīre cupit
reliqua fābula = reliqua fābulae pars

"Daedalus in labyrinthō inclūsus cum fīliō suō intrā mūrōs errābat nec exitum invenīre poterat, etsī ipse labyrinthum aedificāverat. Quoniam igitur aliae viae clausae erant, ille vir audāx per āera effugere cōnstituit. Īcarus autem, quī cōnsilium patris ignōrābat, humī cōnsēdit et "Fessus sum" inquit "ambulandō in hōc carcere, quem ipse nōbīs aedificāvistī, pater. Ipsī per nōs hinc effugere nōn possumus, neque quisquam nōs in fugiendō iuvāre poterit, ut Thēseum iūvit Ariadna. Haud longum tempus nōbīs reliquum est ad vīvendum, nam cibus noster paene cōnsūmptus est. Ego iam paene mortuus sum. Nisi diī nōs iuvābunt, numquam vīvī hinc ēgrediēmur. Ō diī bonī, auxilium ferte nōbīs!"

"Daedalus vērō "Quid iuvat deōs invocāre" inquit, "dum hīc quiētus sedēs? Quī ipse sē iuvāre nōn vult, auxilium deōrum nōn meret. At nōlī timēre! Ego cōnsilium fugae iam excōgitāvī. Etsī clausae sunt aliae viae, ūna via nōbīs patet ad fugiendum. Intuēre illam aquilam quae in magnum orbem circum carcerem nostrum volat! Quis est tam līber quam avis quae trāns montēs, vallēs, flūmina, maria volāre potest. Quīn avēs caelī imitāmur? Mīnōs, quī terrae marīque imperat, dominus āeris nōn est: per āera hinc ēvolābimus! Hoc est cōnsilium meum. Nēmō nōs volantēs persequī poterit." "Ego quidem studiōsus sum volandī" inquit Īcarus, "sed ālae necessāriae sunt ad volandum. Quoniam diī nōbīs ālās nōn dedērunt, volāre nōn possumus. Hominēs sumus,

in-venīre = reperīre

audāx -ācis = audēns
āera *acc* (= āerem)
ef-fugere < ex + fugere
cōnsilium -ī *n*: c. eius = quod facere cōnstituit
cōnsīdere -sēdisse

carcer -eris *m*
per nōs : sine auxiliō
quis-quam = ūllus homō (neque q. = et nēmō)
iuvāre iūvisse: eum i. = eī auxilium ferre
haud = nōn

paene = prope
diī = deī

carcer

ex-cōgitāre

orbis -is *m*

līber -era -erum
trāns *prp+acc*:



imitārī: avēs i. = facere ut avēs
ē-volāre

quidem = certē
studiōsus -a -um = cupidus discendī

nōn avēs. Nēmō nisi deus nātūram suam mūtāre potest. Avēs nātūrā volāre possunt, hominēs nōn item." Tum Daedalus "Quid ego facere nōn possum?" inquit, "Profectō arte meā ipsa nātūra mūtārī potest. Multās rēs mīrābilēs iam cōnfēcī, quae artem meam omnibus dēmōnstrant, nōn sōlum aedificia magnifica, ut hunc labyrinthum, vērum etiam signa quae sē ipsa movēre possunt tamquam hominēs vīvī. Ālās quoque cōnficere possum, quamquam opus haud facile est." "Audāx quidem est cōnsilium tuum" inquit Īcarus, "sed omne cōnsilium fugiendī mē dēlectat, ac tū id quod semel excōgitāvistī perficere solēs." "Certē cōnsilium meum perficiam" inquit pater, "Ecce omnia habeō quae necessāria sunt ad hoc opus: pennās, cēram, ignem. Igne cēram molliam, cērā mollī pennās iungam et in lacertīs fīgam."

"Daedalus igitur arte mīrābilī sibi et fīliō suō ālās ingentēs cōnfēcit ex pennīs, quās cērā iūnxit et in lacertīs fīxit. Postquam fīnem operis fēcit, "Opus iam perfectum est" inquit, "ecce exemplum artis meae novissimum. Avēs quidem nōn sumus, sed avēs imitābimur in volandō. Ventō celerius trāns mare volābimus, nūlla avis nōs cōnsequī poterit."

"Īcarus studiōsus volandī ālās hūc illūc mōvit, nec sē suprā humum levāre potuit. "Ālae mē sustinēre nōn possunt" inquit, "Tū docē mē volāre!" Statim Daedalus sē ālīs levāvit et "Nisi ālās rēctē movēs" inquit, "volāre nōn potes. Imitāre mē! Haud difficilis est ars volandī.

nisi deus : praeter deum

nōn item : nōn possunt

ars artis *f*: ars mea = id quod facere possum

ignis -is *m*

tam-quam = sīcut

opus -eris *n*

cōnsilium fugiendī = cōnsilium fugae
per-ficere -iō -fēcisse -fectum < per + facere


penna -ae *f*

mollīre = mollem facere
lacertus -ī *m* = bracchium superius
ingēns -entis = valdē magnus
iungere iūnxisse iūnctum
fīgere fīxisse fīxum

movēre mōvisse mōtum

levāre (< levis) = tollere

sūrsum[↑]↔deorsum[↓]

puerum ōsculātus = postquam puerum ōsculātus est

īnfimus -a -um *sup* < īnferus, *comp* īnferior

sīn = sī autem

summus -a -um *sup* ↔ īnfimus; *comp* superior

ūrere ussisse ustum = igne cōnsūmere

cautus -a -um ↔ audāx

estō! estōte! = es! este! (*imp*)

aliquis : aliquī vir

su-spicere -iō = sūrsum aspicere

lībertās -ātis *f* < līber

dē-spicere (↔ suspicere) = deorsum aspicere

multitūdō -inis *f* (<multī) = magnus numerus

tibi vidētur : tū putās

rēs magna esse mihi vidētur = rem magnam esse putō

paen-īnsula -ae *f* < paene īnsula

Isthmus -ī *m*

Movē ālās sūrsum deorsum hōc modō!" Ita pater fīlium suum artem volandī docuit tamquam avis pullōs suōs. Tum puerum ōsculātus "Parātī sumus ad volandum" inquit, "sed prius hoc tē moneō: volā post mē in mediō āere inter caelum et terram, nam sī in īnfimō āere prope mare volābis, pennae ūmidae fient, sīn volābis in summō āere prope caelum, ignis sōlis cēram molliet atque pennās ūret. Nōlī nimis audāx esse in volandō! Cautus estō, mī fīlī! Iam sequere mē! Carcerem nostrum effugimus — līberī sumus!"

"Haec verba locūtus Daedalus cum fīliō sūrsum ē *III* labyrinthō ēvolāvit, neque quisquam fugam eōrum animadvertit nisi aliquī pāstor, quī forte suspiciēns eōs tamquam magnās avēs volantēs vīdit ac deōs esse arbitrātus est. Mox pater et fīlius Crētam relīquērunt, neque vērō rēctā viā Athēnās in patriam suam volāvērunt, sed novā lībertāte dēlectātī in magnum orbem suprā mare Aegaeum volāre coepērunt. Īcarus dēspiciēns multitūdinem īnsulārum mīrātus est: "Ō, quot parvae īnsulae in marī ingentī sunt!" Daedalus vērō "Illae īnsulae" inquit "haud parvae sunt, quamquam parvae esse vidēntur. Certē Mēlos īnsula, quae īnfrā nōs est, nōn tam parva est quam tibi vidētur." Īcarus: "Sed illa īnsula quae nōbīs ā sinistrā est multō māior esse mihi vidētur. Quae est illa īnsula?" Daedalus: "Peloponnēsus est, Graeciae pars, nec vērō īnsula est, sed paenīnsula, nam Peloponnēsus terrā angustā, quae Isthmus vocā-

tur, cum reliquā Graeciā coniungitur. Prope Isthmum sita est Corinthus, urbs pulcherrima, nec procul absunt Athēnae, patria nostra." "Sī altius volābimus, nōn sōlum Graeciam, sed paene tōtum orbem terrārum spectābimus" inquit puer temerārius atque etiam altius sē levāvit. Illinc nōn sōlum magnās Eurōpae et Asiae partēs dēspiciēbat mīrāns, vērum etiam ōram Āfricae procul cernēbat, deinde suprā sē sōlem in caelō serēnō lūcentem suspexit. Statim puer, cupidus sōlem propius aspiciendī, quamquam pater eum monuerat, in summum caelum ascendit..."

Corinthus -ī *f*

orbis terrārum = omnēs terrae (Eurōpa, Asia, Āfrica)
temerārius -a -um = nimis audāx

-spicere -iō -spexisse -spectum

Hīc Quīntus, quī exitum fābulae studiōsē exspectat, interrogat: "Quid tum accidit?"

exitus = fīnis

accidere -disse = fierī: accidit = fit/factum est



orbis terrārum

Syra: "Tum factum est id quod necesse erat accidere: ignis sōlis propinquī cēram, quā pennae iūnctae et fīxae erant, mollīvit et pennās ussit. Puer territus, lacertōs nūdōs quatiēns, in mare cecidit ac mersus est, neque pater eī auxilium ferre potuit. Ea maris Aegaeī pars in quā Īcarus mersus est ā nōmine eius 'mare Īcarium'

propinquus -a -um = quī prope est

quatere -iō = celeriter hūc illūc movēre
mergere mersisse mersum

Īcarius -a -um < Īcarus

appellātur. Item īnsula propinqua, in cuius lītore corpus puerī inventum est, etiam nunc 'Īcaria' vocātur.

invenīre -vēnisse -ventum

"Ecce omnem fābulam habēs dē puerō temerāriō quī lībertātem quaerēns mortem invēnit. Iam tempus dormiendī est. Nōnne fessus es longās fābulās audiendō?"

omnis -e = tōtus

tempus dormiendī est = tempus est dormīre

Quīntus caput quatit et "Nōn sum fessus, nec illa fābula longa esse mihi vidētur. Ex omnibus fābulīs haec dē cāsū Īcarī mē māximē dēlectat, etiam magis quam illa dē fīliō Sōlis, quī currum patris regere cōnātus item dē summō caelō cecidit, quod ab orbe sōlis stultē aberrāverat. Semper valdē dēlector tālēs fābulās audiendō."

cāsus -ūs *m* < cadere
valdē, *comp* magis, *sup* māximē

ab-errāre

Syra: "Ego nōn minus dēlector nārrandō illās fābulās, nōn modo quod ipsae per sē pulcherrimae esse mihi videntur, sed etiam quia exitūs fābulārum hominēs temerāriōs optimē monent. Tālis enim est hominum nātūra, et quidem māximē puerōrum. Nōn sōlum dēlectandī causā, vērum etiam monendī causā nārrātur fābula dē fīliō Daedalī, nam quod illī puerō accidit, idem omnī puerō accidere poterit, nisi patrī suō pāret. Nōlī Īcarum imitārī, mī Quīnte! Semper cautus estō! Vērum haud necesse est tē ā mē monērī post id quod herī tibi accidit. Certē ille cāsus tuus melius tē monet quam ūlla fābula!"

quārē nārrātur fābula? mone*ndī causā* nārrātur

Hīs verbīs puerō monitō, Syra tandem nārrandī fīnem facit. Neque Quīntus eam abeuntem revocat, sed in lectō recumbit oculōsque claudit. Mox puer in somnīs sibi vidētur ālīs ōrnātus trāns montēs et flūmina volāre.

re-vocāre

volāre sibi vidētur = sē volāre videt/putat

GRAMMATICA LATINA

Gerundium

Hōrā in nārrandō cōnsūmptā, Syra plūs temporis ad nārrandum nōn habet et fīnem facit nārrandī.

'Nārra*ndum*' est gerundium; quod pōnitur in locō īnfīnītīvī et sīc dēclīnātur: accūsātīvus *-ndum*, genetīvus *-ndī*, ablātīvus (et datīvus) *-ndō*.

Exempla:

Ovidius, semper parātus ad am*andum*, librum dē am*andō* scrīpsit, quī appellātur 'Ars am*andī*.'

Magister, quī artem doc*endī* scit, parātus est ad doc*endum*. Magister ipse discit aliōs doc*endō*.

Industriī estōte in scrīb*endō*, discipulī! Tempus scrīb*endī* est. Estisne parātī ad scrīb*endum*?

Iam tempus dorm*iendī* est, sed Quīntus nōn est fessus aud*iendō* neque parātus ad dorm*iendum*.

Scrībere scrīb*endō*, dīc*endō* dīcere discēs.

nārr*andum*
nārr*andī*
nārr*andō*

-ndum -ndī -ndō

[1] amā|re
ama|*nd*|*um*
ama|*nd*|*ī*
ama|*nd*|*ō*
[2] docē|re
doce|*nd*|*um*
doce|*nd*|*ī*
doce|*nd*|*ō*
[3] scrīb|ere
scrīb|*end*|*um*
scrīb|*end*|*ī*
scrīb|*end*|*ō*
[4] dormī|re
dormi|*end*|*um*
dormi|*end*|*ī*
dormi|*end*|*ō*

dīcere = loquī

PENSVM A

Nāvēs necessāriae sunt ad nāvig–. Iūlia dēlectātur in hortō ambul– et flōrēs carp–. Mēdus cōnsilium fugi– excōgitāvit; Lȳdia eum iūvit in fugi–. Paulum satis est ad beātē vīv–.

Verba: iungere –isse –um; fīgere –isse –um; mergere –isse –um; ūrere –isse –um; movēre –isse –um; capere –isse –um; invenīre –isse –um; cōnsīdere –isse; iuvāre –isse; accidere –isse.

Vocābula nova:
fuga
cōnsilium
carcer
orbis
nātūra
ars
opus
penna
ignis
lacertus
lībertās
multitūdō
paenīnsula
cāsus
celer
reliquus
audāx
līber
studiōsus
ingēns
īnfimus
summus
cautus

PENSVM B

Daedalus exitum labyrinthī — [= reperīre] nōn poterat nec — [= ūllus homō] eum in fugiendō — poterat. — igitur aliae viae clausae erant, vir — [= audēns] per āera — cōnstituit. — patris fīlium dēlectāvit. Tum Daedalus ālās cōnfēcit ex — quās cērā iūnxit et in lacertīs —. Postquam hoc — perfēcit, Daedalus fīlium suum — volandī docuit: "— mē! Movē ālās — — hōc modō! Ars volandī — [= nōn] difficilis est. Sed antequam hinc —, hoc tē moneō: nōlī volāre in — āere prope

temerārius
propinquus
persequī
cōnsequī
cōnficere
cōnsūmere
invenīre
effugere
iuvāre
excōgitāre
imitārī
ēvolāre
perficere
mollīre
fīgere
levāre
ūrere
suspicere
dēspicere
accidere
quatere
aberrāre
revocāre
vidērī
estō
quisquam
sūrsum
deorsum
haud
paene
quidem
tamquam
quoniam
vērum
sīn
trāns
gerundium

mare nec in — āere prope sōlem. Iam sequere mē! — nostrum relinquimus, — sumus!"

Īcarus in summum caelum ascendēns nōn sōlum Graeciam, — [= sed] etiam Asiam ac — [= prope] tōtum — terrārum dēspiciēbat. Tum vērō id quod pater timuerat — [= factum est]: — sōlis propinquī cēram — atque pennās —.

Ecce fābula mīrābilis dē puerō — quī — quaerēns mortem invēnit.

PENSVM C

Quis Daedalum in labyrinthum inclūdī iussit?
Quōmodo Daedalus effugere cōnstituit?
Cūr hominēs volāre nōn possunt?
Ex quibus rēbus Daedalus ālās cōnfēcit?
Cūr ālae Īcarum sustinēre nōn poterant?
Quid pater et fīlius volantēs vīdērunt?
Estne Peloponnēsus magna īnsula?
Quārē Īcarus in summum caelum ascendit?
Quid tum puerō accidit?
Ubi corpus puerī inventum est?
Num haec fābula dēlectandī causā modo nārrātur?



arātrum -ī *n*

frūmentum -ī *n*

sēmen -inis *n*

RES RVSTICAE

I Quid agit pater familiās post merīdiem? Prīmum quiēscit, tum ambulat, dēnique lavātur. Iūlius igitur, postquam paulum quiēvit, ambulātum exit. Iam dēsiit imber, avēs rūrsus in hortō canunt. Dominus hūc illūc in hortō suō amoenō ambulat, deinde exit in agrōs, quī hortum cingunt.

In agrīs frūmentum crēscit vēre et aestāte. Mēnse Augustō frūmentum metitur et ex agrīs vehitur. Deinde agrī arantur et novum frūmentum seritur. Quī agrōs arant ac frūmentum serunt et metunt, agricolae appellantur. Agricola est vir cuius negōtium est agrōs colere.

Agricola arāns post arātrum ambulat. Arātrum est īnstrūmentum quō agrī arantur. Arātor duōs validōs bovēs quī arātrum trahunt prae sē agit. Quōmodo frūmentum seritur? Agricola sēmen manū spargit. Ex parvīs sēminibus quae in agrōs sparsa sunt frūmentum crēscit. Mēnse Augustō frūmentum mātūrum est. Quō-

quiēscere -ēvisse = nihil agere, quiētus esse, dormīre
dēnique = postrēmō

dēsinere -siisse

amoenus -a -um = pulcher
ager -grī *m*
cingere: locum cingere = circum locum esse
crēscere crēvisse = māior fierī

serere ↔ metere

agricola -ae *m*

negōtium -ī *n* = officium, opus
īnstrūmentum -ī *n*

arātor -ōris *m* = quī arat

prae *prp+abl* = ante
agere = euntem facere

spargere -sisse -sum

mātūrus -a -um



falx -cis *f*

ūtī ūsum esse (+ *abl*)

modo metitur frūmentum? Falce metitur. Falx est īnstrūmentum quō agricola metit. Quō īnstrūmentō serit agricola? Quī serit nūllō īnstrūmentō ūtitur praeter manum. Quī arat arātrō ūtitur; quī metit falce ūtitur; quī serit manū suā ūtitur.

regiō -ōnis *f* = pars terrae
Latīnī -ōrum *m* = quī Latium incolunt
rudis -e = indoctus

Deus agricolārum est Sāturnus, quī ōlim rēx caelī fuit, sed ā fīliō suō Iove ē caelō pulsus in Italiam vēnit, ubi eam regiōnem quae Latium appellātur optimē rēxit Latīnōsque, hominēs ut tunc erant rudēs ac barbarōs, agrōs colere docuit. In forō Rōmānō est templum Sāturnī.

-ve = vel: aliās-ve = vel aliās
frūgēs -um *f pl*
fertilis -e (< ferre) = quī frūgēs fert
loca -ōrum *n pl* = regiō

Ager quī multum frūmentī aliāsve frūgēs ferre potest, fertilis esse dīcitur. Italia est terra fertilis, sed multa loca Italiae nōn arantur nec ūllās frūgēs ferunt praeter herbam. Iīs locīs ovēs, porcī, bovēs pāscuntur, nam herba est pecoris pābulum, et facilius est pecus pāscere quam agrōs colere. Praetereā lānā ovium ūtuntur hominēs, nam ē lānā vestēs efficiuntur. Itaque pecus māiōris pretiī est quam frūmentum, et quī pecus pāscit plūs pecūniae facit quam quī agrōs colit.

pāscere = herbā alere
pecus -oris *n* = ovēs, porcī, bovēs
pābulum -ī *n* = cibus pecoris et equōrum
lāna -ae *f*

cōpia -ae *f*: magna cōpia = multum
in-vehere
solum = terra, humus
parum = nōn satis

Frūmentum minōris pretiī est, quia magna cōpia frūmentī ex Āfricā in Italiam invehitur. Solum Āfricae fertile est, nisi aquā caret, sed multīs locīs Āfricae parum aquae est. Ergō necesse est agrōs aquā flūminum rigāre. Agricolae quī agrōs prope Nīlum flūmen colunt bis terve in annō metere possunt, Aegyptus enim terra fertilissima est, quia solum eius aquā Nīlī rigātur.

bis ter-ve = bis vel ter

Aegyptus -ī *f*





45 Agrī Iūliī, quī sub monte Albānō sitī sunt, nōn sōlum frūmentum, sed etiam vītēs ferunt. Iī agrī in quibus vītēs crēscunt vīneae dīcuntur. Frūgēs vīneārum sunt ūvae, quae mēnse Septembrī mātūrae sunt. Ex ūvīs mātūrīs vīnum efficitur.

II Iūlius, quī nūper ex urbe in praedium suum Albānum vēnit, circā agrōs et vīneās suās ambulat. Suprā eum est mōns Albānus, post montem lacus Albānus, quī vīllīs magnificīs cingitur. Nūllā in parte Italiae tot et tantae vīllae sitae sunt quam in Latiō et māximē circā 55 lacum illum amoenum. Nē in Campāniā quidem plūrēs vīllae sunt, quamquam multī Rōmānī in ōrā maritimā eius regiōnis vīllās possident; nam plūrimī Rōmānī sub urbe Rōmā habitāre volunt in vīllīs suburbānīs.

praedium -ī *n* = vīlla cum agrīs
circā *prp*+*acc* = circum

nē = nōn; nē... quidem = etiam nōn

sub urbe = prope urbem

sub-urbānus -a -um = sub urbe situs

Iūlius aspicit agricolās quī in agrīs et in vīneīs opus 60 faciunt, gaudēns quod ipsī, ut dominō dīvitī, nōn

ipse -a -um, *dat* -ī

labōrāre = opus facere; ↔ quiēscere
labor -ōris *m* = opus
exīstimāre = cēnsēre = putāre
prae agricolīs beātus = beātior quam agricolae

rūs rūris *n* (↔ urbs) = agrī, silvae, campī...
rūrī (*loc*) ↔ in urbe
ōtium -ī *n* ↔ negōtium (neg-ōtium < nec + ōtium)
urbānus -a -um < urbs

colōnus -ī *m* < colere

prō *prp+abl*: prō dominō = in locō dominī

quī- quae- quod-dam: quī-dam colōnus = ūnus ex colōnīs

dominus imperat *ut* colōnus accēd*at* = dominus colōnum accēdere iubet

abs = ā: abs tē = ā tē
poscere poposcisse

prae metū = ob metum

necesse est in agrīs labōrāre. Quamquam nūllō modō labōrem agricolārum sordidum indignumve esse exīstimat, tamen sē prae agricolīs beātum esse cēnset. Neque enim labōrat dominus, sed quiēscit, cum in praediō suō est. Rūs quiētum et amoenum eum dēlectat. In urbe Iūlius semper in negōtiō est, sed rūrī in ōtiō cōgitat dē negōtiīs urbānīs. Itaque Iūlius, quī ōtium rūris valdē amat, cum prīmum cōnfecta sunt negōtia urbāna, in praedium suum suburbānum proficīscitur.

Agrī Iūliī nōn ā dominō ipsō coluntur, sed ā colōnīs. Colōnus est agricola quī nōn suōs, sed aliēnōs agrōs prō dominō absentī colit et mercēdem dominō solvit prō frūgibus agrōrum.

Colōnī Iūliī sunt agricolae validī quī industriē labōrant omnēsque mercēdem ad diem solvere solent. At hōc annō quīdam colōnus mercēdem nōndum solvit. Iūlius eum colōnum in agrō cōnspicit et "Hūc accēde, colōne!" inquit. Dominus imperat ut colōnus accēdat, tum interrogat: "Cūr nōndum solvistī mercēdem quam ter quaterve iam abs tē poposcī? Octingentōs sēstertiōs mihi dēbēs. Solve eōs!" Iūlius colōnō imperat ut mercēdem solvat.

Colōnus pallidus prae metū loquī nōn potest.

Iūlius: "Audīsne? Imperō tibi ut mercēdem solvās. Quīn respondēs?"

Colōnus: "Nūlla est mihi pecūnia. Nē assem quidem habeō."

Iūlius: "Nisi hīc et nunc solvis mercēdem dēbitam, servīs meīs imperābō ut tē agrīs meīs pellant. Iam trēs mēnsēs exspectō ut ea pecūnia mihi solvātur. Etsī vir patiēns sum, hic fīnis est patientiae meae!"

Colōnus ad pedēs dominī sē prōicit eumque ōrat ut patientiam habeat: "Patientiam habē, domine! Nōlī ā mē postulāre ut tantum pecūniae statim solvam! Intrā duōs trēsve mēnsēs omnia accipiēs. Nōlī mē ē domō meā rapere! Octō līberī mihi sunt, quōs ipse cūrāre dēbeō. Cūra īnfantium multum temporis magnamque patientiam postulat, itaque parum temporis habeō ad opus rūsticum."

Iūlius: "Quid? Num uxor abs tē postulat ut tū prō mātre īnfantēs cūrēs? Itane īnfantēs suōs neglegit? Mātris officium est īnfantēs cūrāre. Tū vērō cūrā ut agrī bene colantur et mercēs ad diem solvātur!"

Colōnus: "Uxor mea officium suum nōn neglegit nec postulat ut ego īnfantēs cūrem; sed nunc nec īnfantēs cūrāre nec quidquam aliud agere potest, quia aegrōtat: intrā paucōs diēs novum īnfantem exspectat. Nōlī mē ab uxōre gravidā rapere! Per omnēs deōs tē ōrō!"

Hīs precibus dominus sevērus tandem movētur. Colōnō imperat ut taceat atque surgat, tum "Quoniam" inquit "uxor tua gravida est, abī domum! Prīmum cūrā ut uxor et līberī valeant, tum vērō labōrā ut pecūniam omnem solvās intrā fīnem huius mēnsis, id est intrā trīcēsimum diem!"

agrīs : ex agrīs

patiēns -entis < patī
patientia -ae *f* < patiēns

prō-icere (-iicere) -iō < prō- + iacere

tantum -ī *n* = tam multum

rapere -iō -uisse raptum

cūra -ae *f*

rūsticus -a -um < rūs

neglegere -ēxisse -ēctum ↔ cūrāre

quid-quam = ūlla rēs (neque q. = et nihil)

gravidus -a -um: (fēmina) gravida = quae īnfantem exspectat
precēs -um *f pl* = verba ōrantia, quod ōrātur

trīcēsimus -a -um = XXX (30.)

dī-mittere -mīsisse -missum

Colōnō dīmissō, Iūlius alium agricolam vocat eumque dē rēbus rūsticīs rogitat, ac prīmum dē vīneīs: "Quōmodo vīneae sē habent hōc annō?" *III*

"Optimē" inquit agricola, "Aspice hanc vītem: tot et tantae ūvae magnam vīnī cōpiam prōmittunt, ac vīnum bonum futūrum esse exīstimō, nam sōl duōs iam mēnsēs prope cotīdiē lūcet ūsque ā māne ad vesperum. Nihil enim vīneīs magis prōdest quam sōl et calor, nec quidquam iīs magis nocet quam imber et frīgus."

prōd-esse prō-fuisse (+ *dat*) = bonum esse
calor -ōris *m* = āēr calidus, tempus calidum
nocēre -uisse ↔ prōdesse
frīgus -oris *n* ↔ calor

Iūlius: "Calor sōlis nōn ipse per sē efficit ut vīnum bonum sit. Vītēs probē cūrāre oportet. Itaque vōs moneō ut industriē in vīneīs labōrētis. Sed satis dē vīneīs. Frūmentum quāle erit?"

vīnum bonum *est*: calor efficit ut v. bonum *sit*
satis dē vīneīs *dictum est*

"Nōn ita bonum" inquit alter agricola, "Solum nimis siccum est nec rigārī possunt agrī quod procul absunt ā rīvō. Imber brevis quem hodiē habuimus frūmentō prōfuit quidem, sed parum fuit. Item sicca est herba, pecus parum pābulī invenit. Sed scīsne ovem herī paene raptam esse ā lupō?"

siccus -a -um ↔ ūmidus



grex gregis *m* = multitūdō bēstiārum

Iūlius: "Quid? Lupusne ovem ē grege rapuit?"

Agricola: "Ovis ipsa ē grege aberrāverat. Nec vērō lupus ovī nocuit, nam pāstor eam in silvā repperit atque ē dentibus lupī servāvit!"

Iūlius: "Ō, pāstōrem pigerrimum, quī officium suum ita neglēxit! Pāstōris officium est cūrāre nē ovēs aberrent nēve silvam petant. Ego vērō cūrābō nē ille pāstor posthāc officium neglegat!"

nē = ut nē

nē-ve = vel nē, et nē

Agricola: "Nōlī nimis sevērus esse! Nōn cēnseō illum pāstōrem prae cēterīs pigrum esse."

prae cēterīs piger = cēterīs pigrior

Iūlius: "Rēctē dīcis: nam pigrī ac neglegentēs sunt omnēs! At ego faciam ut industriī sint!"

neglegēns -entis = quī officium neglegit

Agricola: "Certē pāstōrēs minus labōrant quam agricolae. Nōbīs nūllum est ōtium, nec opus est nōs monēre ut industriī sīmus nēve quiēscāmus."

Iūlius: "Nōlī cēnsēre opus pāstōrum facilius esse. Cūra pecoris magnum est negōtium, nōn ōtium, ut pāstōrēs nēquam in mollī herbā dormientēs putant. Ego vērō cūrābō nē ille pāstor neglegēns sit nēve dormiat! Faciam ut tergum eī doleat! Arcesse eum!"

nē-quam *indēcl* = improbus

Sed eō ipsō tempore pāstor gregem prae sē agēns ē campīs revertitur. Cum prīmum is prope vēnit, "Optimē advenīs" inquit dominus īrātus baculum prae sē tenēns, "nam verbera meruistī!"

optimē: optimō tempore

Pāstor humī sē prōiciēns dominum ōrat nē sē verberet: "Nōlī mē verberāre, ere! Nihil fēcī!"

"At propter hoc ipsum" inquit Iūlius "tē verberābō, homō nēquam, quod nihil fēcistī! Officium tuum est cūrāre nē ovēs aberrent nēve ā lupō rapiantur. Precēs tibi nōn prōsunt. Prehendite eum, agricolae, et tenēte!"

prōd-est prō-sunt

Iūlius duōbus agricolīs imperat ut pāstōrem prehendant et teneant.

Tum vērō, dum pāstor territus verbera exspectat, ovēs sine pāstōre relictae dē viā in agrōs aberrant ac frūmentum immātūrum carpere incipiunt. Agricolae

im-mātūrus -a -um < in-mātūrus

pro-hibēre = retinēre

mittere ↔ prehendere

hoc videntēs clāmant: "Prohibē ovēs tuās ab agrīs nostrīs, pāstor!" — tum pāstōrem mittunt atque celeriter ovēs in agrīs sparsās persequuntur.

modo = nūper

Pāstor sōlus cum dominō relictus "Modo dīxistī" inquit "meum officium esse cavēre nē ovēs aberrent. Nōlī mē officiō meō prohibēre!"

officiō (*abl*) prohibēre = ab officiō prohibēre

Iūlius: "Ego tē nōn prohibēbō officium facere. Fac ut ovēs ex agrīs agantur! Age, curre, pāstor!"

quam celerrimē potest = tam celeriter quam māximē fierī potest

Vix haec dīxerat Iūlius, cum pāstor quam celerrimē potest ad ovēs suās currit. Dominus rīdēns eum currentem aspicit, tum ad vīllam revertitur. Etsī dominus sevērus exīstimātur, tamen inhūmānus nōn est.

sevērus *esse*
in-hūmānus -a -um

coniūnctīvus -ī *m (coni)*

GRAMMATICA LATINA

Coniūnctīvus

Tempus praesēns.

[A] Āctīvum.

[1] intr*et*
[2] tace*at*
[3] claud*at*
[4] audi*at*

Dominus: "Intrā, serve! Claude forem! Tacē et audī!" Dominus servō imperat ut intr*et*, forem claud*at*, tace*at* et audi*at*. Servus intrat, forem claudit, tacet et audit.

'Intrat', 'tacet', 'claudit', 'audit' est indicātīvus. 'Intr*et*', 'tace*at*', 'claud*at*', 'audi*at*' coniūnctīvus est. Coniūnctīvus praesentis (pers. III sing.) [1] *-et*, [2, 3, 4] *-at*.

-et
-at

Exempla: [1] cōgitā|re: cōgit|*et;* [2] respondē|re: respond*e*|*at;* [3] scrīb|ere: scrīb|*at;* [4] audī|re: audi|*at*.

[1] cōgit|*e*|*m*
cōgit|*ē*|*s*
cōgit|*e*|*t*
cōgit|*ē*|*mus*
cōgit|*ē*|*tis*
cōgit|*e*|*nt*

Magister: "Studiōsus estō, discipule! Prīmum audī quod interrogō, tum cōgitā, dēnique surge et respondē!" Magister discipulum monet ut studiōsus *sit:* prīmum audi*at*, tum cōgi*tet*, dēnique surg*at* et respond*eat*. Discipulus silet. Magister:

"Audīsne, puer? Moneō tē ut studiōsus *sīs:* prīmum audi*ās,* tum cōgit*ēs,* dēnique surg*ās* et respondeā*s.*" Discipulus: "Nōn opus est mē monēre ut audi*am* et cōgit*em* atque ut studiōsus *sim.* Sed respondēre nesciō. Nōlī igitur ā mē postulāre ut surg*am* et respondea*m!*"

Magister: "Studiōsī estōte, discipulī! Prīmum audīte quod interrogō, tum cōgitāte, dēnique surgite et respondēte!" Magister discipulōs monet ut studiōsī *sint:* prīmum audi*ant,* tum cōgit*ent,* dēnique surg*ant* et respondea*nt.* Discipulī silent. Magister: "Audītisne, puerī? Moneō vōs ut studiōsī *sītis:* prīmum audi*ātis,* tum cōgit*ētis,* dēnique surg*ātis* et respondeā*tis.*" Discipulī: "Nōn opus est nōs monēre ut audi*āmus* et cōgit*ēmus* atque ut studiōsī *sīmus.* Sed respondēre nescīmus. Nōlī igitur ā nōbīs postulāre ut surg*āmus* et respondeā*mus!*"

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
Persōna prīma	-em	-ēmus	-am	-āmus
Persōna secunda	-ēs	-ētis	-ās	-ātis
Persōna tertia	-et	-ent	-at	-ant

[B] Passīvum.

Dominus imperat ut servus improbus tene*ātur* et verber*ētur,* deinde ut vinci*ātur* et inclūd*ātur.*

Dominus imperat ut servī improbī tene*antur* et verber*entur,* deinde ut vinci*antur* et inclūd*antur.*

Iānitor tabellārium monet ut caveat nē ā cane morde*ātur:* "Cavē nē ā cane morde*āris!*" Tabellārius: "Tuum negōtium est cūrāre nē ego morde*ar.* Vincī canem! Ego cūrābō ut tū vinci*āris* et inclūd*āris* et verber*ēris* ab erō tuō!" Iānitor: "Num tuum negōtium est cūrāre ut ego vinci*ar* et inclūd*ar* et verber*er?*"

Iānitōrēs tabellāriōs monent ut caveant nē ā cane morde*antur:* "Cavēte nē ā cane morde*āminī!*" Tabellāriī: "Vestrum negōtium est cūrāre nē nōs morde*āmur.* Vincīte canem! Nōs cūrābimus ut vōs vinci*āminī* et inclūd*āminī* et verber*ēminī* ab erō vestrō!" Iānitōrēs: "Num vestrum negōtium est cūrāre ut nōs vinci*āmur* et inclūd*āmur* et verber*ēmur?*"

[2] responde|*a*|*m*
responde|*ā*|*s*
responde|*a*|*t*
responde|*ā*|*mus*
responde|*ā*|*tis*
responde|*a*|*nt*
[3] surg|*a*|*m*
surg|*ā*|*s*
surg|*a*|*t*
surg|*ā*|*mus*
surg|*ā*|*tis*
surg|*a*|*nt*
[4] audi|*a*|*m*
audi|*ā*|*s*
audi|*a*|*t*
audi|*ā*|*mus*
audi|*ā*|*tis*
audi|*a*|*nt*
esse *si*|*m* *sī*|*mus*
sī|*s* *sī*|*tis*
si|*t* *si*|*nt*

[1] -*e*|*m* -*ē*|*mus*
-*ē*|*s* -*ē*|*tis*
-*e*|*t* -*e*|*nt*
[2,3,4] -*a*|*m* -*ā*|*mus*
-*ā*|*s* -*ā*|*tis*
-*a*|*t* -*a*|*nt*

[1] verber|*e*|*r*
verber|*ē*|*ris*
verber|*ē*|*tur*
verber|*ē*|*mur*
verber|*ē*|*minī*
verber|*e*|*ntur*
[2] morde|*a*|*r*
morde|*ā*|*ris*
morde|*ā*|*tur*
morde|*ā*|*mur*
morde|*ā*|*minī*
morde|*a*|*ntur*
[3] inclūd|*a*|*r*
inclūd|*ā*|*ris*
inclūd|*ā*|*tur*
inclūd|*ā*|*mur*
inclūd|*ā*|*minī*
inclūd|*a*|*ntur*
[4] vinci|*a*|*r*
vinci|*ā*|*ris*
vinci|*ā*|*tur*
vinci|*ā*|*mur*
vinci|*ā*|*minī*
vinci|*a*|*ntur*

[1] -*e*|*r* -*ē*|*mur*
-*ē*|*ris* -*ē*|*minī*
-*ē*|*tur* -*e*|*ntur*
[2,3,4] -*a*|*r* -*ā*|*mur*
-*ā*|*ris* -*ā*|*minī*
-*ā*|*tur* -*a*|*ntur*

Vocābula nova:
ager
frūmentum
agricola
negōtium
arātrum
īnstrūmentum
sēmen
falx
regiō
frūgēs
pecus
pābulum
lāna
cōpia
vītis
vīnea
ūva
vīnum
praedium
labor
rūs
ōtium
colōnus
patientia
cūra
precēs
calor
frīgus
grex
amoenus
mātūrus
rudis
fertilis
suburbānus
urbānus
patiēns
rūsticus
gravidus
siccus
neglegēns
nēquam
immātūrus
inhūmānus

	Sing.	*Plūr.*	*Sing.*	*Plūr.*
Persōna prīma	-er	-ēmur	-ar	-āmur
Persōna secunda	-ēris	-ēminī	-āris	-āminī
Persōna tertia	-ētur	-entur	-ātur	-antur

235

PENSVM A

Iūlius colōnō imperat ut mercēdem solv–. Ille dominum ōrat ut patientiam habe–: "Nōlī postulāre ut tantam pecūniam statim solv–!" Dominus colōnō imperat ut tace– et surg–, tum "Prīmum cūrā" inquit "ut uxor et līberī vale–, tum vērō cūrā ut agrōs bene col– et mercēdem solv–!"

Dominus colōnōs monet ut labōr– nēve quiēsc–: "Moneō vōs ut labōr– nēve quiēsc–!"

Māter fīliam monet ut cauta s–: "Moneō tē ut cauta s–!" Fābula nōs monet nē temerāriī s–.

Verba: spargere –isse –um; rapere –isse –um; neglegere –isse –um; dēsinere –isse; quiēscere –isse; crēscere –isse; poscere –isse; prōdesse –isse.

PENSVM B

Mēnse Augustō — metitur, deinde — arantur et novum frūmentum —. Agricola quī — post arātrum ambulat duōs bovēs — [= ante] sē agēns; arātrum est — quō agrī arantur. Agricola quī serit nūllō īnstrūmentō — et sēmen manū —. Quī — falce ūtitur. Agricola est vir cuius — est agrōs —. Ex Aegyptō, quae terra — est, magna — frūmentī in Italiam —. Frūgēs vīneārum sunt —, ex quibus — efficitur. — sōlis vīneīs —, — [↔ calor] vīneīs —.

Iūlius in — suō Albānō nōn labōrat, sed —. — quiētum et — [= pulchrum] eum dēlectat. Colōnus aliēnōs agrōs — dominō absentī colit.

Pāstor est vir quī pecus — et cūrat. — pecoris magnum negōtium est, nōn —, ut pigrī pāstōrēs — [= cēnsent]. Pāstōrēs nōn tam industriē — quam agricolae. Pāstōris officium est cūrāre — ovēs aberrent — [= et nē] ā lupō rapiantur.

PENSVM C

Quid est negōtium agricolae?
Quandō frūmentum metitur?
Num arātor ipse arātrum trahit?
Quid est pābulum pecoris?
Unde frūmentum in Italiam invehitur?
Quae regiō Āfricae fertilissima est?
Cūr necesse est agrōs rigāre?
Quae sunt frūgēs vīneārum?
Num Iūlius ipse in agrīs labōrat?
Omnēsne colōnī mercēdem solvērunt?
Quot sēstertiōs colōnus Iūliō dēbet?
Num uxor colōnī officium suum neglegit?
Quid est officium pāstōris?
Estne Iūlius dominus inhūmānus?

trīcēsimus
quiēscere
cingere
crēscere
metere
arāre
serere
colere
spargere
ūtī
pāscere
invehere
rigāre
labōrāre
exīstimāre
cēnsēre
prōicere
ōrāre
rapere
neglegere
prōdesse
nocēre
prohibēre
quīdam
parum
tantum
dēnique
circā
prae
prō
abs
-ve
nē
coniūnctīvus

PERICVLA MARIS

Interim Mēdus et Lȳdia ventō secundō per mare Īnferum nāvigāre pergunt ad fretum Siculum (id est fretum angustum quō Sicilia ab Italiā disiungitur). Gaudent omnēs quī eā nāve vehuntur praeter mercātōrem cuius mercēs necesse fuit ē nāve ēicere. *1*

Mēdus vērō multum cōgitat dē verbīs Lȳdiae et dē tempestāte quae tam subitō cessāvit, postquam Lȳdia dominum suum invocāvit. Ut tempestās mare tranquillum turbāvit, ita verba Lȳdiae animum Mēdī turbāvērunt.

Lȳdia amīcum suum colōrem mūtāvisse animadvertit et "Quid pallēs?" inquit, "Utrum aegrōtās an territus es?"

"Nōn aegrōtō" inquit Mēdus, "Corpus quidem sānum est mihi, animus vērō turbātus. Quis est ille dominus tuus cui mare et ventī oboedīre videntur?"

fretum -ī *n*
Siculus -a -um = Siciliae
dis-iungere (↔ con-iungere) = dīvidere

ē-icere (-iicere) -iō -iēcisse -iectum
< ē + iacere

cessāre = opus neglegere, minus agere; ventus cessat : v. minuitur

animus -ī *m* ↔ corpus

utrum... an = -ne... an

ob-oedīre (< -audīre) (+ *dat*) = pārēre

Lȳdia: "Nōn meus tantum, sed omnium hominum est dominus, et Rōmānōrum et Graecōrum et barbarōrum."

Mēdus: "Utrum homō an deus est?"

Lȳdia: "Chrīstus est Deī fīlius quī homō factus est. In oppidō Bethlehem nātus est in Iūdaeā, patriā Iūdaeōrum, quae inter Syriam et Aegyptum sita est. Eō vēnērunt rēgēs, quī stēllam eius vīderant in oriente, et invēnērunt puerum cum Marīā, mātre eius, et adōrāvērunt eum velut deum. Posteā Chrīstus ipse plānē dēmōnstrāvit sē esse fīlium Deī, nam discipulōs docēbat, quōrum magna turba eum sequēbātur, aegrōs sānābat..."

Bethlehem *n indēcl*
Iūdaea -ae *f*
Iūdaeī -ōrum *m pl*
eō *adv* = illūc

ad-ōrāre

vel-ut = tamquam, sīcut

turba -ae *f* = multitūdō hominum

Mēdus: "Omnis medicus id facit."

Lȳdia: "Quī medicus verbīs sōlīs potest facere ut hominēs caecī videant, surdī audiant, mūtī loquantur, claudī ambulent?"

caecus -a -um = quī vidēre nōn potest
surdus -a -um = quī audīre nōn potest
mūtus -a -um = quī loquī nōn potest
claudus -a -um = quī ambulāre nōn potest

Mēdus: "Potestne dominus tuus haec facere?"

Lȳdia: "Profectō potest. In Iūdaeā Iēsūs nōn sōlum faciēbat ut caecī vidērent, surdī audīrent, mūtī loquerentur, vērum etiam verbīs efficiēbat ut mortuī surgerent et ambulārent. Ex ūniversā Iūdaeā hominēs aegrī, quī fāmam dē factīs eius mīrābilibus audīverant, ad eum conveniēbant. Postrēmō tamen Iēsūs Chrīstus ab improbīs hominibus necātus est."

Iēsūs -ū *m* (*acc* -um)

ūniversus -a -um = tōtus

fāma -ae *f* = quod nārrātur dē aliquō

Mēdus: "Quid? Nōn vīvit dominus tuus?"

Lȳdia: "Immō vērō vīvit, nam tertiō diē Iēsūs surrēxit ā mortuīs et quadrāgēsimō diē post in caelum

surgere surrēxisse

quadrāgēsimus -a -um = XL (40.)

im-mortālis -e ↔ mortālis -e (< mors)
nāscī nātum esse ↔ morī -ior mortuum esse

ascendit. Immortālis est fīlius Deī sīcut pater eius, Deus vīvus. Hominēs mortālēs nāscuntur ac moriuntur, Deus immortālis semper vīvit. Sed ipsa male nārrō: ex hōc libellō recitābō tibi aliquid."

libellus -ī *m* = parvus liber

ex-tendere

ap-prehendere = prehendere (manū)
quī-dam, *abl* quō-dam
Matthaeus -ī *m*
vīvere vīxisse

Lȳdia libellum, quem adhūc intrā vestem occultāvit, prōmit et Mēdō ostendit. Quī manum extendēns libellum apprehendit et "Quī liber est iste?" inquit.

Lȳdia: "Scrīptus est ā quōdam Iūdaeō, nōmine Matthaeō, quī simul cum Chrīstō vīxit et discipulus eius fuit. In hōc librō Matthaeus, quī suīs oculīs auribusque dominum nostrum vīderat et audīverat, dicta et facta eius memorat."

dictum -ī *n* = quod dictum est, verbum
memorāre = nārrāre, dīcere
discere didicisse

Mēdus, quī legere nōn didicit, Lȳdiae librum reddit *II* eamque rogat ut aliquid sibi legat; quae continuō librum ēvolvit et "Legam tibi" inquit "dē virō claudō cui Iēsūs imperāvit ut surgeret et tolleret lectum suum et domum ambulāret."

rogāre = ōrāre

ē-volvere: librum ē. = librum aperīre
tollere = sūmere et sēcum ferre

Mēdus: "Modo dīxistī 'Chrīstum etiam mortuīs imperāvisse ut surgerent et ambulārent.' Plūra de eā rē audīre cupiō."

prīnceps -ipis *m* = vir inter aliōs prīmus (quī aliīs imperat)

Lȳdia: "Audī igitur quod scrīptum est dē Iaīrō, prīncipe quōdam Iūdaeōrum, quī Iēsum rogāvit ut fīliam suam mortuam suscitāret:

sus-citāre = excitāre
[*Matth. 9.18–19,23–26*]
ūnus = quīdam

Ecce prīnceps ūnus accessit, nōmine Iaīrus, et adōrābat eum dīcēns: "Fīlia mea modo mortua est, sed venī, impōne manum tuam super illam, et vīvet." Et surgēns Iēsūs sequēbātur eum cum discipulīs suīs. — Et veniēns Iēsūs in do-

mum prīncipis, vidēns tībīcinēs et turbam tumultuantem, dīcēbat: "Discēdite! Nōn enim mortua est puella, sed dormit." Et dērīdēbant eum. Et, ēiectā turbā, intrāvit et tenuit manum eius et dīxit: "Puella, surge!" Et surrēxit puella. Et exiit fāma haec in ūniversam terram illam.

Mēdus: "Per deōs immortālēs! Sī hoc vērum est, prīnceps omnium deōrum est deus tuus; neque enim ūllus deus Rōmānus hominem mortālem ab Īnferīs suscitāre potest — nē Iuppiter quidem tantam potestātem habet, etsī ille deus māximus habētur."

Lȳdia: "Est ut dīcis; nec sōlum deus prīnceps, sed Deus ūnus et sōlus est ille. Tōtus mundus in potestāte Deī est, et caelum et terra et mare."

Hīc gubernātor, quī sermōnem eōrum exaudīvit, "Tanta" inquit, "ūnīus deī potestās nōn est. Nam trēs diī, Neptūnus, Iuppiter, Plūtō, mundum ūniversum ita inter sē dīvīsērunt, ut Iuppiter rēx caelī esset, rēx maris esset Neptūnus, Plūtō autem rēgnāret apud Īnferōs, ubi animae mortuōrum velut umbrae versārī dīcuntur."

Mēdus: "Num quis tam stultus est ut ista vēra esse crēdat? Perge legere ē libellō tuō, Lȳdia!"

Lȳdia iterum librum ēvolvit et "Ecce" inquit "quod nārrātur dē Chrīstō super mare ambulante:

Nāvicula autem in mediō marī iactābātur flūctibus, erat enim ventus contrārius. Quārtā autem vigiliā noctis vēnit ad eōs Iēsūs ambulāns super mare. Discipulī autem videntēs eum super mare ambulantem turbātī sunt dīcentēs: "Phan-

tumultuārī = tumultum facere

tībiae -ārum *f pl*

tībīcen -cinis *m*

Īnferī -ōrum *m* = mortuī, quī loca īnfera (sub terrā) incolere dīcuntur

potestās -ātis *f*

habērī = exīstimārī

mundus -ī *m* = caelum et terra et mare

Plūtō -ōnis *m*: deus, rēx Īnferōrum

dīvidere -vīsisse -vīsum

rēgnāre = rēx esse

anima: fōrma hominis mortuī ut ex animā facta

versārī = hūc et illūc movērī, errāre

[*Matth. 14.24–33*]

nāvicula -ae *f* = parva nāvis

(ventus) contrārius ↔ secundus

vigilia -ae *f*: quārta v. = nōna hōra noctis (nox in IV vigiliās dīviditur)

phantasma -atis *n* = anima quae ambulāre vidētur
eīs = iīs
cōnstāns -antis ↔ turbātus
Petrus -ī *m*: Chrīstī discipulus
ipse : ille

tasma est!" et prae timōre clāmāvērunt. Statimque Iēsūs locūtus est eīs dīcēns: "Cōnstantēs estōte! Ego sum. Nōlīte timēre!" Respondēns autem eī Petrus dīxit: "Domine, sī tū es, iubē mē ad tē venīre super aquam!" At ipse ait: "Venī!" Et dēscendēns Petrus dē nāviculā ambulābat super aquam,

ut venīret = quia venīre volēbat
salvus -a -um = servātus; salvum facere = servāre

ut venīret ad Iēsum. Vidēns vērō ventum validum timuit, et incipiēns mergī clāmāvit dīcēns: "Domine! Salvum mē fac!" Et continuō Iēsūs extendēns manum apprehendit eum,

-āstī = -āvistī
ascendentibus eīs = dum ascendunt

et ait illī: "Quārē dubitāstī?" Et ascendentibus eīs in nāviculam, cessāvit ventus. Quī autem in nāviculā erant vēnērunt et adōrāvērunt eum dīcentēs: "Vērē fīlius Deī es."

attentus -a -um = quī studiōsē audit
per-suādēre -suāsisse (+ *dat*): p. hominī = facere ut homō crēdat

Gubernātor, quī Mēdum attentum videt, "Num tū" inquit "tam stultus es ut haec crēdās? Mihi nēmō persuādēbit hominem super mare ambulāre posse!" *III*

[*Matth. 28.18*]

Lydia: "Chrīstus nōn est homō, sed fīlius Deī, quī omnia facere potest. Ipse dīxit: *"Data est mihi omnis potestās in caelō et in terrā."* Modo nōs ē tempestāte servāvit, nōnne id tibi persuāsit eum habēre potestātem maris et ventōrum? Audī igitur quod in eōdem librō nārrātur dē potestāte Chrīstī:

[*Matth. 8.23–27*]

= et eum in nāviculam ascendentem secūtī sunt discipulī eius

Et ascendente eō in nāviculam, secūtī sunt eum discipulī eius. Et ecce tempestās magna facta est in marī, ita ut nāvicula operīrētur flūctibus — ipse vērō dormiēbat! Et accessērunt ad eum discipulī eius et suscitāvērunt eum dīcentēs: "Domine, salvā nōs! Perīmus!" Ait illīs Iēsūs: "Quid timidī estis?" Tunc surgēns imperāvit ventīs et marī, et facta est tranquillitās magna. Hominēs autem mīrātī sunt

salvāre = salvum facere
per-īre -eō -iisse = perdī, morī (↔ servārī)
tunc = tum
tranquillitās -ātis *f* (< tranquillus) ↔ tempestās

dīcentēs: "Quālis est hic, quod ventī et mare oboediunt eī?"

Gubernātor: "Mare et ventī nēminī oboediunt nisi Neptūnō. Ille cūrāvit ut nōs ē tempestāte servārēmur nēve mergerēmur—vel potius nōs ipsī quī mercēs ēiēcimus. Nōlīte vērō cēnsēre nōs iam extrā perīculum esse. Tempestās quidem dēsiit, sed multa alia perīcula nōbīs impendent, ut saxa quibus nāvēs franguntur, vorāginēs in quās nāvēs merguntur, praedōnēs maritimī quī nāvēs persequuntur, ut mercēs et pecūniam rapiant nautāsque occīdant. Semper in perīculō versāmur."

Mēdus: "Sed hīc tūtī sumus ā praedōnibus."

Gubernātor: "Nūllum mare tūtum est ā praedōnibus, nē mare Īnferum quidem, quamquam rārī hūc perveniunt. Nec tūtī sumus ā cēterīs perīculīs quae modo memorāvī. Brevī nāvigābimus per fretum Siculum, ubi ab utrāque parte magnum perīculum impendet nautīs: ab ōrā Italiae saxa perīculōsa quibus Scylla nōmen est, ab ōrā Siciliae vorāgō terribilis quae Charybdis vocātur. Multae nāvēs quae Scyllam iam vītāverant, deinde in Charybdim mersae sunt. At bonum animum habēte! Ego, ut gubernātor cōnstāns, cūrābō ut omnia perīcula vītēmus ac salvī in Graeciam eāmus."

Mēdus: "Omnēs id futūrum esse spērāmus. Quandō eō perveniēmus?"

Gubernātor: "Intrā sex diēs, ut spērō, vel potius octō. Sed cūr tam cupidus es in Graeciam eundī? Ego Rōmae vīvere mālō quam in Graeciā."

nēmō, *dat* nēminī

perīculum -ī *n*

impendēre (+*dat*)
vorāgō -inis *f* = locus quō nāvēs flūctibus vorantur (: merguntur)
praedō -ōnis *m*
ut ... rapi*ant* = quia ... rapere volunt

tūtus -a -um = sine perīculō

per-venīre

perīculōsus -a -um < perīculum
Scylla -ae *f*
Charybdis -is *f* (*acc* -im)
(perīculum) vītāre = nōn adīre, effugere
(bonus) animus ↔ timor

īre, *coni praes:*
eam eāmus
eās eātis
eat eant

spērāre = rem bonam futūram esse putāre
eō : in Graeciam

īre: *eundī* (*gerundium*); cupidus es eundī = īre cupis
mālō = magis volō

mā-vīs = magis vīs
servīre (+ *dat*) = servus esse

mālumus = magis volumus

mālle = magis velle:
mālō *mālumus*
māvīs *māvultis*
māvult *mālunt*

pecūlium -ī *n* = pecūnia dominī quae servō datur
sī quid = sī aliquid

persuādēre ut = verbīs efficere ut
mā-vult = magis vult

in caelīs = in caelō

Mēdus: "Num Rōmae māvīs servīre quam līber esse in Graeciā?"

Gubernātor: "Nōs cīvēs Rōmānī morī mālumus quam servīre!"

Mēdus: "Nōlī putāre mē servīre mālle, nam ego quoque līber nātus sum, nec quisquam quī līber fuit lībertātem spērāre dēsinit. In Italiā dominō sevērō serviēbam, quī ā mē postulābat ut opus sordidum facerem nec mihi pecūlium dabat. Sī quid prāvē fēceram, dominus imperābat ut ego ab aliīs servīs tenērer et verberārer. Sed herī ē vīllā fūgī, ut verbera vītārem, atque ut amīcam meam vidērem ac semper cum eā essem. Multīs prōmissīs eī persuāsī ut mēcum ex Italiā proficīscerētur, Lȳdia enim Rōmae vīvere māvult quam in Graeciā. Ōstiā igitur hanc nāvem cōnscendimus, ut in Graeciam nāvigārēmus."

Gubernātor Lȳdiam interrogat: "Tūne quoque dominō Rōmānō serviēbās?"

Lȳdia: "Minimē vērō. Ego nēminī serviō nisi dominō nostrō quī est in caelīs. Nēmō potest duōbus dominīs servīre. Certē nōn laetō animō Rōmā profecta sum, et difficile fuit mihi persuādēre ut amīcās meās Rōmānās dēsererem. Nec prōmissīs sōlīs Mēdus mihi persuāsit ut sēcum venīrem, sed etiam dōnō pulcherrimō. Ecce ānulus aureus gemmātus quem amīcus meus prope centum sēstertiīs ēmit mihi." Lȳdia manum extendēns digitum ānulō aureō ōrnātum gubernātōrī ostendit.

Gubernātor ānulum tam pulchrum admīrātur, tum conversus ad Mēdum "Profectō" inquit "dīves esse vidēris, ut servus! Num dominus ille sevērus, quī tibi imperābat ut opus sordidum facerēs, tantum pecūlium tibi dabat prō opere sordidō?"

ad-mīrārī = mīrārī (rem magnificam)

Mēdus rubēns nescit quid respondeat, et velut homō surdus mūtusque ante eōs stat.

Lȳdia: "Quīn respondēs? Sacculum prōmpsistī pecūniae plēnum — nōnne tua erat ista pecūnia?"

prōmere -mpsisse -mptum

Mēdus turbātus, dum oculōs Lȳdiae vītāre cōnātur, mercātōrem celeriter accēdere videt.

GRAMMATICA LATINA

Coniūnctīvus

Tempus imperfectum

[A] Āctīvum.

Dominus servum monet ut sibi pāre*at*.

pārē*ret*

Dominus servum monēbat/monuit ut sibi pārē*ret*.

'Pāre*at*' est coniūnctīvus praesentis. 'Pārē*ret*' coniūnctīvus imperfectī est. Coniūnctīvus imperfectī (pers. III sing.) *-ret*.

[1] recitā|re|*m*
recitā|rē|*s*
recitā|re|*t*
recitā|rē|*mus*
recitā|rē|*tis*
recitā|re|*nt*
[2] tacē|re|*m*
tacē|rē|*s*
tacē|re|*t*
tacē|rē|*mus*
tacē|rē|*tis*
tacē|re|*nt*
[3] scrīb|ere|*m*
scrīb|erē|*s*
scrīb|ere|*t*
scrīb|erē|*mus*
scrīb|erē|*tis*
scrīb|ere|*nt*

Exempla: [1] recitā|re: recitā|*ret;* [2] tacē|re: tacē|*ret;* [3] scrīb|ere: scrīb|*eret;* [4] audī|re: audī|*ret*.

Magister discipulum monuit ut tacē*ret* et audī*ret* et studiōsus *esset*. Tum eī imperāvit ut scrīb*eret* et recitā*ret*.

Pater: "Nōnne magister tibi imperāvit, fīlī, ut scrīb*erēs* et recitā*rēs?*" Fīlius: "Prīmum mē monuit ut tacē*rem* et audī*rem* et studiōsus *essem*, tum mihi imperāvit ut scrīb*erem* et recitā*rem*." Pater: "Num necesse erat tē monēre ut tacē*rēs* et audī*rēs* et studiōsus *essēs?*"

Magister discipulōs monuit ut tacē*rent* et audī*rent* et studiōsī *essent*. Tum imperāvit ut scrīb*erent* et recitā*rent*.

[4] audī|*re*|*m*
audī|*rē*|*s*
audī|*re*|*t*
audī|*rē*|*mus*
audī|*rē*|*tis*
audī|*re*|*nt*

esse *esse*|*m* *essē*|*mus*
essē|*s* *essē*|*tis*
esse|*t* *esse*|*nt*

-re|*m* *-rē*|*mus*
-rē|*s* *-rē*|*tis*
-re|*t* *-re*|*nt*

[1] servā|*re*|*r*
servā|*rē*|*ris*
servā|*rē*|*tur*
servā|*rē*|*mur*
servā|*rē*|*minī*
servā|*re*|*ntur*

[3] merg|*ere*|*r*
merg|*erē*|*ris*
merg|*erē*|*tur*
merg|*erē*|*mur*
merg|*erē*|*minī*
merg|*ere*|*ntur*

-re|*r* *-rē*|*mur*
-rē|*ris* *-rē*|*minī*
-rē|*tur* *-re*|*ntur*

Vocābula nova:
fretum
animus
turba
fāma
libellus
dictum
prīnceps
tībīcen
potestās
mundus
nāvicula
vigilia

Pater: "Nōnne magister vōbīs imperāvit, fīliī, ut scrībe*rētis* et recitā*rētis?*" Fīliī: "Prīmum nōs monuit ut tacē*rēmus* et audī*rēmus* et studiōsī *essēmus,* tum nōbīs imperāvit ut scrībe*rēmus* et recitā*rēmus.*" Pater: "Num necesse erat vōs monēre ut tacē*rētis* et audī*rētis* et studiōsī *essētis?*"

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	-rem	-rēmus
Persōna secunda	-rēs	-rētis
Persōna tertia	-ret	-rent

[B] Passīvum.

Dominus imperāvit ut servus tenē*rētur* et verberā*rētur,* deinde ut vincī*rētur* et inclūde*rētur.*

Dominus imperāvit ut servī tenē*rentur* et verberā*rentur,* deinde ut vincī*rentur* et inclūde*rentur.*

Mēdus: "Salvus sum. Neptūnus cūrāvit ut ego ē perīculō servā*rer* nēve in mare merge*rer.*" Lȳdia: "Nōlī putāre Neptūnum cūrāvisse ut tū servā*rēris* nēve merge*rēris.* Nēmō nisi Chrīstus cūrāvit ut nōs ē perīculō servā*rēmur* nēve in mare merge*rēmur.*" Gubernātor: "Ego bene gubernandō cūrāvī ut vōs servā*rēminī* nēve merge*rēminī!*"

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	-rer	-rēmur
Persōna secunda	-rēris	-rēminī
Persōna tertia	-rētur	-rentur

PENSVM A

Servus dominum ōrābat nē sē verberā–, sed dominus imperāvit ut tacē– et surg–, tum aliīs servīs imperāvit ut eum prehend– et tenē–.

Mēdus ā dominō fūgit, ut amīcam suam vidē– et semper cum eā es–. Mēdus: "Ā dominō fūgī, ut amīcam meam vidē– et semper cum eā es–."

Mīnōs imperāvit ut Daedalus et Īcarus in labyrinthum inclūd–. Īcarus: "Quis imperāvit ut nōs inclūd–?" Daedalus: "Mīnōs imperāvit ut ego inclūd– et ut tū mēcum inclūd–."

Verba: dīvidere –isse –um; ēicere –isse –um; prōmere –isse –um; vīvere –isse; discere –isse; persuādēre –isse; surgere –isse.

PENSVM B

Lȳdia Rōmae vīvere — quam in Graeciā, sed Mēdus multīs prōmissīs eī — ut sēcum proficīscerētur. In Italiā Mēdus dominō sevērō —.

Nāvis nōndum extrā — est. Multa perīcula nautīs —. — maritimī nāvēs persequuntur; nūllum mare — est ā praedōnibus.

Hominēs mortālēs nāscuntur et —, diī vērō — sunt. Nūllus deus Rōmānus hominem mortuum ab Īnferīs — [= excitāre] potest, nē Iuppiter quidem tantam — habet, etsī ille deus māximus — [= exīstimātur]. Trēs diī ūniversum — inter sē dīvīsērunt.

Chrīstus in oppidō Bethlehem — est. Ille verbīs sōlīs effīciēbat ut hominēs — vidērent, — audīrent, — loquerentur, — ambulārent.

PENSVM C

Fretum Siculum quid est?
Ubi nātus est Chrīstus?
Quid Iaīrus Chrīstum rogāvit?
Quae perīcula nautīs impendent?
Cūr nautae praedōnēs maritimōs metuunt?
Quālī dominō Mēdus in Italiā serviēbat?
Quārē Mēdus ā dominō suō fūgit?
Num Lȳdia laetō animō Rōmā profecta est?
Quōmodo Mēdus eī persuāsit ut sēcum venīret?
Cūr Mēdus nescit quid respondeat?
Quem Mēdus accēdere videt?
Tūne in Graeciā vīvere māvīs quam in patriā tuā?

phantasma
tranquillitās
vorāgō
perīculum
praedō
pecūlium
caecus
surdus
mūtus
claudus
ūniversus
mortālis
immortālis
cōnstāns
salvus
attentus
tūtus
perīculōsus
quadrāgēsimus
disiungere
ēicere
cessāre
oboedīre
adōrāre
nāscī
morī
extendere
apprehendere
memorāre
rogāre
ēvolvere
suscitāre
tumultuārī
habērī
rēgnāre
versārī
persuādēre
salvāre
perīre
impendēre
pervenīre
vītāre
spērāre
servīre
mālle
admīrārī
potius
utrum
velut





NAVIGARE NECESSE EST

Multae nāvēs multīque nautae quotannīs in marī pereunt. In fundō maris plūrimae nāvēs mersae iacent. Nec tamen ūllīs perīculīs ā nāvigandō dēterrentur nautae. "Nāvigāre necesse est" āiunt, et mercātōrēs, quī ipsī perīcula maris adīre nōn audent, haec adiciunt: "Vīvere nōn est necesse!" Mercātōrēs mercēs suās magnī aestimant, vītam nautārum parvī aestimant!

Nec vērō omnēs mercātōrēs domī remanent, cum mercēs eōrum nāvibus vehuntur. Nōnnūllī in terrās aliēnās nāvigant, quod mercēs pretiōsās nautīs crēdere nōlunt, sīcut mercātor ille Rōmānus quī eādem nāve vehitur quā Mēdus et Lȳdia. Is laetus Ōstiā profectus est cum mercibus pretiōsīs quās omnī pecūniā suā in Italiā ēmerat eō cōnsiliō ut eās māiōre pretiō in Graeciā vēnderet. Ita spērābat sē magnum lucrum factūrum esse. Iam vērō ea spēs omnis periit, nam flūctibus mersae

dē-terrēre

ad-icere (-iicere) -iō = addere
aestimāre: magnī ae. = magnī pretiī esse cēnsēre
vīta -ae *f* < vīvere

re-manēre = manēre

nōn-nūllī -ae -a = haud paucī, complūrēs
pretiōsus -a -um = magnī pretiī

lucrum -ī *n*: l. facere = pecūniam suam augēre
spēs -eī *f* = id quod spērātur

sunt mercēs in quibus omnem spem posuerat. Subitō mercātor ē dīvitissimō pauperrimus factus est. Nōn mīrum est eum maestum esse.

Mercātor ad gubernātōrem accēdēns multīs cum lacrimīs queritur: "Heu, mē miserum! Omnia quae possidēbam in fundō maris sunt. Quid faciam? Quid spērem? Quōmodo uxōrem et līberōs alam? Nē as quidem mihi reliquus est: omnia āmīsī. Heu!"

"Dēsine querī!" inquit gubernātor, "Nōn enim omnia āmīsistī sī uxor et līberī tuī salvī sunt. Nōnne līberōs plūris aestimās quam mercēs istās? Dīvitiās āmittere miserum est, at multō miserius līberōs āmittere."

Tālibus verbīs nauta mercātōrem maestum cōnsōlārī cōnātur, sed frūstrā, nam ille prōtinus "Nōlī tū mē cōnsōlārī" inquit, "quī ipse imperāvistī ut mercēs meae iacerentur!"

Gubernātor: "Iactūrā mercium nāvis servāta est."

Mercātor: "Rēctē dīcis: meae mercēs ēiectae sunt, ut nāvis tua salva esset!"

Gubernātor: "Mercēs iēcimus ut nōs omnēs salvī essēmus. Iactūrā mercium nōn modo nāvis, sed etiam vīta omnium nostrum servāta est. Mercēs quidem periērunt, sed nēmō nostrum periit. Ergō bonum animum habē! Laetāre ūnā nōbīscum tē vītam nōn āmīsisse simul cum mercibus! Hominēs fēlīcēs sumus."

Mercātor: "Vōs quidem fēlīcēs estis, nēmō enim vestrum assem āmīsit. Mīrum nōn est vōs laetārī. At

pōnere posuisse positum

mīrus -a -um: mīrum = quod mīrantem facit
maestus -a -um = maerēns, trīstis

heu! (dolōrem animī significat)

ā-mittere -mīsisse -missum ↔ accipere

plūris aestimāre = māiōris pretiī esse cēnsēre
dīvitiae -ārum *f* (<dīves) = magna pecūnia

prōtinus = statim

iactūra -ae *f* < iacere

omnēs nōs, *gen* omnium *nostrum*
nēmō nostrum = nēmō ex nōbīs
nōbīs-cum = cum nōbīs

fēlīx -īcis = cui rēs bona accidit
nēmō vestrum = nēmō ex vōbīs

nōlīte mē monēre ut laetus sim, postquam omnia mihi ēripuistis! Laetitia vestra mē nōn afficit."

Gubernātor: "Nec quisquam nostrum trīstitiā tuā afficitur. Semper gaudeō cum dē līberīs meīs cōgitō, quī māximā laetitiā afficiuntur cum patrem suum ē nāvigātiōne perīculōsā salvum redīre vident."

Mercātor: "Ego quoque līberōs meōs amō nec eōs dolōre afficere volō. Sed quōmodo vīvāmus sine pecūniā? Quōmodo cibum et vestem emam īnfantibus meīs? Ō dī immortālēs! Reddite mihi mercēs!"

Gubernātor: "Quid iuvat deōs precārī ut rēs āmissae tibi reddantur? Frūstrā hoc precāris."

Mercātor: "Quid ergō faciam? Ipse dē nāve saliam, an in eādem nāve maneam vōbīscum?" Vir ita perturbātus est ut sē interroget, utrum in mare saliat an in nāve remaneat.

"Salī modo!" inquit gubernātor, "Nēmō nostrum tē prohibēbit. At certē nōn tam fēlīx eris quam Arīōn, quī delphīnō servātus est." *II*

Mercātor, quī Arīonem ignōrat, "Quisnam est Arīōn?" inquit, "Nē nōmen quidem mihi nōtum est."

Gubernātor: "Ignārus quidem es sī illum ignōrās. Arīōn, vir nōbilis Lesbī nātus, tam pulchrē fidibus canēbat ut alter Orpheus appellārētur. An tam ignārus es ut etiam Orpheus tibi ignōtus sit?"

Mercātor: "Minimē vērō. Orpheus quidem omnibus nōtus est. Is fidicen nōbilissimus fuit quī tam pulchrē

ē-ripere -iō -ripuisse -reptum < ē + rapere
laetitia -ae *f* < laetus
af-ficere -iō -fēcisse -fectum
trīstitia -ae *f* < trīstis; t.ā afficere = trīstem facere; t.ā afficī = trīstis fierī
nāvigātiō -ōnis *f* < nāvigāre

dolor (animī) ↔ laetitia
dolōre afficere = dolentem (: maestum) facere

dī = diī

precārī (< precēs) = ōrāre

vōbīs-cum = cum vōbīs
per-turbāre = valdē turbāre

delphīnus -ī *m*

Arīōn -onis *m*

fidēs -ium *fpl*

nōtus -a -um: is mihi nōtus est = eum nōvī
ignārus -a -um = ignōrāns, rudis
nōbilis -e = multīs nōtus
Lesbos -ī *f*
Orpheus -ī *m*
an = num
ignōtus -a -um ↔ nōtus

fidicen -inis *m* = quī fidibus canit

canēbat ut bēstiae ferae, nātūram suam oblītae, accēderent, ut eum canentem audīrent, ac rapidī fluviī cōnsisterent, nē strepitū cantum eius turbārent. Orpheus etiam ad Īnferōs dēscendit ut uxōrem suam mortuam inde redūceret... Sed perge nārrāre dē Arīone."

Gubernātor, cum omnēs attentōs videat, hanc fābulam nārrat:

"Cum Arīōn, nōbilissimus suī temporis fidicen, ex Italiā in Graeciam nāvigāret magnāsque dīvitiās sēcum habēret, nautae pauperēs, quī hominī dīvitī invidēbant, eum necāre cōnstituērunt. Ille vērō, cōnsiliō eōrum cognitō, pecūniam cēteraque sua nautīs dedit, hoc sōlum ōrāns ut sibi ipsī parcerent. "Ecce" inquit "omnia quae possideō iam vestra sunt. Dīvitiās meās habēte, parcite vītae! Permittite mihi in patriam revertī! Hoc sōlum precor." Nautae precibus eius ita permōtī sunt ut manūs quidem ab eō abstinērent; sed tamen imperāvērunt ut statim in mare dēsilīret! Ibi homō territus, cum iam vītam dēspērāret, id ūnum ōrāvit ut sibi licēret vestem ōrnātam induere et fidēs capere et ante mortem carmen canere. Id nautae, studiōsī cantum eius audiendī, eī permīsērunt. Ille igitur, pulchrē vestītus et ōrnātus, in celsā puppī stāns carmen clārā vōce ad fidēs cecinit. Ut Orpheus cantū suō ferās ad sē alliciēbat, ita tunc Arīōn canendō piscēs allēxit ad nāvem. Postrēmō autem cum fidibus ōrnāmentīsque, sīcut stābat canēbatque, in mare dēsiluit.

oblītae : cum oblīvīscerentur
rapidus -a -um (< rapere) = celerrimus
nē = ut nē (: quia... turbāre nōlēbant)
cantus -ūs *m* < canere

inde = illinc
re-dūcere
cum vide*at* = vidēns, quia videt

cum... nāvigā*ret* = dum nāvigat

in-vidēre (+ *dat*) = inimīcus esse ob bonum aliēnum

parcere (+ *dat*) = nōn necāre, salvum esse sinere

per-mittere (eī) = sinere (eum)
per-movēre: permōtī sunt : animī eōrum p. sunt
abs-tinēre < abs + tenēre
dē-silīre -uisse < dē + salīre
dē-spērāre ↔ spērāre

carmen -inis *n* = verba quae canuntur

celsus -a -um = altus
canere cecinisse
al-licere -iō -lēxisse -lectum

repente = subitō
sub-īre eum = sub eum īre
dorsum -ī *n* = tergum bēstiae
vehere vēxisse vectum
ex-pōnere
Periander -drī *m*

parum : haud
crēdere -didisse
quasi = tamquam
fallāx -ācis = quī fallit

inde : ex Italiā

appārēre -uisse = in cōnspectum venīre
stupēre = valdē mīrārī

maleficium -ī *n* = malum factum
cōn-fitērī -fessum esse = fatērī

dubitō num fābula vēra *sit* = nōn crēdō fābulam vēram esse

sī-ve... sī-ve

salūs -ūtis *f* < salvus
in modum = modō (*abl*)
dē salūte dēspērāre = salūtem d.
nōn-numquam = haud rārō, satis saepe

bonō animō (*abl*) esse = bonum animum habēre

anima : vīta

"Tum vērō nova et mīra rēs accidit: delphīnus, cantū allectus, repente hominem natantem subiit eumque in dorsō suō sedentem vēxit et in lītore Graeciae salvum exposuit. Inde Arīōn prōtinus Corinthum petīvit, ubi rēgem Periandrum, amīcum suum, adiit eīque rem sīcut acciderat nārrāvit. Rēx haec parum crēdidit, et Arīonem quasi virum fallācem cūstōdīrī iussit. Sed postquam nautae Corinthum vēnērunt, rēx eōs interrogāvit 'num scīrent ubi esset Arīōn et quid faceret?' Respondērunt 'hominem, cum inde abīrent, in terrā Italiā fuisse eumque illīc bene vīvere, aurēs animōsque hominum cantū suō dēlectāre atque magnum lucrum facere.' Cum haec falsa nārrārent, Arīōn repente cum fidibus ōrnāmentīsque cum quibus sē in mare iēcerat appāruit. Nautae stupentēs, cum eum quem mersum esse putābant ita vīvum appārēre vidērent, prōtinus maleficium suum cōnfessī sunt."

Hīc Mēdus "Etsī nōtum est" inquit "nōnnūllōs hominēs delphīnīs vectōs esse, tamen dubitō num haec fābula vēra sit."

Gubernātor: "Sīve vēra sīve falsa est, valdē mē dēlectat fābula dē fēlīcī salūte Arīonis, nam sīcut ille mīrum in modum servātus est, cum iam dē salūte dēspērāret, ita hominēs nōnnumquam contrā spem ē māximīs perīculīs ēripiuntur. Hāc fābulā monēmur ut semper bonō animō sīmus nēve umquam dē salūte dēspērēmus. Dum anima est, spēs est."

Haec verba tandem mercātōrem perturbātum aliquid cōnsōlārī videntur.

III Tum vērō Lȳdia ad Mēdum versa "Modo tē interrogāvī" inquit "tuane esset pecūnia quā hunc ānulum ēmistī. Cūr nōndum mihi respondistī?"

Ita repente interrogātus Mēdus 'sē pecūniam ē sacculō dominī surripuisse' cōnfitētur.

sur-ripere -iō -ripuisse -reptum <sub + rapere

"Ō Mēde!" exclāmat Lȳdia, "Fūr es! Iam mē pudet tē, fūrem nēquissimum, amāvisse!"

fūr fūris *m*

nēquam, *comp* nēquior, *sup* nēquissimus

At Mēdus "Nōlī" inquit "mē fūrem appellāre, mea Lȳdia! Dominus enim aliquid pecūliī mihi dēbēbat. Pecūlium dēbitum sūmere fūrtum nōn est."

fūrtum -ī *n* = maleficium fūris

Sed Lȳdia pergit eum fūrtī accūsāre: "Fūrtum fēcistī, Mēde! Frūstrā tē excūsāre cōnāris."

accūsāre + *gen*: fūrtī accūsāre = dē fūrtō a.

Mēdus: "Sī fūrtum fēcī, tuā causā id fēcī. Eō enim cōnsiliō nummōs surripuī ut dōnum pretiōsum tibi emerem. Nōnne hoc beneficium potius quam maleficium esse tibi vidētur?"

bene-ficium -ī *n* ↔ male-ficium

Lȳdia: "Facile est aliēnā pecūniā dōna pretiōsa emere. Tāle dōnum mē nōn dēlectat. Hunc ānulum iam gerere nōlō: in mare eum abiciam!" Hoc dīcēns Lȳdia ānulum dē digitō dētrahit, sed gubernātor prōtinus bracchium eius prehendit. Simul Mēdus ānulum ē manū Lȳdiae lāpsum capit.

ab-icere (-iicere) -iō -iēcisse -iectum < ab + iacere

dē-trahere

lābī lāpsum esse

Lȳdia īrāta exclāmat: "Abstinē manum, nauta!" at ille "Nōlī stultē agere!" inquit, "Nēmō tibi ānulum ita abiectum reddet — nisi forte tam fēlīx eris quam Poly-

Polycratēs -is *m*

tyrannus -ī *m* = rēx sevērissimus
Samius -a -um < Samos -ī *f*

cratēs, tyrannus Samius, cuius ānulus, quem ipse in mare abiēcerat, mīrum in modum inventus est nōn in fundō maris, sed in ventre piscis!"

Lȳdia: "Cūr ille tyrannus ānulum suum abiēcit?"

sē-sē = sē

Gubernātor: "Ānulum abiēcit, cum sēsē nimis fēlīcem esse cēnsēret. Nihil malī umquam eī acciderat ac tanta erat potestās eius, tanta glōria tantaeque dīvitiae, ut nōn sōlum aliī tyrannī, sed etiam dī immortālēs eī

fēlīcitās -ātis *f* < fēlīx

invidērent. Tum amīcus eius, rēx Aegyptī, cum fēlīcitātem atque glōriam eius ingentem vidēret, tyrannō suāsit, ut iactūram faceret eius reī quā māximē omnium dēlectābātur: ita deōrum invidiam āvertī posse spērābat. Polycratēs igitur nāvem cōnscendit et ānulum quem pretiōsissimum habēbat in mare abiēcit.

suādēre -sisse (+ *dat*) = persuādēre cōnārī
iactūram facere reī = rem abicere/āmittere
invidia -ae *f* < invidēre
ā-vertere : prohibēre

piscātor -ōris *m* = quī piscēs capit

"Paucīs post diēbus aliquī piscātor in eōdem marī piscem cēpit quī tam fōrmōsus erat ut piscātor eum nōn vēnderet, sed tyrannō dōnāret. Vērum antequam piscis

dōnāre (< dōnum) = dare

secāre -uisse sectum = cultrō dīvidere

ad mēnsam tyrannī allātus est, servus quī piscem secābat eī ānulum attulit 'quem in ventre piscis inventum esse' dīxit. Polycratēs, cum ānulum suum recognōsceret, māximā laetitiā affectus est."

re-cognōscere

Mēdus: "Nēmō umquam eō tyrannō beātior fuit!"

quis-quam, *acc* quemquam = üllum hominem
fortūna -ae *f*: f. hominis = quod forte hominī accidit

Gubernātor: "Nōlī quemquam ante mortem beātum dīcere! Hoc nōs docet fortūna illīus tyrannī. Polycratēs enim paulō post ā quōdam virō fallācī, quī eum falsīs prōmissīs Samō in Asiam allēxerat, terribilem in modum necātus est. Ita nōnnumquam vita beāta morte

miserrimā fīnītur. Varia quidem est hominum fortūna, sed homō prūdēns bonam et malam fortūnam aequō animō fert nec alterīus fortūnae invidet."

Dum gubernātor loquitur, altera nāvis procul in marī appāret. Mēdus eum apprehendit et "Dēsine loquī!" inquit, "Cūrā negōtium tuum! Quīn prōspicis? Vidēsne nāvem illam vēlōcem quae ā septentriōnibus nōbīs appropinquat?"

"Per deōs immortālēs!" inquit gubernātor, cum prīmum nāvem appropinquantem prōspexit, "Illa nāvis vēlōx nōs persequitur. Certē nāvis praedōnum est. Omnia vēla date, nautae!"

Nāvis autem vēlīs sōlīs nōn tam vēlōciter vehitur quam ante tempestātem, nam vēla ventō rapidō scissa sunt. Itaque gubernātor imperat ut nāvis rēmīs agātur. Mox rēmīs vēlīsque vehitur nāvis quam vēlōcissimē potest, sed tamen altera nāvis, cuius rēmī quasi ālae ingentēs sūrsum deorsum moventur, magis magisque appropinquat.

Gubernātor perterritus exclāmat: "Ō dī bonī! Quid faciāmus? Brevī praedōnēs hīc erunt."

Tum mercātor, cum gubernātōrem pallidum videat, "Bonō animō es!" inquit, "Nōlī dēspērāre! Spēs est, dum anima est."

fīnīre (< fīnis): rem f. = fīnem facere reī
varius = quī mūtātur
aequus animus = animus cōnstāns
ferre = patī

vēlōx -ōcis = celer
ap-propinquāre (+ *dat*) = prope venīre


rēmus
-ī *m*



GRAMMATICA LATINA

'Ut', 'nē' cum coniūnctīvō

[A] Tempus praesēns.

Iūlius Dāvō imperat *ut* puerum excit*et*. Aemilia Syram monet *nē* puellam excit*et*.

= D. clāmat quia puerum excitāre vult
= S. tacet quia puellam excitāre nōn vult

Dāvus clāmat, *ut* puerum excit*et*. Syra tacet, *nē* puellam excit*et*.

Dāvus *ita* (*tam* clārē, *tantā* vōce) clāmat *ut* puerum excit*et*. Syra *tam* quiēta est *ut* puellam *nōn* excit*et*.

[B] Tempus praeteritum.

Iūlius Dāvō imperāvit *ut* puerum excitār*et*. Aemilia Syram monuit *nē* puellam excitār*et*.

Dāvus clāmāvit, *ut* puerum excitār*et*. Syra tacēbat, *nē* puellam excitār*et*.

Dāvus *ita* clāmāvit *ut* puerum excitār*et*. Syra *tam* quiēta erat *ut* puellam *nōn* excitār*et*.

Vocābula nova:
fundus
vīta
lucrum
spēs
dīvitiae
iactūra
laetitia
trīstitia
nāvigātiō
delphīnus
fidēs
fidicen
cantus
carmen
dorsum
maleficium
salūs
fūr
fūrtum
beneficium
tyrannus
fēlīcitās
invidia
piscātor
fortūna
rēmus

PENSVM A

Magister puerōs monet — pulchrē scrīb–. Sextus tam pulchrē scrībit — magister eum laud–. Magister ipse calamum sūmit, — litterās scrīb–.

Daedalus ālās cōnfēcit — ē labyrinthō ēvol–. Īcarus tam altē volāvit — sōlī appropinqu–, quamquam pater eum monuerat — temerārius es–.

Herī Quīntus arborem ascendit, — nīdum quaer–, etsī pater eum monuerat — cautus es–. Medicus Quīntō imperāvit — oculōs claud–, — cultrum medicī vid–. Quīntus tam pallidus erat — Syra eum mortuum esse put–.

Sōl ita lūcēbat — pāstor umbram pet–, — in sōle ambul–.

Tantus atque tālis deus est Iuppiter — Optimus Māximus appell—.

Verba: vehere –isse –um; pōnere –isse –um; āmittere –isse –um; allicere –isse –um; ēripere –isse –um; secāre –isse –um; suādēre –isse; dēsilīre –isse; canere –isse; crēdere –isse; cōnfītērī –um esse; lābī –um esse.

PENSVM B

Orpheus, fidicen —, tam pulchrē canēbat ut ferae — [= prope venīrent] ac fluviī — cōnsisterent. Etiam ad — dēscendit, ut — [= illinc] uxōrem suam —. Nēmō tam — est ut Orpheum ignōret.

Arīōn quoque omnibus — est. Cum ille magnās — sēcum in nāve habēret, nautae pauperēs hominī dīvitī — eumque necāre cōnstituērunt. Arīōn, cum — suam in perīculō esse sentīret, pecūniam nautīs — [= dedit] eōsque ōrāvit ut sibi —. Precibus — nautae eī permīsērunt ut ante mortem — caneret. Hōc factō, Arīōn in mare —; sed delphīnus eum in — sedentem ad lītus vēxit. Ita ille servātus est, cum iam salūtem —. Nautae, cum Arīonem — [= in cōnspectum venīre] vidērent, — [= statim] — suum cōnfessī sunt.

PENSVM C

Quōmodo mercātōrēs lucrum faciunt?
Cūr mercātor Rōmānus trīstis est?
Quārē mercēs ēiectae sunt?
Quid mercātor deōs precātur?
Quārē ad Īnferōs dēscendit Orpheus?
Num nautae Arīonem gladiīs interfēcērunt?
Quōmodo Arīōn servātus est?
Quid nōs monet haec fābula?
Cūr Polycratēs ānulum suum abiēcit?
Ubi ānulus eius inventus est?

pretiōsus
mīrus
maestus
fēlīx
nōtus
ignārus
nōbilis
ignōtus
rapidus
celsus
fallāx
vēlōx
dēterrēre
adicere
aestimāre
remanēre
querī
āmittere
ēripere
afficere
precārī
perturbāre
redūcere
invidēre
parcere
permittere
permovēre
abstinēre
dēsilīre
dēspērāre
allicere
subīre
expōnere
appārēre
stupēre
cōnfitērī
surripere
abicere
dētrahere
suādēre
dōnāre
secāre
recognōscere
fīnīre
appropinquāre
nōnnūllī
sēsē
frūstrā
inde
prōtinus
repente
quasi
nōnnumquam



triclīnium
-ī *n*



CONVIVIVM

revertī -tisse/-sum esse
balneum -ī *n* = locus ubi corpus lavātur

hospes -itis *m*

re-cipere -iō = accipere, admittere
in-exspectātus -a -um = nōn exspectātus

cēna -ae *f*

circiter *adv* < circum: c. IX = plūs minus IX [±9]

tardus -a -um = quī ad tempus nōn venit
diū = per longum tempus

induere -uisse -ūtum; indūtus = vestītus

Ex agrīs reversus Iūlius continuō balneum petit, atque prīmum aquā calidā, tum frīgidā lavātur. Dum ille post balneum vestem novam induit, Cornēlius et Orontēs, amīcī et hospitēs eius, cum uxōribus Fabiā et Paulā adveniunt. (Hospitēs sunt amīcī quōrum alter alterum semper bene recipit domum suam, etiam sī inexspectātus venit.)

Hodiē autem hospitēs Iūliī exspectātī veniunt, nam Iūlius eōs vocāvit ad cēnam. (Cēna est cibus quem Rōmānī circiter hōrā nōnā vel decimā sūmunt.)

Aemilia ātrium intrāns hospitēs salūtat et marītum suum tardum excūsat: "Iūlius tardē ex agrīs revertit hodiē, quod nimis diū ambulāvit. Ergō nōndum exiit ē balneō. Sed brevī lautus erit."

Tum Iūlius lautus et novā veste indūtus intrat et amī-

cōs salvēre iubet: "Salvēte, amīcī! Gaudeō vōs omnēs iam adesse. Quam ob rem tam rārō tē videō, mī Cornēlī?"

Cornēlius: "Nōnnumquam tē vīsere voluī, nec prius urbem relinquere potuī prae multīs et magnīs negōtiīs meīs. Nunc dēmum, postquam herī ad vīllam Tūsculānam rediī, paulum requiēscere possum et amīcōs vīsere. Post tanta negōtia magis quam umquam ōtiō fruor."

Iūlius: "Tūne quoque Rōmā venīs, Orontēs?"

Orontēs: "Nūper longum iter fēcī in Graeciam. Īdibus Māiīs dēmum ex itinere Rōmam revertī, unde hodiē veniō."

Iūlius: "Ergō vōs mihi aliquid dē rēbus urbānīs novissimīs nūntiābitis."

Cornēlius: "Et tū nōs docēbis dē rēbus rūsticīs, ut agricola studiōsus et dīligēns."

Iūlius frontem contrahit et "Agricola" inquit "ipse nōn sum, sed multīs agricolīs praesum ac dīligenter cūrō ut colōnī agrōs meōs bene colant."

Orontēs, quī vītā rūsticā nōn fruitur, "Prūdenter facis" inquit "quod agrōs ipse nōn colis. Sī necesse est in agrīs labōrāre, vīta rūstica nōn iūcunda, sed molesta est. Ego numquam īnstrūmentō rūsticō ūsus sum."

II Iūlius: "Dē rēbus rūsticīs et urbānīs colloquēmur inter cēnam. Prīmum omnium cēnābimus. Sex hōrae iam sunt cum cibum nōn sūmpsī. Venter mihi contrahitur propter famem."

salvēre iubēre = salūtāre

vīsere = vīsum īre

dēmum = dēnique, tandem
Tūsculānus -a -um < Tūsculum
re-quiēscere
fruī (+ *abl*) = dēlectārī

iter itineris *n* < īre

Iūlius frontem contrahit

nūntiāre (< nūntius) = (verba) afferre

dīligēns -entis ↔ neglegēns
con-trahere
prae-esse (+ *dat*) = dominus esse, imperāre
-ēns -entis, *adv* -enter (< -ent|iter): dīligēns, *adv* dīlig*enter*; prūdēns, *adv* prūd*enter*

iūcundus -a -um = quī dēlectat
molestus -a -um ↔ iūcundus
ūtī ūsum esse

cēnāre = cēnam sūmere

famēs -is *f*

Cornēlius: "Sex hōrae nihil est. Homō sex diēs cibō carēre potest, nec tamen fame moritur."

pos-sim

carēre -uisse

Iūlius: "Dubitō num ego tam diū famem ferre possim. Sex hōrās cibō caruisse iam molestum est. Magnum malum est famēs."

sitis -is *f*, *acc* -im, *abl* -ī
paulis-per ↔ diū

Cornēlius: "Id nōn negō, sed multō molestior est sitis. Sine cibō diū vīvere possumus, sine aquā paulisper tantum."

equidem = ego quidem

bonum -ī *n* (↔ malum) = bona rēs

Orontēs rīdēns "Equidem" inquit "sine aquā iūcundē vīvere possum, sine vīnō nōn item! Magnum bonum est vīnum."

Cornēlius: "Nēmō negat vīnum aquā iūcundius esse, sed tamen aquam bibere mālō quam sitim patī. Num tū sitim perferre māvīs quam aquam bibere?"

per-ferre = ferre (ūsque ad fīnem), diū patī
ē-ligere -lēgisse -lēctum

Orontēs: "Melius quidem est aquam bibere quam sitī perīre. Ex malīs minimum ēligere oportet. Nec vērō iūcundē vīvō nisi cotīdiē bonō vīnō fruor. Vīnum vīta est."

cocus -ī *m*

Cornēlius: "Nōn vīvimus, ut bibāmus, sed bibimus, ut vīvāmus."

coquere coxisse coctum
ex-ōrnāre = ōrnāre

Hīc Aemilia "Necesse est" inquit "paulisper famem et sitim ferre, dum cibus coquitur et triclīnium exōrnātur."

parāre = parātum facere
culīna -ae *f* = locus ubi cibus coquitur
minister -trī *m*

(Servus cuius negōtium est cibum coquere atque cēnam parāre in culīnā, cocus appellātur. Aliī servī, ministrī quī vocantur, cibum parātum ē cūlīnā in triclīnium portant. In triclīniō sunt trēs lectī, lectus summus, me-

dius, īmus, et mēnsa in mediō. Ante convīvium triclīnium flōribus exōrnātur et vestis pretiōsa super lectōs sternitur. Neque enim sedentēs cēnant Rōmānī, sed in lectīs cubantēs. Quot convīvae in singulīs lectīs accubant? In singulīs lectīs aut singulī aut bīnī aut ternī convīvae accubāre solent. Cum igitur paucissimī sunt convīvae, nōn pauciōrēs sunt quam trēs, cum plūrimī, nōn plūrēs quam novem — nam ter ternī sunt novem.)

Iūlius: "Hōra decima est. Cēnam iam prīdem parātam esse oportuit! Nimis tardus est iste cocus!"

Aemilia: "Tuumne hoc negōtium est an meum? Uter nostrum in culīnā praeest? Nōndum hōra decima est. Patienter exspectā, dum servī lectōs sternunt. Cēnābimus cum prīmum cocus cēnam parāverit et servī triclīnium ōrnāverint. Brevī cēna parāta et triclīnium ōrnātum erit."

III Tandem puer 'cēnam parātam esse' nūntiat. "Triclīnium intrēmus!" inquit Iūlius, atque convīvae laetī triclīnium flōribus exōrnātum et veste pulcherrimā strātum intrant. Rosae et līlia et alia multa flōrum genera in mēnsā sparsa sunt inter vāsa et pōcula argentea; nec enim quidquam nisi argentum mēnsam decet virī nōbilis. (Argentum quidem minōris pretiī est quam aurum, nec vērō quisquam ex vāsīs aureīs cēnat nisi hominēs dīvitissimī atque glōriōsī, ut rēgēs Orientis.)

Iūlius, dominus convīviī, cum Aemiliā in lectō mediō accumbit; in aliīs duōbus lectīs bīnī convīvae accum-

īmus -a -um = īnfīmus
medium -ī *n* = medius locus
convīvium -ī *n* = cēna quae amīcīs datur
sternere strāvisse strātum
convīva -ae *m/f* = quī/quae in convīviō adest
ac-cubāre = ad mēnsam cubāre
singulī -ae -a = I et I...
bīnī -ae -a = II et II...
ternī -ae -a = III et III...

ter ternī = 3×3

prīdem = multō ante

tardus ↔ celer

lectum sternere = vestem super lectum sternere

vāsa argentea

puer = servus
intrēmus! = quīn intrāmus?

genus -eris *n*
vās vāsis *n*; *pl* vāsa -ōrum
argenteus -a -um = ex argentō factus
argentum -ī *n*: ex argentō fīunt dēnāriī

glōriōsus -a -um = nimis glōriae cupidus

ac-cumbere = accubantem sē pōnere

bunt: Cornēlius et Fabia in lectō summō ad sinistram Iūliī, Orontēs et Paula ad dextram Aemiliae in lectō īmō. Tum dēmum incipit cēna.

holus -eris *n* = herba quam edunt hominēs

Prīmum ōva convīvīs appōnuntur; deinde piscēs cum holeribus; sequitur caput cēnae: porcus quem Iūlius ipse ē grege ēlēgit; postrēmō mēnsa secunda: nucēs, ūvae, varia genera mālōrum. Cibus optimus est atque convīvīs placet, māximē vērō laudātur carō porcī, quam minister cultrō acūtō secat convīvīs spectantibus.

nux
nucis *f*

placēre (+ *dat*) = iūcundus esse
carō carnis *f*
acūtus -a -um: (culter) a. = quī bene secat

"Haec carō valdē mihi placet" inquit Fabia cum prīmum carnem gustāvit, "Cocus iste sānē negōtium suum scit."

sānē = certē

"Ego cocum nōn laudō" inquit Orontēs et salem carnī aspergit, "quī sale nōn ūtitur! Optima quidem est carō, sed sale caret." Orontēs cibum sale aspergere solet, ut sitim augeat! (Sāl est māteria alba quae in marī et sub terrā invenītur.)

sāl salis *m*
carnī : in carnem
a-spergere < ad + spargere
cibum sale aspergere = cibō salem aspergere

Iam ministrī vīnum et calidam in pōcula fundunt. Rōmānī vīnum cum aquā miscent neque vīnum merum bibere solent. Sōlus Orontēs, cui nōn placet vīnum mixtum, merum pōtat, sed is Graecus est atque lībertīnus. (Lībertīnus est quī servus fuit et līberātus est; in lectō īmō accubant lībertīnī.)

calida -ae *f* = aqua calida
fundere fūdisse fūsum
merus -a -um: (vīnum) merum = vīnum sine aquā
miscēre -uisse mixtum

pōtāre = bibere

līberāre = līberum facere

Iūlius pōculum tollēns "Ergō bibāmus!" inquit, "Hoc vīnum factum est ex optimīs ūvīs meārum vīneārum. Nec vīnum meum pēius esse mihi vidētur quam vīnum illud Falernum quod vīnum Italiae optimum habētur."

bib*āmus!* = quīn bibimus?

Falernus -a -um

(Falernum est vīnum ex agrō Falernō, regiōne Campā-
niae.)

Statim Cornēlius "Sānē optimum" inquit "vīnum est tuum, etiam melius quam Falernum", itemque Fabia "Sānē ita est" inquit, nam ea omnibus dē rēbus idem sentit quod marītus.

At Paula vīnum gustāns "Hoc vīnum" inquit "nimis acerbum est: ōs mihi contrahitur. Ego vīnum dulce amō; semper mel vīnō misceō." Statim minister mel apportat, quod Paula in pōculum suum fundit. (Mel est quod apēs ex flōribus quaerunt; nihil melle dulcius est.)

Iūlius: "Idem nōn omnibus placet. Sed quidnam tū sentīs, Orontēs? Utrum vīnī genus melius esse tibi vidētur, Falernum an Albānum?"

"Equidem" inquit Orontēs "sententiam meam nōn ante dīcam quam utrumque gustāverō."

Ad hoc Iūlius "Rēctē mē monēs" inquit "ūnum vīnī genus parum esse in bonā mēnsā. Profectō utrumque gustābis. Age, puer, prōfer Falernum quod optimum habeō! Tum dēmum hoc vīnum cum illō comparāre poterimus, cum utrumque gustāverimus. Ergō pōcula exhaurīte, amīcī! Cum prīmum meum vīnum pōtāveritis, Falernum pōtābitis!"

Pōculum Orontis prīmum Falernō complētur, nam is iam prīdem pōculum suum exhausit. Deinde ministrī Falernum in cētera pōcula fundunt. Omnēs, postquam vīnum gustāvērunt, idem sentiunt: vīnum Falernum

Falernum -ī *n* = vīnum F.
ager = terra, regiō



acerbus -a -um ↔ dulcis -e
mel mellis *n*
vīnō (*dat*) : in vīnum
ap-portāre < ad-portāre

sententia mea = id quod sentiō
ante ... quam = antequam

prō-ferre = prōmere

ex-haurīre -sisse -stum ↔ implēre

com-plēre = implēre

multō melius esse vīnō Albānō! Cornēlius et Orontēs inter sē aspiciunt. Neuter eōrum sententiam suam apertē dīcere audet.

inter sē aspiciunt = alter alterum aspicit

Tum Orontēs sīc incipit: "Nesciō equidem utrum melius sit. Dulcius quidem est Falernum, nec vērō tuum vīnum nimis acerbum esse cēnseō..."

At Cornēlius prūdenter "Utrumque" inquit "aequē bonum est. Neutrum melius esse mihi vidētur."

GRAMMATICA LATINA

Verbī tempora

Futūrum perfectum

[A] Āctīvum.

Dux mīlitem laudābit, sī fortiter pugnā*verit*.

pugnā*verit*

'Laudābit' tempus futūrum est. 'Pugnā*verit*' est tempus futūrum perfectum. Futūrum perfectum dēsinit in *-erit* (pers. III sing.), quod ad īnfīnītīvum perfectī sine *-isse* adicitur.

-erit

Exempla: [1] recitāv|*erit;* [2] pāru|*erit;* [3] scrīps|*erit;* [4] audīv|*erit*.

Discipulus laudābitur sī magistrō pār*uerit* et industrius *fuerit:* sī rēctē scrīp*serit*, bene recitā*verit* et attentē audī*verit*.

Magister: "Tē laudābō sī mihi pār*ueris* et industrius *fueris*." Discipulus: "Quid mihi faciēs sī piger *fuerō* nec tibi pār*uerō*?" Magister: "Sī prāvē scrīp*seris* et male recitā*veris* nec attentē audī*veris*, tē verberābō!" Discipulus: "Ergō mē laudābis sī rēctē scrīp*serō*, bene recitā*verō* et attentē audī*verō*."

Discipulī laudābuntur sī magistrō pār*uerint* et industriī *fuerint:* sī rēctē scrīp*serint*, bene recitā*verint* et attentē audī*verint*.

Magister: "Vōs laudābō sī mihi pār*ueritis* et industriī *fueritis*." Discipulī: "Quid nōbīs faciēs sī pigrī *fuerimus* nec tibi pār*uerimus*?" Magister: "Sī prāvē scrīp*seritis* et male recitā*ve-*

[1] recitāv|*er*|*ō*
recitāv|*eri*|*s*
recitāv|*eri*|*t*
recitāv|*eri*|*mus*
recitāv|*eri*|*tis*
recitāv|*eri*|*nt*

[2] pāru|*er*|*ō*
pāru|*eri*|*s*
pāru|*eri*|*t*
pāru|*eri*|*mus*
pāru|*eri*|*tis*
pāru|*eri*|*nt*

[3] scrīps|*er*|*ō*
scrīps|*eri*|*s*
scrīps|*eri*|*t*
scrīps|*eri*|*mus*
scrīps|*eri*|*tis*
scrīps|*eri*|*nt*

[4] audīv|*er*|*ō*
audīv|*eri*|*s*
audīv|*eri*|*t*
audīv|*eri*|*mus*
audīv|*eri*|*tis*
audīv|*eri*|*nt*

ritis nec attentē audī*veritis*, vōs verberābō!" Discipulī: "Ergō nōs laudābis sī rēctē scrī*pserimus*, bene recitā*verimus* et attentē audī*verimus*."

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	-erō	-erimus
Persōna secunda	-eris	-eritis
Persōna tertia	-erit	-erint

[B] Passīvum.

Pater gaudēbit sī fīlius ā magistrō laudā*tus erit* (= sī magister fīlium laudāverit).

Pater gaudēbit sī fīliī ā magistrō laudā*tī erunt* (= sī magister fīliōs laudāverit).

Pater: "Gaudēbō, fīli mī, sī laudā*tus eris*." Fīlius: "Quid mihi dabis sī laudā*tus erō*?"

Pater: "Gaudēbō, fīliī meī, sī laudā*tī eritis*." Fīliī: "Quid nōbīs dabis sī laudā*tī erimus*?"

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	laudā*tus erō*	laudā*tī erimus*
Persōna secunda	laudā*tus eris*	laudā*tī eritis*
Persōna tertia	laudā*tus erit*	laudā*tī erunt*

PENSVM A

Syra: "Iam dormī, Quīnte! Cum bene dormīv–, valēbis." Quīntus: "Nōn dormiam antequam tū mihi fābulam nārrāv–. Cum fābulam audīv–, bene dormiam. Cum bene dormīv–, brevī sānus erō, nisi medicus mē necāv–!"

Patria salva erit sī mīlitēs nostrī fortiter pugnāv–. Dux: "Nisi vōs fortiter pugnāv–, mīlitēs, hostēs castra nostra expugnābunt." Mīlitēs: "Num quid nōbīs dabitur, sī fortiter pugnāv–?"

Verba: induere –isse –um; ēligere –isse –um; coquere –isse –um; sternere –isse –um; fundere –isse –um; miscēre –isse –um; exhaurīre –isse –um; revertī –isse/–um esse; ūtī –um esse.

fu|er|ō *fu|eri|mus*
fu|eri|s *fu|eri|tis*
fu|eri|t *fu|eri|nt*

-er|ō *-eri|mus*
-eri|s *-eri|tis*
-eri|t *-eri|nt*

laudāt|*us erit*

laudāt|ī *erunt*

-tus	*erō*	*-tī*	*erimus*
-ta	*eris*	*-tae*	*eritis*
	erit		*erunt*
-tum erit		*-ta erunt*	

laudāt|*us erō*
laudāt|*us eris*
laudāt|*us erit*
laudāt|ī *erimus*
laudāt|ī *eritis*
laudāt|ī *erunt*

Vocābula nova:
balneum
hospes
cēna
iter
famēs
sitis
bonum
triclīnium
culīna
cocus
minister
medium
convīvium
convīva
genus
vās
argentum
holus
nux
carō
sāl
calida

merum
lībertīnus
mel
inexspectātus
tardus
dīligēns
iūcundus
molestus
īmus
argenteus
glōriōsus
acūtus
merus
acerbus
dulcis
recipere
salvēre iubēre
vīsere
requiēscere
fruī
nūntiāre
contrahere
praeesse
cēnāre
perferre
ēligere
coquere
exōrnāre
parāre
sternere
accubāre
accumbere
placēre
gustāre
aspergere
fundere
miscēre
pōtāre
līberāre
apportāre
prōferre
exhaurīre
complēre
singulī
bīnī
ternī
circiter
diū
paulisper
dēmum
prīdem
equidem
sānē

PENSVM B

Iūlius Cornēlium et Orontem, amīcōs et — suōs, cum uxōribus ad — vocāvit. Cum hospitēs veniunt, Iūlius in — lavātur. Aemilia eōs — iubet [= salūtat] et marītum suum — excūsat. Cornēlius ad vīllam suam reversus ōtiō —. Orontēs, quī ex longō — revertit, vītam rūsticam nōn —, sed — esse cēnset. Hospitēs in ātriō exspectant, dum cibus —. Servus quī in — cibum coquit, — appellātur. In — sunt trēs lectī: lectus summus, medius, —; in singulīs lectīs — aut — aut ternī — accubant. Rōmānī in lectīs cubantēs —.

Tandem puer 'cēnam parātam esse' —. In mēnsā sunt — et pōcula ex — facta. Cibus omnibus —, māximē autem — laudātur. — [= servī] vīnum in pōcula —. Orontēs vīnum merum — [=bibit], cēterī convīvae aquam vīnō —.

Sine cibō homō — vīvere potest, sine aquā — tantum. — mala rēs est, sed multō pēior est —. Ex malīs minimum — oportet.

PENSVM C

Quī sunt Cornēlius et Orontēs?
Ubi est Iūlius cum hospitēs adveniunt?
Quid est balneum?
Nōnne iūcunda est vīta rūstica?
Quid est cocī negōtium?
Num Rōmānī in sellīs sedentēs cēnant?
Quot lectī sunt in triclīniō?
Quot convīvae in singulīs lectīs accubant?
Ex quā māteriā pōcula et vāsa facta sunt?
Tūne vīnum aquā calidā mixtum bibis?



INTER POCVLA

Nōn sōlum dē cibō et pōtiōne est sermō convīvārum. Iūlius hospitēs suōs dē rēbus urbānīs interrogat: "Quid novī ex urbe? Octō diēs iam sunt cum Rōmae nōn fuī, nec quisquam interim mihi litterās inde mīsit. Quam ob rem nec ipse praesēns nec absēns per litterās quidquam cognōvī dē eō quod nūper Rōmae factum est."

pōtiō -ōnis *f* = quod pōtātur

praesēns -entis ↔ absēns

Aemilia: "Nēmō tibi quidquam scrībet dē rēbus urbānīs, nisi prius ipse epistulam scrīpseris."

Orontēs: "Opus nōn est epistulās exspectāre, nam facile aliquid novī per nūntiōs cognōscere potes. Cūr nōn servum aliquem Rōmam mittis?"

nūntius -ī *m* = is quī nūntiat

Iūlius: "Servī sunt malī nūntiī: saepe falsōs rūmōrēs nūntiant. Numquam servōs meōs Rōmam mittō."

rūmor -ōris *m* = rēs ex aliīs audīta quae nārrātur

Cornēlius: "Quid? Herī quendam servum tuum vīdī in viā Latīnā. Faciem recognōvī, saepe eum hīc vīdī."

quī-dam, *acc* que*m*-dam (< que*m*-dam)

ab aliquō quaerere = aliquem interrogāre
ali-quī -qua -quod

Iūlius ā Cornēliō quaerit 'quod nōmen eī sit?'

Cornēlius: "Aliquod nōmen Graecum, putō. 'Midās' fortasse, nec vērō certus sum. Semper nōmina oblīvīscor, nam mala memoria mihi est."

Midās -ae *m*
quī- quae- quod-dam, *abl* quō- quā- quō-dam, *gen* cuius-dam
avārus -a -um = cupidus pecūniae
optāre = cupere

Orontēs: "Midās est nōmen rēgis, dē quō haec fābula nārrātur: In quādam urbe Asiae ōlim vīvēbat rēx quīdam avārus, nōmine Midās, quī nihil magis optābat quam dīvitiās..."

Iūlius, quī fābulam audīre nōn vult, Orontem interpellat: "Nōn Midās" inquit, "sed Mēdus est nōmen cuiusdam servī meī, quī herī..."

minimē = nūllō modō

Orontēs vērō, minimē turbātus, nārrāre pergit: "Tum Bacchus deus, quī ob quoddam beneficium rēgī bene volēbat, "Dabō tibi" inquit "quidquid optāveris." Statim Midās "Ergō dā mihi" inquit "potestātem quidquid tetigerō in aurum mūtandī. Hoc sōlum mihi optō." Bacchus, etsī rēgem avārum mūnus pessimum optāvisse cēnsēbat, tamen prōmissum solvit."

Bacchus -ī *m*: deus vīnī

quid-quid = omnis rēs quae

tangere tetigisse tāctum

mūnus -eris *n* = dōnum

im-patiēns -entis < in-patiēns

Iūlius impatiēns "Tacē, Orontēs!" inquit, "Omnēs illam fābulam nōvimus."

At Aemilia, quae fābulam ignōrat, ab Oronte quaerit 'quamobrem id mūnus pessimum sit?'

quam-ob-rem = cūr

cui: Aemiliae

Cui Orontēs "Stultē id quaeris" inquit, "Midās enim, quamquam terram, lignum, ferrum manū tangendō in aurum mūtāre poterat, fame et sitī moriēbātur, cum cibus quoque et pōtiō, simul atque ā rēge tācta erat, aurum fieret. Postrēmō rēx miser deum ōrāvit ut mūnus

simul atque = eōdem tempore quō, cum prīmum

illud īnfēlīx revocāret. Bacchus igitur eī suāsit ut in quōdam flūmine lavārētur; cuius flūminis aqua, simul atque corpore rēgis tācta est, colōrem aureum accēpit."

Iūlius: "Hicine fīnis fābulae est?"

Orontēs: "Huius quidem fābulae fīnis est, sed aliam fābulam dē eōdem rēge nōvī. Deus Apollō effēcerat ut Midās aurēs asinīnās habēret..."

Iūlius: "Satis est! Fābulās tuās Graecās audīre nōlumus. Redeāmus ad meum Mēdum servum, quī herī aufūgit aliquantum pecūniae sēcum auferēns."

Cornēlius: "Quantum pecūniae abstulit?"

Iūlius: "Centum circiter sēstertiōs. Atque ego illī servō praeter cēterōs fīdēbam! Posthāc servō Graecō nūllī cōnfīdam, neque enim fidē meā dignī sunt: īnfīdī et nēquam sunt omnēs! In familiā meā ūnum sōlum servum fīdum esse crēdō."

II Hīc Aemilia marītum interpellat et "St, Iūlī!" inquit, "Nōlī servum praesentem laudāre!"

Iūlius Dāvum cōnspiciēns "Sed is servus adest" inquit, "Nōlō eum laudāre praesentem. Mēdus vērō plānē īnfīdissimus omnium est. Profectō eum verberābō atque omnibus modīs cruciābō, sī eum invēnerō priusquam Italiam relīquerit. Nisi pecūniam mihi reddiderit, in cruce fīgētur!"

Cornēlius: "Etiam sī adhūc Rōmae latet, difficile erit servum fugitīvum in tantā urbe reperīre. Rōmae enim tot servī sunt quot hominēs līberī."

īn-fēlīx -īcis ↔ fēlīx

ac-cipere -iō -cēpisse -ceptum

Apollō -inis *m*

asinīnus -a -um < asinus

au- < ab-: au-fugere, au-ferre
ali-quantum = haud paulum (nesciō quantum)
quantum = quam multum
au-ferre abs-tulisse ablātum

fīdere (+ *dat/abl*) = crēdere
cōn-fīdere = fīdere
fidēs -eī *f* = animus fīdēns
fīdus -a -um ↔ īn-fīdus


crux

cruciāre = dolōribus afficere
prius-quam = antequam

crux -ucis *f*

latēre = sē occultāre, occultārī
fugitīvus -a -um = quī aufūgit
tot... quot = tam multī ... quam

Aemilia: "Fortasse Rōmam abiit ob amōrem alicuius mulieris. Iuvenis est Mēdus: quid nōn faciunt iuvenēs amōris causā? Crēdō eum apud puellam Rōmānam latēre."

iuvenis -īs *m* = vir circiter XXX annōrum
crēdere = putāre

Orontēs: "Ergō numquam reperiētur, nam vērum est quod scrīpsit Ovidius in librō quī vocātur 'Ars amandī': *Quot caelum stēllās, tot habet tua Rōma puellās.*"

Ovidius -ī *m* [*I.59*]
tot puellās... quot

Iūlius: "Profectō magnum praemium dabō eī quī servum meum fugitīvum hūc retrāxerit."

praemium -ī *n* = mūnus quod datur prō beneficiō
re-trahere

Cornēlius: "Quantum pecūniae dabis? Certum praemium statuere oportet."

statuere -uisse -ūtum

Iūlius: "Tantum quantum ille surripuit."

tantum quantum = tam multum quam
nimius -a -um = nimis magnum

Orontēs: "Centum tantum sēstertiōs? Sānē nōn nimium praemium prōmittis!"

clēmēns -entis ↔ sevērus

Aemilia autem marītō suō suādet ut clēmēns sit: "Nōlī Mēdum cruciāre, sī eum invēneris. Clēmēns estō, mī Iūlī! Centum sēstertiī haud magna pecūnia est, ut ait Orontēs, nec aliud quidquam surripuit Mēdus."

Iūlius: "An cēnsēs eum praemium meruisse quod manūs abstinuit ā gemmīs tuīs? Nimis clēmentēs sunt mulierēs: quam facile virīs nēquissimīs ignōscunt! At nostra melior est memoria!"

ignōscere (+ *dat*): alicui i. = maleficia alicuius oblīvīscī/nōn pūnīre

Aemilia: "Nōvistīne hoc dictum: 'Dominō sevērō tot esse hostēs quot servōs'? Servī enim dominum clēmentem amant, sevērum ōdērunt."

ōdisse (*perf*) ↔ amāre

Iūlius: "Servī mē metuunt quidem, nec vērō ōdērunt. Nec enim umquam sine causā servum pūnīvī. Sum do-

nec enim umquam = numquam enim

minus iūstus. Servus dominum iniūstum ōdit, iūstum et sevērum metuit, nōn ōdit. Nē servō quidem iniūriam facere oportet, sed necesse est servōs īnfīdōs aut fugitīvōs sevērē pūnīre, nec enim quidquam nisi poena sevēra eius generis servōs ā maleficiīs dēterrēre atque in officiō tenēre potest. Neque quisquam mē accūsābit sī servum meum cruciāverō aut interfēcerō, id enim est iūs dominī Rōmānī. Servum aliēnum necāre nōn licet, ut scrīptum est in lēgibus, nec vērō ūlla lēx dominum vetat servum suum improbum interficere."

Cornēlius: "Nec ūlla lēx id permittit. Nōn idem est permittere ac nōn vetāre. Solō, vir sapiēns et iūstus, quī Athēniēnsibus lēgēs scrīpsit, nūllam poenam statuit in parricīdās. Num ideō cēnsēs cīvī Athēniēnsī licuisse patrem suum necāre?"

Iūlius: "Ita sānē nōn cēnseō. At quamobrem Solō nūllam poenam in parricīdās statuit? Quia nēmō Athēniēnsis umquam post hominum memoriam patrem suum occīderat, nec ille vir sapientissimus arbitrābātur quemquam posteā tam inhūmānum scelus factūrum esse. At profectō aliud est patrem suum necāre, longē aliud servum scelestum capite pūnīre, illud enim turpissimum scelus, hoc supplicium iūstum est. Ōlim iūs erat patrī familiās nōn modo servōs, sed etiam līberōs suōs interficere. Eius reī exemplum memorātur Titus Mānlius Torquātus, quī fīlium suum cōram exercitū necārī iussit quia contrā imperium patris cum hoste pugnāve-

iūstus -a -um↔in-iūstus

in-iūria -ae *f* = factum iniūstum

nec enim quidquam = nihil enim
pūnīre < poena -ae *f*
eius generis servī = tālēs servī

iūs iūris *n* (↔ iniūria) = quod licet et iūstum est
lēx lēgis *f*

vetāre ↔ permittere

Solō -ōnis *m*
sapiēns -entis = prūdēns et doctus

parricīda -ae *m* = quī patrem suum occīdit
id-eō = ob eam rem

scelus -eris *n* = grave maleficium
scelestus -a -um < scelus

capite pūnīre = pūniendī causā interficere
supplicium -ī *n* = poena sevērissima, poena capitis (: vītae)

cōram *prp+abl:* c. aliquō = ante oculōs alicuius

crūdēlis -e = saevus atque inhūmānus

rat! Sānē pater crūdēlis fuit Mānlius, sed illō suppliciō sevērissimō cēterī mīlitēs dēterrēbantur nē officium dē- 125
sererent."

vetus -eris = antīquus

Aemilia: "Nōtum est veterēs Rōmānōs etiam ergā līberōs suōs crūdēlēs fuisse, nec vērō quisquam hodiē exemplum sūmit ab illō patre crūdēlissimō."

Orontēs: "At etiam nunc patrī licet īnfantem suum 130

in-validus -a -um

invalidum in montibus expōnere."

necandus/pūniendus -a -um: vir necandus/pūniendus est = virum necārī/pūnīrī oportet

Aemilia: "Pater quī īnfantem exposuit ipse necandus *III*
est! Nōnne tālis pater tibi vidētur cruce dignus esse?"

Iūlius: "Certē pater tam inhūmānus sevērē pūniendus est, namque īnfantēs invalidōs expōnere est mōs 135

nam-que = nam
mōs mōris *m* = id quod fierī solet

antīquus atque crūdēlis. Aliī nunc sunt mōrēs. Vērum

crucī : in cruce

hominem līberum crucī fīgere nōn est mōs Rōmānōrum; id supplicium in servōs statūtum est."

dēbilis -e ↔ validus

Aemilia: "Ergō quī īnfantem suum dēbilem ad ferās expōnī iussit, ipse ad bēstiās mittendus est cum aliīs 140
hominibus scelestīs!"

Chrīstiānus -a -um < Chrīstus; *m pl* quī Chrīstum adōrant

Orontēs: "...et cum Chrīstiānīs istīs quī quendam hominem Iūdaeum tamquam novum deum adōrant, deōs veterēs Rōmānōs dērīdent. In convīviīs suīs sanguinem hūmānum bibere solent, ut rūmor est." 145

Aemilia: "Nōn omnēs vērī sunt rūmōrēs quī afferuntur super Chrīstiānīs."

super + *abl* = dē

Fabia: "Nec omnēs īnfantēs expositī pereunt. Aliī in silvīs ab ipsīs ferīs aluntur, aliī inveniuntur ā pāstōribus, quī eōs cum līberīs suīs ēducant." 150

ēducāre=(līberōs) alere, cūrāre, docēre

Orontēs: "Sīcut Paris, rēgis Priamī fīlius dēbilis, quī ā servō rēgis fīdō in quōdam monte prope urbem Trōiam expositus..."

At Cornēlius "Opus nōn est" inquit "vetus exemplum Graecum afferre, cum complūres fābulae nārrentur dē Rōmānīs puerīs quī ita servātī sunt. Cēterum fābulam male intellēxistī, nec enim dēbilis fuit Paris nec fīdus servus Priamī, nam rēx eī imperāverat ut Paridem interficeret, et quidquid dominus imperāvit, servō faciendum est."

Orontēs: "Ille servus nōn pūniendus, sed potius laudandus fuit: namque ita Paridem servāvit — eum quī posteā Helenam, fēminam omnium pulcherrimam, ā marītō Menelāō abdūxit."

Paula: "Num tantam iniūriam laudandam esse cēnsēs?"

Orontēs: "Quod Venus suādet iniūria nōn est! Sānē laudandus est ille iuvenis quī nōn modo fēminam illam pulcherrimam abdūcere ausus est, sed etiam mīles fortissimus fuit quī et multōs aliōs hostēs et ipsum Achillem occīdit." Hīc pōculum tollit Orontēs et exclāmat: "Vīvat fortissimus quisque! Vīvant omnēs fēminae amandae! Gaudeāmus atque amēmus! Iuvenēs sumus ut Paris, nōn senēs ut Priamus, rēx Trōiānōrum, aut Nestor, dux Graecōrum senex, quī ad nōnāgēsimum annum vīxit. Quisquis fēminās amat, pōculum tollat et bibat mēcum! Nunc merum bibendum est!"

Paris -idis *m*
Priamus -ī *m*: rēx Trōiae

vetus *m/f/n* (*nōm sg*):
liber vet*us*
fābula vet*us*
vīnum vet*us*

intellegere -lēxisse -lēctum

servō (*dat*) : ā servō

Menelāus -ī *m*: rēx Spartae
ab-dūcere

audēre ausum esse

fortissimus quisque = omnēs virī fortēs

senex senis *m* = vir annōrum plūs quam LX
Nestor -oris *m*
nōnāgēsimus -a -um = XC (90.)
quis-quis = omnis homō quī

nimium = nimis multum

bibere bibisse

alterum tantum = bis tantum

funditus *(adv)* = ā fundō

ab ōvō ūsque ad māla = ab initiō cēnae ūsque ad fīnem

fābulārī = loquī

ēbrius -a -um = quī nimium vīnī pōtāvit

per-īre, *coni* -eat

bis tantō = bis tantō magis

nūgae -ārum *f pl* = rēs stultae

negat 'sē esse' = dīcit 'sē nōn esse'

falsus = quī fallit, fallāx

Cornēlius: "Tacendum est, nōn bibendum! Iam nimium bibistī. Cēnseō tē ūnum tantum vīnī bibisse quantum nōs omnēs, vel potius alterum tantum!"

Orontēs: "Vōs igitur parum bibistis. Numquam nimium huius vīnī bibere possum. Valeat quisquis vīnum bonum amat! Vīvat Bacchus, deus vīnī! Vīvāmus omnēs et bibāmus! Pōcula funditus exhauriāmus!"

Paula: "Iam tacē! Satis est. Nōnne tē pudet ita ab ōvō ūsque ad māla fābulārī? Sānē pudendum est!"

Orontēs autem, simul atque pōculum suum funditus exhausit, ā Paulā ad Aemiliam versus "Omnēs m-mē interpellant" inquit, "praeter t-tē Aemilia. Tū t-tam p-pulchra es quam Helena..."

Aemilia: "...et tū tam rūsticus quam Paris, quī inter rudēs pāstōrēs ēducātus erat! Numquam mōrēs urbānōs didicistī, rūstice! Nimium pōtāvistī, ēbrius es. Abstinē manum ā mē!"

Orontēs iterum pōculum tollēns haec cantat:

"Quisquis amat valeat! Pereat quī nescit amāre!
Bis tantō pereat quisquis amāre vetat!"

Aemilia: "Nōlumus istās nūgās audīre. Ēbrius es!"

Orontēs negat 'sē esse ēbrium' atque in lectō surgēns aliud carmen super fēminā falsā et īnfīdā cantāre incipit, sed priusquam fīnem facit, sub mēnsam lābitur!

Duo servī eum ē triclīniō auferunt atque in cubiculō pōnunt. Tum vestem super eum iam dormientem sternunt.



[QVIS]QVIS AMAT VALEAT PEREAT QVI
NESCIT AMARE BIS TANTO PEREAT
QVISQVIS AMARE VETAT

Haec īnscrīptiō inventa est Pompēiīs in oppidō Campāniae (item imāgō canis in pāg. 172 et labyrinthī in pāg. 196 et palmae in pāg. 285)

īnscrīptiō -ōnis *f* = quod īnscrīptum est

GRAMMATICA LATINA

Gerundīvum

Vir laud*andus*. Fēmina laud*anda*. Factum laud*andum*.

laud*and*|*us -a -um*

'Laud*andus -a -um*' gerundīvum appellātur. Gerundīvum est adiectīvum dēclīnātiōnis I/II. Cum verbō *esse* coniūnctum gerundīvum significat id quod fierī oportet; is ā quō aliquid fierī oportet apud gerundīvum significātur *datīvō*.

Exempla:

Discipulus industrius magistrō laud*andus* est. Discipulus piger reprehend*endus* et pūni*endus* est. Tac*endum* est.

magistrō (*dat*) = ā magistrō

Lingua Latīna *vōbīs* disc*enda* est. Vocābula dīligenter scrīb*enda* sunt. Omnia menda corrig*enda* sunt: add*endae* sunt litterae quae dēsunt, quae supersunt stilō versō dēl*endae* sunt. Quidquid magister imperāvit discipulō faci*endum* est.

[1] lauda|*nd*|*us*

[2] dēle|*nd*|*us*

[3] scrīb|*end*|*us*

[4] pūni|*end*|*us*

Dominus dīcit 'ovēs bene cūr*andās* esse.'

Vocābula nova:
pōtiō
rūmor
memoria
mūnus
fidēs
crux
iuvenis
praemium
poena
iūs
lēx
parricīda
scelus
supplicium
mōs

PENSVM A

In hīs exemplīs syllabae quae dēsunt add– sunt:

Mercēs ad diem solv– est. Quī fūrtum fēcit pūn– est. Quidquid dux imperāvit mīlitibus faci– est. Quid magis opt– est quam vīta beāta? Ē malīs minimum ēlig– est. In perīculīs dēspēr– nōn est. Pater dīcit 'fīlium pūn– esse, nōn laud–.'

Verba: tangere –isse –um; accipere –isse –um; auferre –isse –um; statuere –isse –um; intellegere –isse –um; bibere –isse; audēre –um esse.

In exemplīs quae sequuntur vocābula add– sunt.

iniūria
senex
nūgae
praesēns
avārus
impatiēns
īnfēlīx
asinīnus
fīdus
īnfīdus
fugitīvus
nimius
clēmēns
iūstus
iniūstus
sapiēns
scelestus
crūdēlis
vetus
invalidus
dēbilis
ēbrius
nōnāgēsimus
optāre
interpellāre
aufugere
auferre
fīdere
cōnfīdere
cruciāre
latēre
retrahere
statuere
ignōscere
ōdisse
vetāre
ēducāre
abdūcere
fābulārī
quidquid
quisquis
quantum
aliquantum
nimium
quamobrem
ideō
funditus
priusquam
namque
cōram

PENSVM B

Herī Mēdus ā dominō — aliquantum pecūniae sēcum —. Mēdus dominum suum nōn amat, sed —. Iūlius, quī eum Rōmae — [= occultārī] putat, magnum praemium dabit eī quī eum invēnerit — [= antequam] Italiam relīquerit. Iūlius dīcit 'mulierēs nimis — esse ac facile virīs nēquissimīs —.' — dominus imperāvit servō faciendum est. Solō, vir —, Athēniēnsibus — optimās scrīpsit. Patrem suum necāre — inhūmānum est. Iūlius nōndum — est ut Nestor, sed adhūc — ut Paris ille quī Helenam ā marītō —. "— amat valeat!" cantat Orontēs, quī — est quod — [= nimis multum] vīnī pōtāvit.

PENSVM C

Quis fuit Midās?
Quamobrem Midās fame et sitī cruciābātur?
Cūr Iūlius illam fābulam audīre nōn vult?
Ubi Cornēlius servum Iūliī vīdit?
Quantum pecūniae Mēdus sēcum abstulit?
Estne Mēdus adhūc Rōmae?
Quid faciet Iūlius sī Mēdum invēnerit?
Quōmodo hominēs ā maleficiīs dēterrentur?
Quam fēminam Paris abdūxit?
Quī hominēs ad bēstiās mittuntur?
Cūr Orontēs pedibus stāre nōn potest?



nāvēs longae

CLASSIS ROMANA

Ōlim cūncta maria tam īnfēsta erant praedōnibus ut nēmō nāvigāret sine māximō perīculō mortis aut servitūtis. Multī nautae et mercātōrēs, mercibus ēreptīs nāvibusque submersīs, ā praedōnibus aut interficiēbantur aut in servitūtem abdūcēbantur. Iī sōlī quī magnam pecūniam solvere potuerant servitūte līberābantur. Ipse Gāius Iūlius Caesar, cum adulēscēns ex Italiā Rhodum nāvigāret, ā praedōnibus captus est nec prius līberātus quam ingēns pretium solvit.

Nec sōlum nautae, sed etiam incolae ōrae maritimae īnsulārumque in metū erant. Nōnnūllae īnsulae ab incolīs dēsertae erant, multa oppida maritima ā praedōnibus capta. Tanta enim erat vīs et audācia eōrum, ut vim Rōmānōrum contemnentēs etiam portūs Italiae oppugnārent.

cūnctus -a -um = omnis, tōtus; *pl* = omnēs
īnfēstus -a -um: (locus) īnfēstus ↔ tūtus
servitūs -ūtis *f* (<servus) ↔ lībertās

sub-mergere = mergere (sub aquam)

līberāre + *abl* = l. ab/ex

incola -ae *m/f* = quī/quae incolit

(oppidum) capere = expugnāre
vīs *f*, *acc* vim, *abl* vī = potestās
audācia -ae *f* < audāx
contemnere = parvī aestimāre, nōn timēre

Quoniam igitur propter vim atque multitūdinem praedōnum nē mare Tūscum quidem tūtum erat, parum frūmentī ex Siciliā et ex Āfricā Rōmam advehēbātur. Ita māxima inopia frūmentī facta est, quam ob rem pretium frūmentī semper crēscēbat. Postrēmō, cum iam tam cārum esset frūmentum ac pānis ut multī pauperēs inopiā cibī necessāriī perīrent, populus Rōmānus ūnō ōre postulāvit ut ūniversa classis Rōmāna adversus hostēs illōs audācissimōs mitterētur. Ergō Gnaeus Pompēius, dux ēgregius, classī praepositus est. Quī prīmum ē marī Tūscō, quod mare proximum Rōmae est, et ex Siciliā, īnsulā Italiae proximā, praedōnēs pepulit, tum eōs in Āfricam persecūtus est. Dēnique, aliquot nāvibus in Hispāniam missīs, ipse cum classe in Asiam profectus praedōnēs quōs ibi invēnit brevī tempore omnēs vīcit. Hāc victōriā ēgregiā omnēs gentēs, ab Hispānīs ūsque ad Aegyptiōs Iūdaeōsque, commūnī perīculō līberātae sunt. Simul atque grātus nūntius dē eā victōriā grātissimā Rōmam pervēnit, pretium frūmentī minuī coeptum est; victīs enim praedōnibus, nautae sine metū per maria, quae omnium gentium commūnia sunt, nāvigābant. Rōmae igitur ex summā inopiā repente māxima frūmentī cōpia facta est ac pānis tam vīlis fuit quam anteā fuerat — id quod populō Rōmānō grātissimum fuit. Pompēium victōrem cūnctus populus Rōmānus summīs laudibus affēcit.

Ex eō tempore rārō fit ut nāvis praedōnum in marī

mare Tūscum = mare Īnferum

in-opia -ae *f* ↔ cōpia

crēscere = augērī

cārus -a -um = magnī pretiī
populus -ī *m* = cūnctī cīvēs
classis -is *f* = nāvium numerus
adversus = contrā
ēgregius -a -um = melior cēterīs, optimus
prae-pōnere (+ *dat*)
proximus -a -um *sup* (*comp* propior -ius) < prope; + *dat:* p. Rōmae

ali-quot *indēcl* = complūrēs (nesciō quot)

vincere vīcisse victum
victōria -ae *f* < vincere
gēns gentis *f*
Aegyptiī -ōrum *m pl*
commūnis -e = nōn ūnīus sed omnium
grātus -a -um = quī placet, optātus
nūntius = quod nūntiātur
minuī coeptum est = minuī coepit

summus : māximus

vīlis -e ↔ cārus

victor -ōris *m* = quī vīcit

fit = accidit

Internō appāreat, nam classēs Rōmānae, quae cūncta maria percurrunt, nāvēs mercātōriās atque ōram maritimam dīligenter tuentur. Mare Internum iterum 'nostrum mare' iūre appellātur ā Rōmānīs. Neque tamen classis Rōmāna omnēs nautās quī ubīque nāvigant tuērī potest. Adhūc supersunt aliquot praedōnēs maritimī, quī tantā audāciā sunt ut nē armīs quidem Rōmānōrum dēterreantur.

internus -a -um < intrā;
mare I.um (intrā fretum ōceanī) = mare nostrum
per-currere
mercātōrius -a -um < mercātor
tuērī = tūtum facere, cūstōdīre
iūre : rēctē, vērē
ubī-que = omnī locō

super-esse = reliquus esse
tantā audāciā esse = tam audāx esse

Amīcī nostrī in marī Tūscō nāvigantēs tālēs praedōnēs audācissimōs nāvem suam persequī arbitrantur. Cūnctī perturbātī sunt. Etsī nautae omnibus vīribus rēmigant, tamen illa nāvis, ventō secundō adiuvante, magis magisque appropinquat.

vīrēs -ium *f pl* < vīs
rēmigāre = nāvem rēmīs agere
ad-iuvāre = iuvāre

Caelum nūbilum suspiciēns gubernātor optat ut ventus in adversum vertātur. Is enim nautās suōs tam validōs esse crēdit ut nūlla alia nāvis rēmīs sōlīs ācta nāvem suam cōnsequī possit.

nūbilus -a -um ↔ serēnus
adversus -a -um: (ventus) a. ↔ secundus
agere ēgisse āctum

II Intereā Lȳdia genua flectit et Deum precātur ut sē adiuvet: "Pater noster quī es in caelīs! Fīat voluntās tua! Sed līberā nōs ā malō!"

inter-eā = interim
flectere -xisse -xum
voluntās -ātis *f* < velle; v. tua = quod tū vīs
[*Matth. 6.9,10,13*]

Mēdus autem gladium brevem, quem adhūc sub veste occultāvit, ēdūcit et "Equidem" inquit "nōn inermis occīdar. Sī praedōnēs mē armīs petīverint, omnibus vīribus repugnābō! Fortēs fortūna adiuvat, ut āiunt."

ē-dūcere
in-ermis -e ↔ armātus

re-pugnāre = contrā pugnāre

[*Matth. 26.52*]

Tum vērō Lȳdia "Converte gladium tuum" inquit "in locum suum! Omnēs enim quī cēperint gladium, gladiō perībunt, ut ait Chrīstus."

"Sed tē quoque" inquit Mēdus "gladiō meō dēfendam. Nōlō tē ā praedōnibus occīdī spectāre inermis. Dōnec ego vīvam, nēmō tibi nocēbit!"

dōnec = dum, tam diū quam

Sed Lȳdia, quae Mēdum ut fūrem contemnit, "Nōn ā tē" inquit, "sed ā Deō auxilium petō. Is sōlus nōs tuērī potest."

ab aliquō petere = aliquem rogāre

Item gubernātor multīs verbīs Mēdō dissuādēre cōnātur nē gladium ēdūcat neu praedōnibus vī et armīs resistat: "Quid opus est armīs? Tanta est vīs praedōnum ut nūllō modō iīs resistere possīmus. Neque praedōnēs nautās inermēs occīdunt, cum eōs magnō pretiō servōs vēndere possint."

dis-suādēre ↔ persuādēre
neu = nē-ve
re-sistere (+ *dat*) = repugnāre
opus esse + *abl*

Mēdus: "Iamne oblītus es quid modo dīxeris? Dīxistī enim 'tē mortem servitūtī praeferre'."

prae-ferre: mortem servitūtī p. = morī mālle quam servīre

Gubernātor: "Haud sciō an ego ita dīxerim, sed profectō lībertās mihi vītā cārior est. Nihil lībertātī praeferō. Quam ob rem omnem pecūniam meam praedōnibus dabō, sī lībertātem mihi reddent. Hanc grātiam sōlam ab iīs petam."

haud sciō an dīxerim = fortasse dīxī
cārus = quī dīligitur

Mēdus: "Certē praedōnēs pecūniam tibi ēripient, sed fēlīx eris sī pecūniae grātiā vītae tuae parcent."

grātia -ae *f* = rēs grāta, beneficium

Gubernātor: "Sī necesse erit, decem mīlia sēstertium praedōnibus offerre possum. Quod ipse nōn possideō amīcī meī prō mē solvent."

pecūniae grātiā = ob grātiam pecūniae, pecūniae causā
sēstertium = sēstertiōrum
of-ferre ob-tulisse oblātum = sē datūrum esse dīcere/ostendere

Mēdus: "Ergō nūlla spēs est mihi, quī nec ipse pecūniam habeō nec amīcum tam pecūniōsum, ut mē ē servitūte redimere possit aut velit."

red-imere -ēmisse -ēmptum <red- + emere

Tum mercātor "Mihi quidem" inquit "multī sunt amīcī pecūniōsī, sed valdē dubitō num pecūniā suā mē redimere velint. Fortūnā adversā amīcīs fīdendum nōn est! Namque amīcī, quōs in rēbus secundīs multōs habēre vidēmur, temporibus adversīs nōbīs dēsunt. Duōs versūs reminīscor ē carmine quod dē hāc rē scrīpsit poēta quīdam:

Dōnec eris fēlīx, multōs numerābis amīcōs.
Tempora sī fuerint nūbila, sōlus eris!"

Gubernātor: "Nesciō quī poēta ista scrīpserit. Tūne nōmen eius meministī?"

Mercātor: "Illōs versūs scrīpsit Ovidius, poēta ēgregius, nisi memoria mē fallit. Quī ipse, cum fortūnā adversā premerētur, ab amīcīs suīs dēsertus erat."

Gubernātor: "Nōn vērum est quod dīxit Ovidius. Nam etsī rāra est vēra amīcitia ac fidēs, nōn omnēs amīcī sunt falsī seu īnfīdī. Multō melius Ennius poēta:

Amīcus certus in rē incertā cernitur.

Certus ac vērus amīcus est quī numquam amīcō suō deest seu secunda seu adversa fortūna est. Mihi vērō multī sunt tālēs amīcī, quī semper mihi aderunt in rēbus adversīs, seu pecūniā seu aliā rē mihi opus erit. Ipse enim saepe amīcīs meīs affuī, nēmō amīcus umquam frūstrā auxilium ā mē petīvit. Ergō omnēs mihi grātī sunt prō beneficiīs."

Mercātor: "Aliud est grātiam habēre, aliud grātiam referre. Nōn omnēs quī tibi prō beneficiīs grātiās agunt,

velle, *coni praes*:
velim velīmus
velīs velītis
velit velint
adversa fortūna = mala fortuna

de-esse (+*dat*) = auxilium nōn ferre
re-minīscī ↔ oblīvīscī

poēta -ae *m/f* = quī/quae carmina scrībit
(multōs) numerāre: habēre
nūbila : adversa
[*Ovidius: Trīstia I.9.5-6*]

meminisse (*perf*) = memoriā tenēre (↔ oblītus esse)

premere : malā rē afficere

amīcitia -ae *f* < amīcus
fidēs = animus fīdus
seu = sīve

(amīcus) certus : fīdus

ad-esse (+ *dat*) = auxilium ferre (↔ deesse)

ad-esse af-fuisse (< ad-fuisse)
mihi grātus = quī mihi bene vult prō beneficiō; g. esse = grātiam (: animum grātum) habēre
grātiam re-ferre = g.am prō grātiā reddere
grātiās agere = dīcere 'sē grātiam habēre'

ipsī posteā, sī opus fuerit, grātiam tibi referent. Facile est grātiās agere prō beneficiīs, nec vērō quidquam difficilius esse vidētur quam beneficiōrum meminisse."

meminisse + *gen/acc:* m. hominis, m. *reī/rem*

Gubernātor: "Sed ego ipse soleō amīcīs meīs grātiam referre. Numquam beneficiī oblītus sum, semper pecūniam acceptam reddidī."

Hīc Mēdus "Ergō" inquit "melior es amīcus quam ille quem ego aliquandō ē servitūte redēmī." *III*

ali-quandō = aliquō tempore (nesciō quandō)

Gubernātor: "Mīror unde pecūniam sūmpseris ut aliōs redimerēs, cum tē ipse redimere nōn possīs."

Lȳdia: "Ego mīror cūr id mihi nōn nārrāveris."

nē quis = nē aliquis, nē quisquam

Mēdus: "Nihil cuiquam nārrāvī dē eā rē, nē quis mē glōriōsum exīstimāret. Sed quoniam omnēs mē quasi servum scelestum contemnitis, nārrābō vōbīs breviter quōmodo amīcum ē servitūte redēmerim atque ipse ob eam grātiam servus factus sim:

"Cum homō līber Athēnīs vīverem, ā quōdam amīcō epistulam accēpī quā ille mihi nūntiāvit 'sē ā pīrātīs captum esse' ac mē per amīcitiam nostram ōrāvit ut sē ē servitūte redimerem magnum pretium solvendō. Cum autem tantum pecūniae nōn habērem, necesse fuit pecūniam mūtuam sūmere. Ergō virum dīvitem adiī, quī mihi omnem pecūniam mūtuam dedit hāc condiciōne, ut annō post ad certam diem omnia sibi redderentur. Pecūniā solūtā, amīcus meus ā pīrātīs līberātus grātiās mihi ēgit prō beneficiō, ac simul mihi prōmīsit 'sē intrā annum omnem pecūniam redditūrum esse' — sed annō

pīrāta -ae *m* = praedō maritimus

mūtuus -a -um: pecūnia mūtua = pecūnia quae reddenda est

condiciō -ōnis *f* = lēx inter duōs statūta

diēs *f* = tempus statūtum

post nē assem quidem ab eō accēperam! Diē ad solvendum cōnstitūtā, cum pecūniam dēbitam solvere nōn possem, homō ille dīves mē in carcerem mīsit et aliquot diēbus post servum vēndidit. — Sed nesciō cūr hoc vōbīs nārrāverim, nec enim sine māximō dolōre eius temporis reminīscor cum in patriā līber inter cīvēs līberōs versārer. Utinam aliquandō līber patriam videam! Sed frūstrā hoc optō, nam iam illī pīrātae eam spem mihi ēripient, idque eōdem diē quō ab amīcā meā dēsertus sum!" Hoc dīcēns Mēdus ānulum quem Lȳdia abicere voluit prae sē fert.

cōn-stituere = statuere

reminīscī + *gen/acc:* r. hominis, r. reī/rem
utinam (+ *coni*) = optō ut

prae sē ferre = ante sē tenēre, ostendere

Gubernātor: "Nē dēspērāveris! Fortasse ānulō istō aureō tē redimere poteris. Namque avārī atque aurī cupidī sunt omnēs pīrātae. Magna est vīs aurī."

nē dēspērāveris! = nōlī dēspērāre!

Mēdus ānulum parvum aspiciēns "Putāsne" inquit "mē tam parvī aestimārī ā pīrātīs?"

Gubernātor: "Nōn omnēs hominēs parī pretiō aestimantur. Scīsne quantum pīrātae ā Iūliō Caesare captō postulāverint? Vīgintī talenta postulāvērunt, id est prope quīngenta mīlia sēstertium. At Caesar, vir superbus, cum id parum esse cēnsēret, quīnquāgintā talenta pīrātīs obtulit, simul vērō supplicium iīs mināt us est! Tum praedōnibus quasi servīs suīs imperāvit ut tacērent neu somnum suum turbārent — ita Caesar praedōnēs contemnēbat, cum in eōrum potestāte esset. Ubi prīmum redēmptus est, ipse nāvēs armāvit et captōs praedōnēs in crucem tollī iussit."

talentum -ī *n* (pecūnia Graeca) = XXIV mīlia sēstertium
superbus -a -um = quī aliōs contemnit

minārī (+ *dat*) = poenam prōmittere

cum... esset : quamquam ... erat
ubi prīmum + *perf* = cum prīmum
armāre = armīs parāre

Mēdus: "Nōn sum tam superbus ut mē cum Caesare comparandum esse putem. Utinam nē pīrātae mē ut servum fugitīvum occīdant! Vērum hōc ānulō sī quis servārī potest, nōn ego, sed amīca mea servanda est. Ecce ānulum reddō tibi, Lȳdia. Nē eum abiēceris! Utinam ille ānulus vītam tuam servet!"

utinam nē = optō nē

nē abiēceris! = nōlī abicere!

Lȳdia ānulum oblātum accipit et "Grātiās tibi agō" inquit, "sed quōmodo tua vīta servābitur?"

"Id nōn cūrō" inquit Mēdus, "nec enim mortem metuō, sī tē salvam esse sciō."

Tum Lȳdia "Ō Mēde!" inquit, "Nunc dēmum intellegō mē tibi vītā cāriōrem esse. Ignōsce mihi quod tē accūsāvī! Omnia meā grātiā fēcistī. Quōmodo tibi grātiam referam?"

meā grātiā = meā causā

Mēdus: "Nihil rogō, nisi ut mē amēs ita ut mē amābās. Hōc nihil grātius mihi fierī potest."

hōc nihil grātius = nihil grātius quam hoc

Lȳdia nihil respondet, sed Mēdum complectitur atque ōsculātur. Quid verbīs opus est?

Intereā gubernātor in mare prōspicit et "Quid hoc?" inquit, "Aliae nāvēs illam sequuntur. Tot nāvēs praedōnēs nōn habent. Nāvēs longae sunt, quae mare percurrunt, ut nōs ā pīrātīs tueantur. Nē timueritis, amīcī!"

nāvis longa = nāvis armāta (ē classe Rōmānā)

nē timueritis! = nōlīte timēre!

Mercātor: "Sed cūr illae nōs persequuntur?"

Gubernātor: "Quia tamquam praedōnēs ab iīs fugimus. Rēmōs tollite, nautae!"

dē-sistere = dēsinere

tollere sus-tulisse sub-lātum

Nautae statim rēmigāre dēsistunt ac rēmīs sublātīs nāvēs longās salūtant. Classis celeriter appropinquat.

Iam mīlitēs armātī in nāve proximā cernuntur. Lȳdia magnā cum laetitiā classem appropinquantem spectat, sed Mēdus etiamnunc perterritus esse vidētur.

etiam-nunc = adhūc

"Nōnne laetāris, Mēde" inquit Lȳdia, "quod nōs omnēs ē commūnī perīculō servātī sumus?"

Mēdus: "Laetor sānē quod vōs servātī estis; sed ego mīlitēs aequē timeō atque pīrātās. Nē oblīta sīs mē servum fugitīvum esse. Timeō nē mīlitēs mē captum Rōmam abdūcant, ut cōram populō ad bēstiās mittar in amphitheātrō. Hoc dominus mihi minārī solēbat."

nē oblīta sīs! = nōlī oblīvīscī!

amphitheātrum -ī *n*

"Nē timueris!" inquit Lȳdia, "Mīlitēs ignōrant quī homō sīs et quid anteā fēceris. Iam nēmō nōs prohibēbit simul in patriam nostram commūnem redīre."

nē timueris! = nōlī timēre!

Intereā nāvēs longae tam prope vēnērunt ut mīlitēs cognōscant nāvem mercātōriam esse. Itaque persequī dēsistunt atque cursum ad orientem flectunt. Brevī cūncta classis ē cōnspectū abit.

cursus -ūs *m* < currere

— Hīc amīcōs nostrōs in mediō cursū relinquimus. Utinam salvī in Graeciam perveniant! Omnia bona iīs optāmus.



amphitheātrum

GRAMMATICA LATINA 225

Coniūnctīvus

Tempus perfectum

[A] Āctīvum.

laudā*verit*

Iūlius dubitat num magister Mārcum laudā*verit*.

'Laudā*verit*' est coniūnctīvus temporis praeteritī perfectī. Coniūnctīvus perfectī dēsinit in *-erit* (pers. III sing.), quod ad īnfīnītīvum perfectī sine *-isse* adicitur.

-erit

Exempla: [1] recitāv|*erit;* [2] pāru|*erit;* [3] scrīps|*erit;* [4] audīv|*erit*.

[1] recitāv|eri|m
recitāv|eri|s
recitāv|eri|t
recitāv|eri|mus
recitāv|eri|tis
recitāv|eri|nt
[2] pāru|eri|m
pāru|eri|s
pāru|eri|t
pāru|eri|mus
pāru|eri|tis
pāru|eri|nt
[3] scrīps|eri|m
scrīps|eri|s
scrīps|eri|t
scrīps|eri|mus
scrīps|eri|tis
scrīps|eri|nt
[4] audīv|eri|m
audīv|eri|s
audīv|eri|t
audīv|eri|mus
audīv|eri|tis
audīv|eri|nt
fu|eri|m *fu|eri|mus*
fu|eri|s *fu|eri|tis*
fu|eri|t *fu|eri|nt*

Pater fīlium interrogat 'num bonus discipulus *fuerit:* num magistrō pār*uerit*, attentē audīv*erit*, rēctē scrīp*serit* et pulchrē recitā*verit*.'

Pater: "Audīsne? Interrogō tē 'num bonus discipulus *fueris*, num magistrō pār*ueris*, attentē audīv*eris*, rēctē scrīp*seris* et pulchrē recitā*veris*'." Fīlius: "Iam tibi dīxī 'mē industrium fuisse.' Quārē igitur mē interrogās 'num bonus discipulus *fuerim*, num magistrō pār*uerim*, attentē audīv*erim*, rēctē scrīp*serim* et pulchrē recitā*verim*'? Crēde mihi! Nē dubitā*veris* dē verbīs meīs!"

Parentēs fīliōs interrogant 'num bonī discipulī *fuerint:* num magistrō pār*uerint*, attentē audīv*erint*, rēctē scrīp*serint* et pulchrē recitā*verint*.'

Parentēs: "Audītisne? Interrogāmus vōs 'num bonī discipulī *fueritis*, num magistrō pār*ueritis*, attentē audīv*eritis*, rēctē scrīp*seritis* et pulchrē recitā*veritis*'." Fīliī: "Iam vōbīs dīximus 'nōs industriōs fuisse.' Quārē igitur nōs interrogātis 'num bonī discipulī *fuerimus*, num magistrō pār*uerimus*, attentē audīv*erimus*, rēctē scrīp*serimus* et pulchrē recitā*verimus*'? Crēdite nōbīs! Nē dubitā*veritis* dē verbīs nostrīs!"

nē dubitā*veris!* = nōlī dubitāre!
nē dubitā*veritis!* = nōlīte dubitāre!

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	-erim	-erimus
Persōna secunda	-eris	-eritis
Persōna tertia	-erit	-erint

-eri|m *-eri|mus*
-eri|s *-eri|tis*
-eri|t *-eri|nt*

[B] Passīvum.

Pater dubitat num fīlius ā magistrō laud*ātus sit*.

Pater: "Tūne ā magistrō laudātus es?" Fīlius: "Nesciō num laud*ātus sim!*" Pater: "Quōmodo nescīs num laud*ātus sīs* ā magistrō?" Fīlius: "Nesciō quid ab eō dic*tum sit*, nam in lūdō dormīvī!"

Pater dubitat num fīliī ā magistrō laud*ātī sint*.

Pater: "Vōsne ā magistrō laudātī estis?" Fīliī: "Nescīmus num laud*ātī sīmus!*" Pater: "Quōmodo nescītis num laud*ātī sītis?*" Fīliī: "Nescīmus quid magister dīxerit, nam in lūdō dormīvimus!"

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	laudā*tus sim*	laudā*tī sīmus*
Persōna secunda	laudā*tus sīs*	laudā*tī sītis*
Persōna tertia	laudā*tus sit*	laudā*tī sint*

laudāt|*us sim*
laudāt|*us sīs*
laudāt|*us sit*
laudāt|*ī sīmus*
laudāt|*ī sītis*
laudāt|*ī sint*

-tus	*sim*	*-tī*	*sīmus*
-ta	*sīs*	*-tae*	*sītis*
	sit		*sint*
-tum sit		*-ta sint*	

PENSVM A

Dominus dubitat num pāstor ovēs bene cūrāv–. Dominus: "Dīc mihi, pāstor, utrum in campō dormīv– an vigilāv–." Pāstor: "Mīror cūr mē interrogēs utrum dormīv– an vigilāv–. Semper officium meum faciō." Dominus: "Ergō dīc mihi cūr herī ovis ē grege aberrāv– ac paene ā lupō capta s–." Pāstor mīrātur unde dominus hoc audīv–.

Iūlius servōs interrogat num Mēdum vīd–. Servī: "Nescīmus quō fūg–, ut tibi dīximus. Cūr nōs interrogās num eum vīd–?" Iūlius: "Id interrogō, quia dubitō vērumne dīx–!"

Verba: vincere –isse –um; agere –isse –um; flectere –isse –um; offerre –isse –um; redimere –isse –um; tollere –isse –um; adesse –isse.

PENSVM B

Priusquam Pompēius, dux — [= optimus], — Rōmānae praepositus est, — [= omnia] maria — erant praedōnibus, quī Rōmānōs ita — ut etiam portūs Italiae oppugnārent. Tanta erat — praedōnum ut nēmō iīs — posset. Nēmō sine metū

Vocābula nova:
servitūs
incola
vīs
vīrēs
audācia
inopia
populus
classis
victōria
gēns
victor
vīrēs
voluntās
grātia
poēta
amīcitia
pīrāta
condiciō
talentum
amphitheātrum
cursus
cūnctus
īnfēstus
cārus
ēgregius
proximus
commūnis

grātus
vīlis
internus
mercātōrius
nūbilus
adversus
inermis
mūtuus
superbus
submergere
contemnere
praepōnere
percurrere
tuērī
rēmigāre
adiuvāre
flectere
ēdūcere
repugnāre
dissuādēre
praeferre
offerre
redimere
reminīscī
meminisse
referre
minārī
armāre
dēsistere
aliquot
ubīque
aliquandō
intereā
etiamnunc
dōnec
neu
seu
utinam

mortis aut — nāvigābat. — [= complūrēs] īnsulae ab — relinquēbantur. Rōmae frūmentum tam — erat ut multī pauperēs fame (= — cibī) perīrent.

Pīrātae, quī — [= aliquō tempore] Caesarem cēperant, XX talenta — [= sīve] D mīlia sēstertium ab eō postulāvērunt, sed Caesar, vir —, L talenta iīs —. Tantō pretiō Caesar — est.

Omnēs amīcī prō beneficiīs — agunt, sed paucī posteā — referre volunt. Vēra — rāra est. Difficile est beneficiōrum —. Fortēs fortūna —.

PENSVM C

Cūr Pompēius classī Rōmānae praepositus est?
Cūr amīcī nostrī ab alterā nāve fugiunt?
Utrum ventus secundus an adversus est?
Quantum gubernātor pīrātīs offerre potest?
Num ipse tantum pecūniae possidet?
Quandō vērus amīcus cognōscitur?
Quōmodo Mēdus servus factus est?
Cūr Mēdus adhūc nihil nārrāvit de eā rē?
Suntne praedōnēs quī eōs persequuntur?
Cūr Mēdus etiamnunc perterritus est?
Quō nāvēs longae cursum flectunt?

agmen -inis *n*

EXERCITVS ROMANVS

Exercitus Rōmānus ūniversus cōnstat ex legiōnibus duodētrīgintā, quae in dēnās cohortēs dīviduntur. In singulīs legiōnibus sunt sēna vel quīna vel quaterna mīlia mīlitum, quī omnēs cīvēs Rōmānī sunt. Praetereā magna auxilia exercituī adiunguntur. Auxilia sunt peditēs equitēsque ex prōvinciīs, quī arma leviōra, sīcut arcūs sagittāsque, ferunt. Legiōnāriī sunt peditēs scūtīs, gladiīs pīlīsque armātī.

legiō -ōnis *f*

cohors -rtis *f*
dēnī -ae -a = X et X...
sēnī -ae -a = VI et VI...
quīnī -ae -a = V et V...
quaternī -ae -a = IV et IV...
auxilia -ōrum *n pl*
ad-iungere = addere

legiōnārius -a -um < legiō; *m* = mīles l.

Signum legiōnis est aquila argentea, quae in itinere ante agmen fertur. In itinere cohortēs alia post aliam in longō ōrdine prōgrediuntur. Tālis ōrdō mīlitum prōgredientium dīcitur agmen. Cum agmen ad hostēs pervēnit, sī tempus et locus idōneus est ad pugnandum, cohortēs in trēs ōrdinēs īnstruuntur. Exercitus ita īnstrūctus aciēs appellātur. Ante proelium dux exercitūs mīlitēs suōs hortātur ut fortiter pugnent. Tum peditēs prō-

aquila

ōrdō -inis *m*
prō-gredī -ior = prōcēdere
idōneus -a -um = conveniēns
īnstruere -ūxisse -ūctum
aciēs -ēī *f*
proelium -ī *n* = pugna
exercituum
hortārī = monēre
prō-currere -currisse

mittere = iacere

caedere = pulsāre; (gladiō) c. = occīdere
imperātor -ōris *m* = quī imperat (titulus ducis)
circum-dare = cingere
(locum) mūnīre = vāllō /mūrō circumdare
suprā (*adv*): in cap. XII
com-memorāre = memorāre
aetās -ātis *f* = annī quōs aliquis vīxit
mīlitāris -e < mīles
puer VII annōs nātus = puer VII annōrum

velle, *coni imperf:*
vellem vellēmus
vellēs vellētis
vellet vellent

studēre (+ *dat*): litterīs s. = studiōsus esse litterārum (: legendī)
studium -ī *n* < studēre

cōgere co-ēgisse -āctum (< co- + agere) = vī persuādēre

stipendium -ī *n* = mercēs mīlitis; s. merēre = mīlitāre
prō ↔ contrā

virtūs -ūtis *f* < vir; (mīlitis) v. = animus fortis

pūblicus -a -um (< populus) ↔ prīvātus -a -um

(epistulam) dare = mittere
praecipuē = prae cēterīs rēbus, māximē

currunt et prīmum pīla in hostēs mittunt, deinde eōs gladiīs caedunt. Hostibus proeliō victīs, dux ā mīlitibus 'imperātor' salūtātur. Vesperī exercitus locō ad dēfendendum idōneō castra pōnit, quae vāllō et fossā circumdantur. Ita mūniuntur castra Rōmāna.

Aemilius, frāter Aemiliae minor, quem suprā commemorāvimus, ā prīmā aetāte studiōsus fuit reī mīlitāris. Iam puer septem annōs nātus gladiōs ligneōs et arcūs sagittāsque sibi faciēbat, ut cum aliīs puerīs eiusdem aetātis proelia lūderet. Septendecim annōs nātus ā patre interrogātus 'quid tum discere vellet?' fīlius statim respondit 'sē nihil nisi rem mīlitārem discere velle.' Voluntās fīliī patrī haud placēbat, cum ipse litterīs studēret neque ūllum aliud studium fīliō suō dignum esse arbitrārētur. Cum vērō fīlius nūllō modō contrā voluntātem ad studium litterārum cōgī posset, pater eum ūnā cum Pūbliō Valeriō, adulēscente eiusdem aetātis, in Germāniam ad exercitum Rōmānum mīsit, ut apud ducem quendam ēgregium stipendia merēret. Ibi Aemilius prō patriā pugnāns iam magnam glōriam mīlitārem sibi quaesīvit. Virtūs eius ēgregia ab omnibus laudātur.

Et pater et soror Aemiliī frequentēs epistulās ad fīlium et frātrem suum mittunt. Pater māximē dē rēbus pūblicīs scrībit, sed Aemilia dē rēbus prīvātīs, ut dē līberīs suīs et dē convīviīs, scrībere solet. Epistulae quās Aemilius ad patrem dat praecipuē dē glōriā et virtūte mīlitārī sunt, sed ex iīs litterīs prīvātīs quās Aemilia

nūper ā frātre suō accēpit plānē appāret eum iam vītā mīlitārī fatīgātum esse. Ecce litterae novissimae, quās Aemilia prīdiē kalendās Iūniās ā frātre accēpit et posterō diē in convīviō recitāvit:

II "Aemilius sorōrī suae cārissimae s. d.

Hodiē dēmum mihi allāta est epistula tua quae a. d. VII kal. Māi. scrīpta est, id est ante vīgintī diēs. Quam tardus est iste tabellārius! Celsī sānē et arduī montēs Germāniam ab Italiā disiungunt, ac difficillimae sunt viae quae trāns Alpēs ferunt, sed tamen celer tabellārius idem iter quīndecim ferē diēbus cōnficere potest, ut tabellāriī pūblicī quibus ūtitur dux noster. Ego vērō istum tabellārium properāre docēbō, cum meās litterās ad tē referet.

Sed quamquam tardē advēnit, grātissima mihi fuit tua epistula magnōque cum gaudiō ex eā cognōvī tē et Iūlium et līberōs vestrōs, quōs valdē dīligō, bonā valētūdine fruī. Cum epistulās tuās legō, apud vōs in Albānō esse mihi videor, neque in hāc terrā frīgidā inter hominēs barbarōs. Tum, nesciō quōmodo, ita permoveor ut lacrimās vix teneam — ita patriam et amīcōs meōs dēsīderō.

Ō, quam longē absum ab Italiā et ab iīs omnibus quōs praecipuē dīligō! Utinam ego Rōmae essem aut tū apud mē essēs! Cum Dānuvium flūmen aspiciō, quod praeter castra nostra fluit, dē Tiberī cōgitō atque dē Rōmā. Quandō tē aspiciam, urbs pulcherrima? Utinam hic am-

appāret = plānum est, intellegitur
fatīgāre = fessum facere

prī-diē = diē ante
posterus -a -um (< post) = sequēns

s. d. = salūtem dīcit
a. d. VII kal. Māi. = ante diem septimum kalendās Māiās
arduus -a -um:

Alpēs -ium *f pl*: montēs Eurōpae altissimī
ferē = circiter

properāre = celeriter īre/agere
re-ferre

gaudium -ī *n* (< gaudēre) = laetitia
valētūdō -inis *f* < valēre

Albānum -ī *n* = praedium Albānum

dēsīderāre: amīcōs d. = dolēre sē abesse ab amīcīs



amnis -is *m* = flūmen

nis Tiberis esset et haec castra essent Rōma!

trāns-ferre

Sed frūstrā haec optō, cum nēmō nisi deus ita subitō in alium locum trānsferrī possit. Sī Mercurius essem ālāsque habērem, ventō celerius trāns montēs amnēsque in Italiam volārem, ubi Venus, soror mea pulcherrima, frātrem rīdēns reciperet.

Venus est Mercuriī soror (pater utrīusque Iuppiter)

rīdiculus -a -um = rīdendus
ef-fundere < ex + fundere

Rīdēbis certē, mea soror, nec sine causā, nam rīdiculum est tālēs rēs optāre, nec lacrimās effundere mīlitem decet, cuius officium est sanguinem effundere prō patriā. Ego vērō, etsī cupidus sum patriae videndae, officium meum praestābō sīcut cēterī mīlitēs Rōmānī, quōrum magnus numerus in Germāniā est. Nisi nōs hīc essēmus fīnēsque imperiī dēfenderēmus, hostēs celeriter Dānuvium et Alpēs trānsīrent atque ūsque in Italiam pervenīrent, nec vōs in Latiō tūtī essētis. Nē hoc fīat, legiōnēs Rōmānae hīc sunt ac tamdiū remanēbunt quamdiū hostis armātus seu citrā seu ultrā Dānuvium flūmen reliquus erit.

cupidus patri*ae* viden*dae* = cupidus patri*am* videndī
prae-stāre: officium p. = officium facere

trāns-īre -iisse

tam-diū ... quam-diū = tam diū ... quam
citrā ↔ ultrā *prp+acc:*

ultrā flūmen

citrā flūmen

Quoniam igitur ipse ad tē properāre nōn possum, litterās ad tē scrībere properō. Quaeris ā mē cūr tibi ūnās tantum litterās scrīpserim, cum interim trīnās quaternāsve litterās ā tē accēperim. Haud difficile est mē excūsāre, quod neglegēns fuerim in scrībendō. Sī mihi tantum esset ōtiī quantum est tibi, in epistulīs scrībendīs nōn minus dīligēns essem quam tū. Sed cum per complūrēs mēnsēs vix tempus habuerim ad dormiendum, facile intellegēs nūllum mihi ōtium fuisse ad epis-

ūnī -ae -a: ūnae litterae = ūna epistula
trīnī -ae -a: trīnae litterae = trēs epistulae
quaternae litterae = quattuor epistulae

in scrībend*ō*
in epistul*īs* scrībend*īs*

ad scrīben*dum*
ad epistul*am* scrīben*dam*

tulam scrībendam. Prope cotīdiē aut Germānī castra nostra oppugnāvērunt aut nōs impetūs fēcimus in illōs.

Hodiē vērō nūllum hostem armātum citrā flūmen vidēmus. Magnus numerus eōrum aut caesus aut captus est ā nostrīs, reliquī ultrā flūmen in magnīs silvīs latent. Herī enim exercitum Germānōrum proeliō vīcimus. Quod sīc factum est:

III Mediā nocte in castra nūntiātum est 'magnum hostium numerum nāviculīs ratibusque cōpulātīs flūmen trānsiisse celeriterque secundum flūmen adversus castra nostra prōgredī.' Hōc nūntiō allātō, mīlitēs statim convocātī sunt. Quī cum arma cēpissent et vāllum ascendissent, prīmō mīrābantur quamobrem mediā nocte ē somnō excitātī essent, cum extrā vāllum omnia tranquilla esse vidērentur. Ego quoque dubitāre coeperam num nūntius vērum dīxisset, cum subitō paulō ante lūcem magnus numerus Germānōrum ē silvīs proximīs excurrēns castra nostra oppugnāvit. Nostrī, cum parātī essent ad castra dēfendenda, illum prīmum impetum facile sustinuērunt. Nec tamen hostēs castra oppugnāre dēstitērunt, sed aliī ex aliīs partibus etiam atque etiam sub vāllum prōcurrērunt. Cum complūrēs hōrās ita fortissimē ā nostrīs, ab hostibus cōnstanter ac nōn timidē pugnātum esset, equitātus noster repente portā dextrā ērumpēns impetum in latus hostium apertum fēcit. Paulō post, cum plērīque hostēs sē ad equitēs convertissent, peditēs nostrī portā sinistrā ērūpērunt. Hostēs hāc

caedere cecīdisse caesum

ratis -is *f*



cōpulāre = coniungere

secundum *prp+acc:* s. flūmen = flūmen sequēns

con-vocāre = in eundem locum vocāre

cum... cēpi*ssent* = postquam cēpērunt



secundum flūmen

ante lūcem = ante diem

ex-currere

ad dēfendend*um*
ad castr*a* dēfendend*a*

dē-sistere -stitisse

etiam atque etiam = iterum atque iterum

cōnstāns, *adv* cōnstanter

pugnātur ā nostrīs = nostrī pugnant

ē-rumpere = subitō excurrere

plērī- plērae- plēra-que = prope omnēs

convertere -tisse -sum

rē perturbātī, cum iam longā pugnā fatīgātī essent, impetum Rōmānōrum ab utrāque parte venientium diūtius sustinēre nōn potuērunt, ac post brevem pugnam terga vertērunt. Cum ad rīpam flūminis fugientēs pervēnissent, aliī nāviculīs ratibusque sē servāvērunt, aliī armīs abiectīs in flūmen sē prōiēcērunt, ut natandō ad rīpam ulteriōrem pervenīrent, reliquī omnēs ab equitibus, quī ad eōs persequendōs missī erant, in rīpā citeriōre caesī aut captī sunt. Tanta ibi caedēs hostium facta est ut meminisse horream.

Duo ferē mīlia hominum magnamque armōrum cōpiam hostēs eō proeliō āmīsērunt. Ē nostrīs haud multī dēsīderantur. Ipse sagittā in bracchiō laevō vulnerātus sum, sed vulnus meum leve est, multī graviōra vulnera accēpērunt. Nec vērō ūllus mīles legiōnārius ā tergō vulnerātus est. Plērīque autem mīlitēs nostrī ex tantō proeliō incolumēs sunt.

Hōc proeliō factō, dux victor, cum ā mīlitibus imperātor salūtātus esset, virtūtem nostram laudāvit 'quod contrā hostēs numerō superiōrēs fortissimē pugnāvissēmus'; 'tot hominibus ūnō proeliō āmissīs, hostēs brevī arma positūrōs esse' dīxit. Hīs verbīs māximō gaudiō affectī sumus, nam post longum bellum omnēs pācem dēsīderāmus. Hodiē lēgātī ā Germānīs missī ad castra vēnērunt, ut cum imperātōre colloquerentur. Nesciō an lēgātī pācem petītum vēnerint, sed certō sciō imperātōrem nostrum cum hoste armātō colloquī nōlle.

diū, *comp* diūtius, *sup* diūtissimē

tergum vertere : fugere
rīpa -ae *f* = lītus flūminis

ulterior -ius *comp* < ultrā; *sup* ultimus
citerior -ius *comp* < citrā; *sup* citimus
caedēs -is *f* < caedere

dēsīderantur : āmissī sunt
vulnerāre < vulnus -eris *n*

incolumis -e = salvus, integer

numerō superiōrēs : plūrēs

pāx pācis *f* ↔ bellum

lēgātus -ī *m* = nūntius pūblicus

Ego cum cēterīs hāc victōriā glōriōsā gaudeō quidem, sed multō magis gaudērem sī amīcus meus Pūblius Valerius, quōcum prīmum stipendium meruī, incolumis esset et mēcum gaudēre posset. Quī cum mihi in hostēs prōgressō auxilium ferre vellet, ipse ex aciē excurrēns pīlō percussus cecidit. Graviter vulnerātus in castra portātus est, ubi in manibus meīs ex vulnere mortuus est, postquam mē ōrāvit ut per litterās parentēs suōs dē morte fīliī cōnsōlārer. Sed quōmodo aliōs cōnsōler, cum ipse mē cōnsōlārī nōn possim? Fateor mē lacrimās effūdisse cum oculōs eius clausissem, sed illae lacrimae et mīlitem et amīcum decēbant, etenim malus amīcus fuissem, nisi lacrimās effūdissem super corpus amīcī mortuī, cum ille sanguinem suum prō mē effūdisset.

Utinam patrem audīvissem, cum mē ad studium litterārum hortārētur! Sed tum litterās et studiōsōs litterārum dēspiciēbam. Poētās ut hominēs ōtiōsōs ōderam, praecipuē Tibullum, quī vītam rūsticam atque ōtiōsam laudābat, vītam mīlitārem dēspiciēbat. Mīrābar cūr ille poēta mortem glōriōsam prō patriā 'dīram' vocāret et ēnsēs quibus patria dēfenditur 'horrendōs', ut in hīs versibus, quōs senex magister etiam atque etiam nōbīs recitābat:

Quis fuit horrendōs prīmus quī prōtulit ēnsēs?
Quam ferus et vērē ferreus ille fuit!
Tum caedēs hominum generī, tum proelia nāta,
tum brevior dīrae mortis aperta via est!

glōriōsus: (rēs) glōriōsa = quae glōriam affert

quō-cum = cum quō

prō-gredī -ior -gressum esse
percutere -iō -cussisse -cussum
ex vulnere = propter vulnus

ef-fundere -fūdisse -fūsum

et-enim = namque

tum = tunc

dēspicere = contemnere
ōtiōsus -a -um < ōtium
ōderam ↔ amābam
Tibullus -ī *m*

dīrus -a -um = terribilis

ēnsis -is *m* = gladius
horrendus -a -um = dīrus

[*Tibullus I.10.1-4*]
prō-ferre = in lūcem p., prīmum facere

genus hominum = cūnctī hominēs
proelia nāta *sunt*
: brevior via ad dīram mortem aperta est

Rīdiculī mihi puerō vidēbantur iī versūs, cum nōndum caedem vīdissem. At hodiē Tibullum vērum dīxisse intellegō. Sī iam tum hoc intellēxissem, certē patrem audīvissem nec ad bellum profectus essem, ut tot caedēs et tot vulnera vidērem.

At iam satis dē caede scrīpsī. Nōlō tē fatīgāre nārrandō dē bellō cruentō, cum brevī pācem fore spērēmus. Nisi ea spēs mē fallit, posthāc plūrēs epistulās ā mē exspectātō, atque plūrēs etiam ipsa scrībitō! Etiam aliōs monētō ut ad mē litterās dent. Et dē rē pūblicā et dē rē prīvātā nārrātōte mihi! Scītōte mē omnia quae apud vōs fīunt cognōscere velle.

Valētūdinem tuam cūrā dīligenter! Datum prīdiē īdūs Māiās ex castrīs."

fore (*īnf fut*) = futūrum /-am... esse

exspectā*tō!* = exspectā (posthāc)!
scrībi*tō!* = scrībe!
monē*tō!* = monē!

nārrā*tōte!* = nārrāte!

īdūs Māiae: diēs XV mēnsis Māiī

GRAMMATICA LATINA

Coniūnctīvus

Tempus plūsquamperfectum

[A] Āctīvum.

laudāv*isset*

Iūlius dubitābat num magister Mārcum laudāv*isset*.

-isset

'Laudāv*isset*' coniūnctīvus est temporis praeteritī plūsquamperfectī. Coniūnctīvus plūsquamperfectī dēsinit in *-isset* (pers. III sing.), quod ad īnfīnītīvum perfectī sine *-isse* adicitur.

[1] recitāv|*isset*
[2] pāru|*isset*
[3] scrīps|*isset*
[4] audīv|*isset*

Exempla: [1] recitāv|*isset;* [2] pāru|*isset;* [3] scrīps|*isset;* [4] audīv|*isset*.

[1] recitāv|isse|*m*
recitāv|issē|*s*
recitāv|isse|*t*
recitāv|issē|*mus*
recitāv|issē|*tis*
recitāv|isse|*nt*

Pater fīlium interrogāvit 'num bonus discipulus *fuisset:* num magistrō pāru*isset,* attentē audīv*isset,* rēctē scrīp*sisset* et pulchrē recitāv*isset.*' Fīlius nōn respondit. Tum pater ab eō quaesīvit 'num ā magistrō laudā*tus esset.*' Cum fīlius id negā-

visset, "Ergō" inquit pater "malus discipulus fuistī; nam sī bonus discipulus *fuissēs,* magister tē laud*āvisset.* Sī magistrō pār*uissēs,* attentē aud*īvissēs,* rēctē scr*īpsissēs* et pulchrē recit*āvissēs,* ā magistrō laud*ātus essēs.*" Fīlius: "Etiam sī industrius *fuissem,* magister mē nōn laud*āvisset.*" Pater: "Quid?" Fīlius: "Etiam sī magistrō pār*uissem,* attentē aud*īvissem,* rēctē scr*īpsissem* et pulchrē recit*āvissem,* laud*ātus* nōn *essem* ab illō magistrō iniūstō!"

Pater fīliōs interrogāvit 'num bonī discipulī *fuissent:* num magistrō pār*uissent,* attentē aud*īvissent,* rēctē scr*īpsissent* et pulchrē recit*āvissent.*' Fīliī nōn respondērunt. Tum pater ab iīs quaesīvit 'num ā magistrō laud*ātī essent.*' Cum fīliī id negā*vissent,* "Ergō" inquit pater "malī discipulī fuistis; nam sī bonī discipulī *fuissētis,* magister vōs laud*āvisset.* Sī magistrō pār*uissētis,* attentē aud*īvissētis,* rēctē scr*īpsissētis* et pulchrē recit*āvissētis,* ā magistrō laud*ātī essētis.*" Fīliī: "Etiam sī magistrō pār*uissēmus,* attentē aud*īvissēmus,* rēctē scr*īpsissēmus* et pulchrē recit*āvissēmus,* laud*ātī* nōn *essēmus* ab illō magistrō iniūstō!"

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	-issem	-issēmus
Persōna secunda	-issēs	-issētis
Persōna tertia	-isset	-issent

[B] Passīvum.

Exempla: vidē suprā!

	Singulāris	*Plūrālis*
Persōna prīma	laud*ātus essem*	laud*ātī essēmus*
Persōna secunda	laud*ātus essēs*	laud*ātī essētis*
Persōna tertia	laud*ātus esset*	laud*ātī essent*

Imperātīvus futūrī

Pugn*ātō,* mīles! Pugn*ātōte,* mīlitēs!

'Pugn*ātō,* pugn*ātōte*' imperātīvus futūrī est. Imperātīvus futūrī dēsinit in *-tō* (sing.) et *-tōte* (plūr.); idem ferē significat atque imperātīvus praesentis ('pugnā, pugnāte').

[2] pāru|*isse*|*m*
pāru|*issē*|*s*
pāru|*isse*|*t*
pāru|*issē*|*mus*
pāru|*issē*|*tis*
pāru|*isse*|*nt*

[3] scrīps|*isse*|*m*
scrīps|*issē*|*s*
scrīps|*isse*|*t*
scrīps|*issē*|*mus*
scrīps|*issē*|*tis*
scrīps|*isse*|*nt*

[4] audīv|*isse*|*m*
audīv|*issē*|*s*
audīv|*isse*|*t*
audīv|*issē*|*mus*
audīv|*issē*|*tis*
audīv|*isse*|*nt*

fu|*isse*|*m* *fu*|*issē*|*mus*
fu|*issē*|*s* *fu*|*issē*|*tis*
fu|*isse*|*t* *fu*|*isse*|*nt*

-isse|*m* *-issē*|*mus*
-issē|*s* *-issē*|*tis*
-isse|*t* *-isse*|*nt*

-tus | *essem* *-tī* | *essēmus*
-ta | *essēs* *-tae* | *essētis*
| *esset* | *essent*
-tum esset *-ta essent*

pugn*ātō* pugn*ātōte*

-tō *-tōte*

[1] pugnā|*tō* pugnā|*tōte*
[2] pārē|*tō* pārē|*tōte*
[3] scrīb|*itō* scrīb|*itōte*
[4] audī|*tō* audī|*tōte*

es|*tō* es|*tōte*

Vocābula nova:
legiō
cohors
agmen
ōrdō
aciēs
proelium
imperātor
aetās
studium
stipendium
virtūs
gaudium
valētūdō
amnis
ratis
rīpa
caedēs
vulnus
pāx
lēgātus
ēnsis
legiōnārius
idōneus
mīlitāris
pūblicus
prīvātus
posterus
arduus
rīdiculus
ulterior
citerior
incolumis
ōtiōsus
dīrus
horrendus
dēnī
sēnī
quīnī
quaternī

Exempla:

Magister: "Posthāc bonus discipulus *estō*, puer! Semper mihi pārē*tō!* Dīligenter audī*tō!* Pulchrē recit*ātō* et rēctē scrīb*itō!*"

Magister: "Posthāc bonī discipulī *estōte*, puerī! Semper mihi pārē*tōte!* Dīligenter audī*tōte!* Pulchrē recit*ātōte* et rēctē scrīb*itōte!*"

245

PENSVM A

Magister epistulam ad Iūlium scrīpsit, cum Mārcus in lūdō dormīv– nec magistrō pāru–. Sī Mārcus bonus discipulus fu–, magister eum laudāv– nec epistulam scrīps–.

Mārcus: "Herī in cubiculō inclūsus sum, cum pater epistulam tuam lēg–. Nisi tū eam epistulam scrīps–, ā patre laudātus es–." Magister: "Epistulam scrīpsī cum in lūdō dormīv– nec mihi pāru–. Sī industrius fu–, tē laudāv– nec epistulam scrīps–." Mārcus: "Etiam sī industrius fu– et tibi pāru–, mē nōn laudāv–!"

Clēmēns es–, domine! Patientiam habē–! Servōs probōs laudā–, sed improbōs pūnī–!

Industriī es–, servī! Cum dominus loquitur, tacē– et audī–! Semper officium faci–!

Verba: īnstruere –isse –um; cōgere –isse –um; caedere –isse –um; convertere –isse –um; percutere –isse –um; prōcurrere –isse; dēsistere –isse; prōgredī –um esse.

PENSVM B

Ūna — cōnstat ex V vel VI mīlibus hominum, quī in X — dīviduntur. Exercitus prōcēdēns — dīcitur. Exercitus ad — [= pugnam] īnstrūctus — appellātur. Post victōriam dux ā mīlitibus — nōminātur. Sī mīlitēs fortiter pugnāvērunt, — eōrum ab imperātōre laudātur. Officium mīlitis est sanguinem — prō patriā.

Aemilius, quī in capitulō XII — est, ūnā cum Valeriō, adulēscente eiusdem —, in Germāniā — meruit. Tabellārius

pūblicus XV — [= circiter] diēbus Rōmā in Germāniam — [= celeriter īre] potest. Difficile est Alpēs —. Mīlitēs Rōmānī — Dānuvium sunt, hostēs sunt — Dānuvium.

PENSVM C

Quae arma gerunt auxilia?
Quid est signum legiōnis?
Quōmodo mīlitēs in aciem īnstruuntur?
Ad quod studium pater Aemilium hortābātur?
Quō Aemilius adulēscēns missus est?
Cūr Aemilius epistulās legēns permovētur?
Quamobrem ipse paucās epistulās scrīpsit?
Quī nūntius nocte in castra allātus est?
Cūr hostēs castra Rōmāna nōn expugnāvērunt?
Num Tibullus vītam mīlitārem laudat?

ūnī
trīnī
adiungere
prōgredī
īnstruere
hortārī
caedere
circumdare
mūnīre
commemorāre
studēre
cōgere
fatīgāre
properāre
dēsīderāre
trānsferre
effundere
praestāre
trānsīre
cōpulāre
convocāre
excurrere
prōcurrere
ērumpere
vulnerāre
fore
plērīque
prīdiē
praecipuē
tamdiū
quamdiū
diūtius
ferē
etenim
citrā
ultrā
secundum



theātrum -ī *n*

DE ARTE POETICA

Epistulā Aemiliī convīvīs recitātā, "Ergō" inquit Aemilia "nōn modo fīliō, sed etiam frātrī meō bracchium vulnerātum est." *1*

Fabia: "Quisnam vulnerāvit fīlium tuum?"

pēs turgidus

Aemilia: "Medicus bracchium eius scalpellō suō acūtō secuit! Quī, cum Quīntus herī dē altā arbore cecidisset, pedem eius turgidum vix tetigit, sed misellō puerō sanguinem mīsit! Profectō fīlius meus nōn operā medicī sānābitur, sed diīs iuvantibus spērō eum brevī sānum fore. Līberīne tuī bonā valētūdine ūtuntur?" 5 10

Fabia: "Sextus quidem hodiē nāsō turgidō atque cruentō ē lūdō rediit, cum certāvisset cum quibusdam puerīs quī eum laeserant."

Aemilia: "Cum puerī lūdunt, haud multum interest inter lūdum et certāmen. Mārcus vērō, sī quis eum laedere vult, ipse sē dēfendere potest." 15

Fabia: "Item Sextus scit sē dēfendere, dummodo

scalpellum -ī *n* = parvus culter medicī

turgidus -a -um
misellus -a -um = miser
sanguinem mittere = vēnam aperīre
opera -ae *f*: o. alicuius = quod aliquis agit
diīs = deīs (*abl/dat*)

certāre = pugnāre

laedere -sisse -sum = pulsandō vulnerāre, nocēre (eī)
inter-esse
lūdus -ī *m* < lūdere
certāmen -inis *n* (< certāre) = pugna

dum-modo (+ *coni*) = sī modo

cum singulīs certet. Nēmō sōlus eum vincere potest. Sed fīlius meus studiōsior est legendī quam pugnandī."

Aemilia: "Id dē Mārcō dīcī nōn potest. Is nōn tam litterīs studet quam lūdīs et certāminibus!"

Hīc Cornēlius mulierēs interpellat: "Ego quoque lūdīs et certāminibus studeō, dummodo aliōs certantēs spectem! Modo in amphitheātrō certāmen magnificum spectāvī: plūs trecentī gladiātōrēs certābant. Plērīque gladiīs et scūtīs armātī erant, aliī rētia gerēbant."

Aemilia, quae certāmen gladiātōrium nōn spectāvit, ā Cornēliō quaerit 'quōmodo gladiātōrēs rētibus certent?'

Cornēlius: "Alter alterum in rēte implicāre cōnātur, nam quī rētī implicitus est nōn potest sē dēfendere et sine morā interficitur, nisi tam fortiter pugnāvit ut spectātōrēs eum vīvere velint. Sed plērumque is quī victus est occīditur, victor vērō palmam accipit, dum spectātōrēs dēlectātī clāmant ac manibus plaudunt."



circus -ī *m*

Iūlius: "Mihi nōn libet spectāre lūdōs istōs ferōcēs. Mālō cursūs equōrum spectāre in circō."



gladiātōrēs



rēte
-is *n*

plūs C = plūs quam C

gladiātor -ōris *m* = vir quī populō spectante cum alterō pugnat

gladiātōrius -a -um < gladiātor

im-plicāre -āvisse/-uisse -ātum/-itum

spectātor -ōris *m* = quī spectat

plērum-que = prope semper

plaudere -sisse -sum

palma
-ae *f*

libēre: libet = grātum est, placet

circēnsis -e < circus;
m pl = lūdī circēnsēs
iuvāre = dēlectāre
modo... modo = tum... tum

aurīga -ae *m* = quī currum regit
favēre (+ *dat*) = bene velle

lūgēre = maerēre (ob alicuius mortem)

scaenicus -a -um < scaena
cōmoedia -ae *f* = fābula scaenica dē rēbus levibus et rīdiculīs
Plautus -ī *m*: poēta quī cōmoediās scrīpsit
Amphitryōn -ōnis *m*
ācer ācris ācre = cupidus agendī, impiger
gerere = agere

geminus -a -um: (fīliī) geminī = duo eōdem diē nātī
parere peperisse partum
Herculēs -is *m*

ingenium -ī *n* = nātūra animī
ratiō -ōnis *f* = causa quae rem plānam facit
reddere : dare
[*Ovidius: Ars am. I.99*]

ut ipsae spectentur

bellus -a -um = pulcher

poēticus -a -um < poēta

prīncipium -ī *n* = prīma pars, initium
[*Ovidius: Amōrēs III.2*]

nōbilium equōrum
tamen precor ut vincat ille *aurīga* cui *tū* ipsa favēs

Cornēlius: "Lūdī circēnsēs mē nōn minus iuvant quam gladiātōriī: modo in amphitheātrum, modo in circum eō. Sed ex novissimīs circēnsibus maestus abiī, cum ille aurīga cui plērīque spectātōrēs favēbant ex currū lāpsus equīs prōcurrentibus occīsus esset. Illō occīsō spectātōrēs plaudere dēsiērunt ac lūgēre coepērunt."

Fabia: "Ego lūdōs scaenicōs praeferō: mālō fābulās spectāre in theātrō. Nūper spectāvī cōmoediam Plautī dē Amphitryōne, duce Graecōrum, cuius uxor Alcmēna ab ipsō Iove amābātur. Dum dux ille ācer et fortis procul ā domō bellum gerit, Iuppiter sē in fōrmam eius mūtāvit, ut Alcmēnam vīseret; quae, cum putāret coniugem suum esse, eum in cubiculum recēpit..."

Cornēlius: "...et decimō post mēnse fīliōs geminōs peperit, quōrum alter fuit Herculēs. Illa fābula omnibus nōta est. Sed scītisne cūr fēminīs libeat in theātrum īre? Ovidius poēta, quī ingenium mulierum tam bene nōverat quam ipsae mulierēs, ratiōnem reddit hōc versū:

Spectātum veniunt, veniunt spectentur ut ipsae!"

Fabia: "Et virī veniunt ut bellās fēminās spectent!"

Tum Iūlius, quī artis poēticae studiōsus est, "Ovidius *II* ipse" inquit "id dīcit. Ecce prīncipium carminis quod scrīpsit ad amīcam sēcum in circō sedentem:

Nōn ego nōbilium sedeō studiōsus equōrum;
cui tamen ipsa favēs vincat ut ille precor.

Ut loquerer tēcum vēnī tēcumque sedērem,
nē tibi nōn nōtus quem facis esset amor.
Tū cursūs spectās, ego tē — spectēmus uterque
quod iuvat, atque oculōs pāscat uterque suōs!"

nōn nōtus : ignōtus
amor quem facis (: excitās)

pāscere : dēlectāre

Cornēlius: "Ego memoriā teneō versūs Ovidiī dē puellā quae poētam industrium prohibēbat bellum Trōiānum canere et fātum rēgis Priamī:

[*Ovidius: Amōrēs II.18.*]
bellum canere = dē bellō c. (: carmen scrībere)
fātum -ī *n* = quod necesse est accidere, mors

Saepe meae "Tandem" dīxī "discēde!" puellae
— in gremiō sēdit prōtinus illa meō!
Saepe "Pudet" dīxī. Lacrimīs vix illa retentīs
"Mē miseram! Iam tē" dīxit "amāre pudet?"
Implicuitque suōs circum mea colla lacertōs
et, quae mē perdunt, ōscula mīlle dedit!
Vincor, et ingenium sūmptīs revocātur ab armīs,
rēsque domī gestās et mea bella canō."

meae puellae dīxī
tandem (+ *imp*) = age!
gremium -ī *n* = genua sedentis; in gremiō meō
sedēre sēdisse
mē pudet
retinēre -uisse -tentum

suōs lacertōs
colla : coll*um*
mihi dedit

ingenium *meum*
ab sūmptīs armīs
mea bella : meōs amōrēs

Fabia: "Iste poēta virīs sōlīs placet. Mē vērō magis iuvant carmina bella quae Catullus scrīpsit ad Lesbiam amīcam. Sī tibi libet, Iūlī, recitā nōbīs ē librō Catullī."

lucerna -ae *f*

"Libenter faciam" inquit Iūlius, "sed iam nimis obscūrum est hoc triclīnium; in tenebrīs legere nōn possum. Lucernās accendite, servī!"

libenter (*adv* < libēns) = cum gaudiō
tenebrae -ārum *f* ↔ lūx
accendere -disse -ēnsum

Lucernīs accēnsīs, Iūlius librum Catullī prōferrī iubet, tum "Incipiam" inquit "ā carmine dē morte passeris quem Lesbia in dēliciīs habuerat:

passer -eris *m*

Lūgēte, ō Venerēs Cupīdinēsque
et quantum est hominum venustiōrum!
Passer mortuus est meae puellae,

dēliciae -ārum *f* = id quod dēlectat
Venerēs, Cupīdinēs *pl* : Venus, Cupīdō
quantum est hominum = quot sunt hominēs
venustus -a -um = bellus, amandus

[*Catullus 3*]

passer, dēliciae meae puellae,
quem plūs illa oculīs suīs amābat;
nam mellītus erat suamque nōrat
ipsam tam bene quam puella mātrem,
nec sēsē ā gremiō illĭus movēbat,
sed circumsiliēns modo hūc modo illūc
ad sōlam dominam ūsque pīpiābat.
Quī nunc it per iter tenebricōsum
illūc unde negant redīre quemquam.
At vōbīs male sit, malae tenebrae
Orcī, quae omnia bella dēvorātis:
tam bellum mihi passerem abstulistis.
Ō factum male! Ō miselle passer!
Tuā nunc operā meae puellae
flendō turgidulī rubent ocellī!

mellītus -a -um (< mel) = dulcis (ut mel)
nōrat = nō*ve*rat
ipse *m* = dominus; ipsa *f* = domina: suam ipsam

circum-silīre < -salīre
ūsque = semper
pīpiāre = 'pīpī' facere (ut avis)
tenebricōsus -a -um (<tenebrae) = obscūrus
negant redīre quemquam = dīcunt 'nēminem redīre'

Orcus -ī *m*=Plūtō : Īnferī
dē-vorāre = vorāre

male factum = malefīcium
tuā operā = tuā causā
turgid*ul*us = turgidus
ocellus -ī *m* = (parvus) oculus
ultimus -a -um (*sup* < ultrā) = postrēmus

"Hīs versibus ultimīs poēta vēram ratiōnem dolōris suī reddit: quod oculī Lesbiae lacrimīs turgidī erant ac rubentēs! Tunc enim Catullus Lesbiam sōlam amābat atque amōrem suum perpetuum fore crēdēbat. Ecce aliud carmen quō mēns poētae amōre accēnsa dēmōnstrātur:

perpetuus -a -um = quī numquam fīniētur, sine fīne
mēns mentis *f* = animus (cōgitāns)

[*Catullus 5*]

Vīvāmus, mea Lesbia, atque amēmus,
rūmōrēsque senum sevēriōrum
omnēs ūnĭus aestimēmus assis!
Sōlēs occidere et redīre possunt —
nōbīs, cum semel occidit brevis lūx,
nox est perpetua ūna dormienda.

ūnīus assis aestimāre : minimī aestimāre, nihil cūrāre

lūx : diēs (: vīta)
: nōbīs dormiendum est ūnam noctem perpetuam

Dā mī bāsia mīlle, dêinde centum,
dêin mīlle altera, dêin secunda centum,
dêinde ūsque altera mīlle, dêinde centum!
Dêin, cum mīlia multa fēcerīmus,
conturbābimus illa, nē sciāmus,
aut nē quis malus invidēre possit,
cum tantum sciat esse bāsiōrum.

"Catullus Lesbiam uxōrem dūcere cupiēbat, nec vērō illa Catullō nūpsit, etsī affīrmābat 'sē nūllī aliī virō nūbere mālle.' Mox vērō poēta dē verbīs eius dubitāre coepit:

'Nūllī sē' dīcit mulier mea 'nūbere mālle
quam mihi, nōn sī sē Iuppiter ipse petat!'
Dīcit. Sed mulier cupidō quod dīcit amantī
in ventō et rapidā scrībere oportet aquā!

"Postrēmō poēta intellēxit Lesbiam īnfīdam et amōre suō indignam esse, neque tamen dēsiit eam amāre. Ecce duo versūs quī mentem poētae dolentem ac dubiam inter amōrem et odium dēmōnstrant:

Ōdī et amō! Quārē id faciam, fortasse requīris?
Nesciō; sed fierī sentiō — et excrucior!"

Hīs versibus recitātīs convīvae diū plaudunt.

Tum Paula "Iam satis" inquit "audīvimus dē amandō et dē dolendō. Ego rīdēre mālō, neque iste poēta rīsum excitat. Quīn versūs iocōsōs recitās nōbīs?"

Cui Iūlius "At Catullus" inquit "nōn tantum carmina sēria, sed etiam iocōsa scrīpsit. Ecce versūs quibus po-

mī = mihi
bāsium -ī *n* = ōsculum
dein = deinde

ūsque = sine fīne

= fēcerimus
con-turbāre = turbāre (↔ numerāre)
nē *numerum* sciāmus
nōbīs invidēre

tantum bāsiōrum = tot bāsia
uxōrem dūcere = uxōrem suam facere
affīrmāre = certō dīcere
nūbere -psisse (+ *dat*): alicui n. = alicuius uxor fierī

[*Catullus 70*]

uxōrem petat

id quod mulier dīcit amantī cupidō

dolēre (animō)↔gaudēre
dubius -a -um = incertus, dubitāns
odium -ī *n* ↔ amor

[*Catullus 85*]
re-quīrere = quaerere
ex-cruciāre = valdē cruciāre

rīsus -ūs *m* < rīdēre

iocōsus -a -um = quī rīsum excitat, rīdiculus

sērius -a -um ↔ iocōsus

[*Catullus 13.1–8*]



arānea -ae *f*

nōn sine : cum candidā : pulchrā
sāl : sermō iocōsus et urbānus
cachinnus -ī *m* = rīsus
inquam (*pers 1*) = dīcō
venuste noster : mī amīce

(rīsum) movēre : excitāre

epigramma -atis *n* (*pl abl* -atīs)
Mārtiālis -is *m*: poēta Rōmānus quī XII librōs epigrammatum scrīpsit

sinus -ūs *m*

[*VI.61*]
nostrōs (: meōs) libellōs

ōscitāre = ōs aperīre (ob dormiendī cupiditātem)
nōbīs, nostra : mihi, mea

[*VII.3; III.9; II.88*]

poētās: Pontiliānum, Cinnam, Māmercum

ēta pauper quendam amīcum dīvitem, nōmine Fabul- 145
lum, ad cēnam vocāvit:

Cēnābis bene, mī Fabulle, apud mē
paucīs, sī tibi dī favent, diēbus
— sī tēcum attuleris bonam atque magnam
cēnam, nōn sine candidā puellā 150
et vīnō et sale et omnibus cachinnīs.
Haec sī, inquam, attuleris, venuste noster,
cēnābis bene — nam tuī Catullī
plēnus sacculus est arāneārum!"

Hī versūs magnum rīsum movent. Tum vērō Cornē- *III*
lius "Bene quidem" inquit "et iocōsē scrīpsit Catullus, nec tamen versūs eius comparandī sunt cum epigrammatīs sale plēnīs quae Mārtiālis in inimīcōs scrīpsit. Semper librōs Mārtiālis mēcum in sinū ferō."

Ab omnibus rogātus ut epigrammata recitet, Cornē- 160
lius libellum ēvolvit et "Incipiam" inquit "ā versibus quōs poēta dē suīs libellīs scrīpsit:

Laudat, amat, cantat nostrōs mea Rōma libellōs,
mēque sinūs omnēs, mē manus omnis habet.
Ecce rubet quīdam, pallet, stupet, ōscitat, ōdit. 165
Hoc volŏ: nunc nōbīs carmina nostra placent."

Post hoc prīncipium Cornēlius aliquot epigrammata Mārtiālis recitat, in iīs haec quae scrīpta sunt in aliōs poētās:

Cūr nōn mittŏ meōs tibi, Pontiliāne, libellōs? 170
Nē mihi tū mittās, Pontiliāne, tuōs! —

Versiculōs in mē nārrātur scrībere Cinna.
Nōn scrībit, cuius carmina nēmŏ legit! —
Nīl recitās — et vīs, Māmerce, poēta vidērī.
Quidquid vīs, estō — dummodo nīl recitēs!

versiculus -ī *m* = versus (parvus)
nōn scrībit *is*
nīl = nihil

Ecce alia epigrammata Mārtiālis quae Cornēlius convīvīs attentīs atque dēlectātīs recitat:

[*I.32; XI.67; III.61; XI.64*]

Nōn amŏ tē, Sabidī, nec possum dīcere quārē.
Hoc tantum possum dīcere: nōn amŏ tē! —
Nīl mihi dās vīvus, dīcis 'post fāta datūrum.'
Sī nōn es stultus, scīs, Marŏ, quid cupiam! —
'Esse nihil' dīcis, quidquid petis, improbe Cinna.
Sī nīl, Cinna, petis, nīl tibi, Cinna, negō! —
Nesciŏ tam multīs quid scrībās, Fauste, puellīs.
Hoc sciŏ: quod scrībit nūlla puella tibī!

Sabidius -ī *m*
tē datūrum *esse*
fāta : fātum (: mortem)
Marō -ōnis *m*
ā mē petis (= mē rogās)
Cinna -ae *m*
Faustus -ī *m*
tam multīs puellīs (= tot puellīs)
: "tē amō"!

Sequuntur epigrammata quibus dērīdentur fēminae, praecipuē anūs, ut Laecānia et Paula:

[*V.43; IX.5; X.8*]

Thāis habet nigrōs, niveōs Laecānia dentēs.
Quae ratiō est? Ēmptōs haec habet, illa suōs! —
Nūbere vīs Prīscō; nōn mīror, Paula, sapīstī.
Dūcere tē nōn vult Prīscus: et ille sapit! —
Nūbere Paula cupit nōbīs, ego dūcere Paulam
nōlō: anus est; vellem sī magis esset anus!

anus -ūs *f* = fēmina vetus
Thāis -idis *f*
niveus -a -um (< nix) = candidus ut nix
haec : Laecānia
illa : Thāis
sapere -iō -iisse = sapiēns esse; -īstī = -iistī
dūcere = uxōrem dūcere
nōbīs : mihi
magis anus (: brevī moritūra!)

Cēterīs rīdentibus "Quid rīdētis?" inquit Paula, "Num haec in mē, uxōrem fōrmōsam atque puellam, scrīpta esse putātis?"

puella ↔ anus

Cornēlius: "Minimē, Paula. Nec scīlicet in tē, sed in Bassam scrīptum est hoc:

[*V.45*]

dīcis '*tē esse* fōrmōsam'

ea quae *fōrmōsa* nōn est

ē-rubēscere = rubēre incipere, rubēns fierī

[*V.81; I.33*]

testis -is *m* = quī adest et videt

opēs -um *f pl* = dīvitiae

G. patrem āmissum (: dē patre āmissō/mortuō) nōn flet
prō-silīre < -salīre
quisquis : is quī
quaerit : cupit

[*I.118*]

nīl malī

plaudere + *dat*

Dīcis 'fōrmōsam', dīcis tē, Bassa, 'puellam'.
Istud quae nōn est, dīcere, Bassa, solet!"

Hoc audiēns ērubēscit Paula atque cēterī convīvae rīsum vix tenent. Cornēlius vērō prūdenter "Nōn omnia" inquit "iocōsa sunt carmina Mārtiālis. Ecce duo versūs dē fātō virī pauperis, et quattuor in Gelliam, quae cōram testibus lacrimās effundit super patrem mortuum:

Semper pauper eris, sī pauper es, Aemiliāne.
Dantur opēs nūllīs nunc nisi dīvitibus. —
Āmissum nōn flet, cum sōla est, Gellia patrem;
sī quis adest, iussae prōsiliunt lacrimae!
Nōn lūget quisquis laudārī, Gellia, quaerit:
ille dolet vērē quī sine teste dolet."

Centum ferē epigrammatīs recitātīs, Cornēlius cum hōc fīnem facit recitandī:

Cui lēgisse satis nōn est epigrammata centum,
nīl illī satis est, Caediciāne, malī!

Rīdent omnēs et Cornēliō valdē et diū plaudunt.

GRAMMATICA LATINA

Dē versibus

[I] Syllabae brevēs et longae.

Nōn ego nōbilium sedeō studiōsus equōrum.

Hic versus cōnstat ex hīs syllabīs: *nō-n͡e-go- nō-bi-li-um- se-de-ō- stu-di-ō-su-s͡e-quō-rum.*

Syllaba brevis est quae in vōcālem brevem (*a, e, i, o, u, y*) dēsinit; quae dēsinit in vōcālem longam (*ā, ē, ī, ō, ū, ȳ*) aut in

diphthongum (*ae, oe, au, eu, ei, uī*) aut in cōnsonantem (*b, c, d, f, g, l, m, n, p, r, s, t, x*) syllaba longa est.

Syllabae brevēs: *ne, go, bi, li, se, de, stu, di, su, se;* syllabae longae: *nō, um, ō, quō, rum.*

Haec nota [◡] syllabam brevem significat, haec [—] syllabam longam: *nōn͡ego nōbilium sedeō...*

Cōnsonantēs *br, gr, cr, tr,* quae initium syllabae facere solent (ut *li-brī*), interdum dīviduntur: *nig-rōs, pat-rem.*

Vōcālis *-ō* ultima interdum fit brevis: *vo-lŏ, nē-mŏ.*

[II] Syllabae coniūnctae.

Litterae vocābulōrum ultimae cum vōcālibus sequentibus coniunguntur hīs modīs:

[A] Cōnsonāns ultima cum vōcālī prīmā (vel *h-*) vocābulī sequentis ita coniungitur ut initium syllabae faciat: *a-nu-s͡est; vin-ca-t͡u-t͡il-le.*

[B] Vōcālis ultima (item *-am, -em, -um, -im*) ante vōcālem prīmam (vel *h-*) vocābulī sequentis ēlīditur:

Vīvāmus, mea Lesbia, atque amēmus: Lesbi'atqu'amēmus
Ōdī et amō. Quārē id faciam: Ōd'et... Quār'id...

In *est* et *es* ēlīditur *e*: *sōla est: sōla'st, vērum est: vērum'st, bella es: bella's.*

[III] Pedēs.

Singulī versūs dīviduntur in pedēs, quī bīnās aut ternās syllabās continent. Pedēs frequentissimī sunt trochaeī, iambī, dactylī, spondēī. Trochaeus cōnstat ex syllabā longā et brevī, ut *lū-na,* iambus ex brevī et longā, ut *vi-rī,* dactylus ex longā et duābus brevibus, ut *fē-mi-na,* spondēus ex duābus longīs, ut *nē-mō.*

[IV] Versus hexameter.

Nōn͡ego| nōbili|um sede|ō studi|ōsus͡e|quōrum.

Hic versus hexameter vocātur ā numerō pedum, nam *sex* Graecē dīcitur *hex.* Hexameter cōnstat ex quīnque pedibus dactylīs et ūnō spondēō (vel trochaeō); prō dactylīs saepe spondēī inveniuntur, sed pēs quīntus semper dactylus est:

— ◡◡ | — ◡◡ | — ◡◡ | — ◡◡ | — ◡◡ | — ◡

diphthongus *-ī f* = duae vōcālēs in ūnā syllabā coniūnctae

notae:
◡ syllaba brevis
— syllaba longa

inter-dum = nōnnumquam

haec nota [⌒] significat litterās in syllabā coniungendās

ē-līdere -sisse -sum (< ē + laedere) = ēicere (↔ addere)

trochaeus — ◡

iambus ◡ —

dactylus — ◡ ◡

spondēus — —

haec nota [|] inter pedēs pōnitur

Dōneĉe|ris fē|līx mul|tōs nume|rābiŝa|mīcōs.
[*Horātius: Ars poētica 333, Epistulae I.11.27*]
Aut prō|desse vo|lunt aut| dēlec|tāre po|ētae.
Caelum,| nōn̂ani|mum mū|tant quī| trāns mare| currunt.
[V] Versus pentameter.
cui tame|n̂ipsa fa|vēs || vincaŝu|ĝille pre|cor.
Hic versus dīviditur in duās partēs, quārum utraque bīnōs pedēs et dīmidium continet. Ita versus tōtus ex quīnque pedibus cōnstat et vocātur pentameter: *quīnque* enim Graecē dīcitur *pente*. Utraque pars est ut initium hexametrī, sed pars posterior spondēōs nōn admittit:
— ⏑⏑ | — ⏑⏑ | — || — ⏑⏑ | — ⏑⏑ | —
Tempora| sī fue|rint || nūbila| sōluŝe|ris.
In gremi|ō sē|dit || prōtinu|ŝilla me|ō.
Versus pentameter semper hexametrum sequitur:
Nōn̂amŏ| tē, Sabi|dī, nec| possum| dīcere| quārē.
Hoc tan|tum pos|sum || dīcere| nōn̂amŏ| tē.
[VI] Versus hendecasyllabus.
Passer mortuuŝest meae puellae.
Hic versus, quī ūndecim syllabās habet, vocātur hendecasyllabus, nam *ūndecim* Graecē *hendeca* dīcitur. Versus hendecasyllabus in quīnque pedēs dīvidī potest: spondēum, dactylum, duōs trochaeōs, spondēum aut trochaeum (pēs prīmus rārius iambus aut trochaeus est).
— — | — ⏑⏑ | — ⏑ | — ⏑ | — ⏒
Vīvā|mus mea| Lesbi'|atqu'a|mēmus.
Cēnā|bis bene| mī Fa|bull'a|pud mē
paucīs| sī tibi| dī fa|vent di|ēbus.

2½ + 2½ = 5

Vocābula nova:
scalpellum
opera
lūdus
certāmen
gladiātor
rēte
spectātor
palma
circus
aurīga
theātrum
cōmoedia
ingenium
ratiō
prīncipium
fātum
gremium
tenebrae
lucerna
passer
dēliciae
ocellus
mēns
bāsium
odium
rīsus
cachinnus
arānea
epigramma
sinus
versiculus
anus
testis
opēs
diphthongus

PENSVM A

Hī versūs in syllabās brevēs et longās et in pedēs dīvidendī sunt notīs appositīs:

Scrībere mē quereris, Vēlōx, epigrammata longa.
Ipse nihil scrībis: tū, breviōra facis! [*Mārtiālis I.110*]
Dās numquam, semper prōmittis, Galla, rogantī.
Sī semper fallis, iam rogō, Galla, negā! [*II.25*]

Quem recitās meus est, ō Fīdentīne, libellus.
Sed male cum recitās, incipit esse tuus! [*I.38*]
Bella es, nōvimus, et puella, vērum est,
et dīves, quis enim potest negāre?
Sed cum tē nimium, Fabulla, laudās,
nec dīves neque bella nec puella es! [*I.64*]

PENSVM B

Dum gladiātōrēs — [= pugnant], — dēlectātī manibus —. Fēminīs nōn — gladiātōrēs spectāre.

Ovidius in — sedēns ōrābat ut vinceret ille cui amica eius —. Hoc nārrātur in — [=initiō] carminis. Cum poēta — [= fortūnam] Priamī canere vellet, puella in — eius sēdit eīque mīlle — dedit. Ovidius — mulierum bene nōverat.

Lucernīs —, Iūlius recitat carmen — [= pulchrum] dē — Lesbiae mortuō: "—, ō Venerēs...!" Versibus — [= postrēmīs] dēmōnstrātur — [= causa] dolōris. Catullus Lesbiam uxōrem — cupiēbat, at illa Catullō — nōluit. — poētae inter amōrem et — dīvidēbātur.

PENSVM C

Quid Rōmānī in amphitheātrō spectant?
Quid Fabia in theātrō spectāvit?
Quis fuit Ovidius?
Quārē Ovidius in circum vēnerat?
Quae carmina recitat Iūlius?
Cūr ocellī Lesbiae turgidī rubēbant?
Cūr poēta Lesbiam et amābat et ōderat?
Num sacculus Catullī plēnus erat nummōrum?
Quid scrīpsit Mārtiālis?
Cūr librōs suōs nōn mīsit Pontiliānō?
Tūne Cinnam bonum poētam fuisse putās?
Cūr Laecāniae dentēs niveī erant?
Ex quibus syllabīs cōnstat pēs dactylus?
Ex quibus pedibus cōnstat hexameter?

nota
turgidus
misellus
gladiātōrius
circēnsis
scaenicus
ācer
geminus
bellus
poēticus
venustus
mellītus
tenebricōsus
ultimus
perpetuus
dubius
iocōsus
sērius
niveus
certāre
laedere
implicāre
plaudere
libēre
favēre
lūgēre
accendere
circumsilīre
pīpiāre
dēvorāre
conturbāre
nūbere
affīrmāre
requīrere
excruciāre
ōscitāre
sapere
ērubēscere
prōsilīre
ēlīdere
libenter
plērumque
interdum
dummodo
dein
nīl
trochaeus
iambus
dactylus
spondēus
hexameter
pentameter
hendecasyllabus

ARS GRAMMATICA

[*Ex Dōnātī 'Arte grammaticā minōre'*]

grammaticus -a -um: ars g.a = grammatica
Dōnātus (-ī *m*) vīxit saeculō IV post Chrīstum nātum
ōrātiō -ōnis *f* = sermō

Dē partibus ōrātiōnis *I*

[*Magister:*] Partēs ōrātiōnis quot sunt?

[*Discipulus:*] Octō.

[*M.:*] Quae?

[*D.:*] Nōmen, prōnōmen, verbum, adverbium, participium, coniūnctiō, praepositiō, interiectiō.

coniūnctiō, interiectiō: *v. īnfrā*

Dē nōmine

[*M.:*] Nōmen quid est?

cāsus (nōminis): *v. īnfrā*
proprius -a -um ↔ commūnis
nōmina propria, ut *Rōma, Tiberis*
appellātīvus -a -um < appellāre; nōmina appellātīva, ut *urbs, flūmen*

[*D.:*] Pars ōrātiōnis cum cāsū, corpus aut rem propriē commūniterve significāns...; aut enim ūnīus nōmen est et 'proprium' dīcitur, aut multōrum et 'appellātīvum'.

...

[*M.:*] Genera nōminum quot sunt?

[*D.:*] Quattuor.

[*M.:*] Quae?

Mūsa -ae *f*; Mūsae: novem deae quae singulīs artibus praesunt
scamnum -ī *n* = sella
sacerdōs -ōtis *m/f* = vir /fēmina cuius negōtium est dīīs servīre

[*D.:*] Masculīnum, ut *hic magister*, fēminīnum, ut *haec Mūsa*, neutrum, ut *hoc scamnum*, commūne, ut *hic* et *haec sacerdōs*.

[*M.:*] Numerī nōminum quot sunt?

[*D.*:] Duo.

[*M.*:] Quī?

[*D.*:] Singulāris, ut *hic magister,* plūrālis, ut *hī magistrī.*

...

[*M.*:] Cāsūs nōminum quot sunt?

[*D.*:] Sex.

[*M.*:] Quī?

[*D.*:] Nōminātīvus, genetīvus, datīvus, accūsātīvus, vocātīvus, ablātīvus. Per hōs omnium generum nōmina, prōnōmina, participia dēclīnantur...

[*M.*:] Comparātiōnis gradūs quot sunt?

comparātiō -ōnis *f* < comparāre

[*D.*:] Trēs.

[*M.*:] Quī?

[*D.*:] Positīvus, ut *doctus,* comparātīvus, ut *doctior,* superlātīvus, ut *doctissimus.*

[*M.*:] Quae nōmina comparantur?

[*D.*:] Appellātīva dumtaxat quālitātem aut quantitātem significantia. ...

appellātīva: scīlicet adiectīva
dumtaxat = tantum
quālitās -ātis *f* < quālis
quantitās -ātis *f* < quantus

Dē prōnōmine

[*M.*:] Prōnōmen quid est?

[*D.*:] Pars ōrātiōnis quae prō nōmine posita tantundem paene significat persōnamque interdum recipit. ...

tantun-dem (< tantum-dem) = idem

[*M.*:] Genera prōnōminum quae sunt?

[*D.*:] Eadem ferē quae et nōminum: masculīnum, ut *quis,* fēminīnum, ut *quae,* neutrum, ut *quod,* commūne, ut *quālis, tālis,* triu̅m generum, ut *ego, tū.*

et = etiam

Prōnōmina sunt [1] persōnālia: *ego, tū, nōs, vōs, sē* [2] possessīva: *meus, tuus, suus, noster, vester* [3] dēmōnstrātīva: *hic, iste, ille, is, īdem, ipse* [4] relātīvum: *...quī* [5] interrogātīva: *quis/ quī, uter* [6] indēfīnīta: *aliquis/ -quī, quis, quisquam, quisque, uterque, quīdam, nēmō, nihil, neuter*

[*M.*:] Numerī prōnōminum quot sunt?

[*D.*:] Duo.

[*M.*:] Quī?

[*D.*:] Singulāris, ut *hic,* plūrālis, ut *hī.*

[*M.*:] Persōnae prōnōminum quot sunt? 50

[*D.*:] Trēs.

[*M.*:] Quae?

[*D.*:] Prīma, ut *ego,* secunda, ut *tū,* tertia, ut *ille.*

[*M.*:] Cāsūs item prōnōminum quot sunt?

quem ad modum = sīcut

[*D.*:] Sex, quem ad modum et nōminum, per quōs om- 55

īn-flectere = dēclīnāre

nium generum prōnōmina īnflectuntur...

Dē verbō *II*

[*M.*:] Verbum quid est?

[*D.*:] Pars ōrātiōnis cum tempore et persōnā, sine cāsū,

neutrum : nec agere nec patī

aut agere aliquid aut patī aut neutrum significāns. ... 60

[*M.*:] Modī verbōrum quī sunt?

optātīvus -a -um < optāre

[*D.*:] Indicātīvus, ut *legō,* imperātīvus, ut *lege,* optātīvus, ut *utinam legerem,* coniūnctīvus, ut *cum legam,* īnfīnītīvus, ut *legere.*

[*M.*:] Genera verbōrum quot sunt? 65

[*D.*:] Quattuor.

[*M.*:] Quae?

[*D.*:] Āctīva, passīva, neutra, dēpōnentia.

[*M.*:] Āctīva quae sunt?

acceptā : additā faciunt ex sē passīva : fīunt p.

[*D.*:] Quae in *-ō* dēsinunt et acceptā *-r* litterā faciunt ex 70 sē passīva, ut *legō: legor.*

[*M.*:] Passīva quae sunt?

[*D.*:] Quae in *-r* dēsinunt et eā dēmptā redeunt in āctīva, ut *legor: legō.*

dēmere -mpsisse -mptum ↔addere

[*M.*:] Neutra quae sunt?

[*D.*:] Quae in *-ō* dēsinunt ut āctīva, sed acceptā *-r* litterā Latīna nōn sunt, ut *stō, currō* (*"stor, curror"* nōn dīcimus!).

Latīna : rēcta

[*M.*:] Dēpōnentia quae sunt?

[*D.*:] Quae in *-r* dēsinunt ut passīva, sed eā dēmptā Latīna nōn sunt, ut *luctor, loquor.*

luctārī = certāre complectendīs corporibus

[*M.*:] Numerī verbōrum quot sunt?

[*D.*:] Duo.

[*M.*:] Quī?

certāmen luctantium

[*D.*:] Singulāris, ut *legō*, plūrālis, ut *legimus.*

[*M.*:] Tempora verbōrum quot sunt?

[*D.*:] Tria.

[*M.*:] Quae?

[*D.*:] Praesēns, ut *legō*, praeteritum, ut *lēgī*, futūrum, ut *legam.*

[*M.*:] Quot sunt tempora in dēclīnātiōne verbōrum?

[*D.*:] Quīnque.

[*M.*:] Quae?

[*D.*:] Praesēns, ut *legō*, praeteritum imperfectum, ut *legēbam*, praeteritum perfectum, ut *lēgī*, praeteritum plūsquamperfectum, ut *lēgeram*, futūrum, ut *legam.*

[*M.*:] Persōnae verbōrum quot sunt?

[*D.*:] Trēs.

[*M.*:] Quae?

[*D.*:] Prīma, ut *legō*, secunda, ut *legis*, tertia, ut *legit*.

[*M.*:] Dā dēclīnātiōnem verbī āctīvī! ...

Dē adverbiō

[*M.*:] Adverbium quid est?

ad-icere -iēcisse -iectum
significātiō -ōnis *f* < significāre
ex-plānāre = plānum facere

[*D.*:] Pars ōrātiōnis quae adiecta verbō significātiōnem eius explānat atque implet. ...

[*M.*:] Significātiō adverbiōrum in quō est?

[*D.*:] Sunt aut locī adverbia aut temporis aut numerī aut negandī aut affīrmandī aut dēmōnstrandī aut optandī aut hortandī aut ōrdinis aut interrogandī aut quālitātis aut quantitātis aut dubitandī...

[*M.*:] Dā adverbia locī!

[*D.*:] Ut *hīc* vel *ibi*, *intus* vel *forīs*, *illūc* vel *inde*.

[*M.*:] Dā temporis!

[*D.*:] Ut *hodiē*, *nunc*, *nūper*, *crās*, *aliquandō*; numerī, ut *semel*, *bis*, *ter*; negandī, ut *nōn*; affīrmandī, ut *etiam*, *quidnī*; dēmōnstrandī, ut *ēn*, *ecce*; optandī, ut *utinam*; hortandī, ut *eia*; ōrdinis, ut *deinde*; interrogandī, ut *cūr*, *quārē*, *quamobrem*; quālitātis, ut *doctē*, *pulchrē*, *fortiter*; quantitātis, ut *multum*, *parum*; dubitandī, ut *forsitan*, *fortasse*...

quid-nī = quīn, certē
ēn = ecce
eia! = age!
forsitan = fortasse

[*M.*:] Comparātiō adverbiōrum in quō est?

[*D.*:] In tribus gradibus comparātiōnis: positīvō, comparātīvō, superlātīvō.

[*M.*:] Dā adverbium positīvī gradūs!

[*D.*:] Ut *doctē;* comparātīvī, ut *doctius;* superlātīvī, ut *doctissimē*. ...

Dē participiō

[*M.*:] Participium quid est?

[*D.*:] Pars ōrātiōnis partem capiēns nōminis, partem verbī: nōminis genera et cāsūs, verbī tempora et significātiōnēs, utrīusque numerum...

parti-cipium < pars + capere

[*M.*:] Genera participiōrum quot sunt?

[*D.*:] Quattuor.

[*M.*:] Quae?

[*D.*:] Masculīnum, ut *hic lēctus*, fēminīnum, ut *haec lēcta*, neutrum, ut *hoc lēctum*, commūne tribus generibus, ut *hic* et *haec* et *hoc legēns*.

lēctus -a -um *part perf* < legere

[*M.*:] Cāsūs participiōrum quot sunt?

[*D.*:] Sex.

[*M.*:] Quī?

[*D.*:] Nōminātīvus, ut *hic legēns*, genetīvus, ut *huius legentis*, datīvus, ut *huic legentī*, accūsātīvus, ut *hunc legentem*, vocātīvus, ut *ō legēns*, ablātīvus, ut *ab hōc legente*.

[*M.*:] Tempora participiōrum quot sunt?

[*D.*:] Tria.

[*M.*:] Quae?

[*D.*:] Praesēns, ut *legēns*, praeteritum, ut *lēctus*, futūrum, ut *lēctūrus* et *legendus*. ...

legendus dīcitur 'gerundīvum' vel 'participium futūrī passīvī'

[*M.*:] Numerī participiōrum quot sunt?

[*D.*:] Duo.

[*M.*:] Quī?

[*D.*:] Singulāris, ut *hic legēns*, plūrālis, ut *hī legentēs*. ...

[*M.*:] Dā dēclīnātiōnem participiī! ...

con-iūnctiō -ōnis *f* < coniungere

Dē coniūnctiōne

[*M.*:] Coniūnctiō quid est?

ad-nectere = adiungere, coniungere
ōrdināre = in ōrdine pōnere

[*D.*:] Pars ōrātiōnis adnectēns ōrdinānsque sententiam. ...

potestās = significātiō
speciēs -ēī *f* = fōrma, genus

[*M.*:] Potestās coniūnctiōnum quot speciēs habet?

[*D.*:] Quīnque.

[*M.*:] Quās?

cōpulātīvās, cēt., *v. infrā*

[*D.*:] Cōpulātīvās, disiūnctīvās, explētīvās, causālēs, ratiōnālēs.

cōpulātīvus -a -um < cōpulāre

[*M.*:] Dā cōpulātīvās!

[*D.*:] *Et, -que, atque, ac.*

disiūnctīvus -a -um < disiungere

[*M.*:] Dā disiūnctīvās!

[*D.*:] *Aut, -ve, vel, nec, neque.*

explētīvus -a -um < *explēre* = vacuum implēre

[*M.*:] Dā explētīvās!

[*D.*:] *Quidem, equidem, quoque, autem, tamen.*

causālis -e < causa

[*M.*:] Dā causālēs!

sī-quidem = quoniam
quandō = quoniam

[*D.*:] *Sī, etsī, sīquidem, quandō, nam, namque, etenim, quamobrem...*

ratiōnālis -e < ratiō

[*M.*:] Dā ratiōnālēs!

quā-propter = quamobrem
propter-eā = ideō

[*D.*:] *Itaque, enim, quia, quāpropter, quoniam, ergō, ideō, igitur, scīlicet, proptereā.* ...

Dē praepositiōne

praepositiō -ōnis *f* < prae-pōnere

[*M.*:] Praepositiō quid est?

[*D.*:] Pars ōrātiōnis quae praeposita aliīs partibus ōrātiōnis significātiōnem eārum aut complet aut mūtat aut minuit. ...

[*M.*:] Dā praepositiōnēs cāsūs accūsātīvī!

[*D.*:] *Ad, apud, ante, adversum, cis, citrā, circum, circā, contrā, ergā, extrā, inter, intrā, īnfrā, iūxtā, ob, per, prope, secundum, post, trāns, ultrā, praeter, propter, suprā...*

adversum = adversus
cis = citrā

[*M.*:] Quō modō?

[*D.*:] Dīcimus enim *ad patrem, apud vīllam, ante domum, adversum inimīcōs, cis Rhēnum, citrā forum, circum oppidum, circā templum, contrā hostem, ergā parentēs, extrā vāllum, inter nāvēs, intrā moenia, īnfrā tēctum, iūxtā viam, ob īram, per portam, prope fenestram, secundum rīpam, post tergum, trāns flūmen, ultrā fīnēs, praeter officium, propter rem, suprā caelum. ...*

īra -ae *f* = animus īrātus

[*M.*:] Dā praepositiōnēs cāsūs ablātīvī!

[*D.*:] *Ā, ab, cum, cōram, dē, ē, ex, prō, prae, sine...*

[*M.*:] Quō modō?

[*D.*:] Dīcimus enim *ā domō, ab homine, cum exercitū, cōram testibus, dē forō, ē iūre, ex prōvinciā, prō patriā, prae timōre, sine labōre...*

iūs = locus ubi iūs dīcitur

[*M.*:] Dā utrīusque cāsūs praepositiōnēs!

[*D.*:] *In, sub, super.*

[*M.*:] *In* et *sub* quandō accūsātīvō cāsuī iunguntur?

quandō = cum
significāre = verbīs ostendere

[*D.*:] Quandō 'nōs in locum īre/iisse/itūrōs esse' significāmus.

[*M.*:] Quandō ablātīvō?

[*D.*:] Quandō 'nōs in locō esse/fuisse/futurōs esse' significāmus. ...

vīs = potestās, significātiō
magis A quam B = nōn B sed A
mentiō -ōnis *f*: mentiōnem facere alicuius = loquī dē aliquō

[*M.*:] *Super* quam vim habet?

[*D.*:] Ubi locum significat, magis accūsātīvō cāsuī servit quam ablātīvō; ubi mentiōnem alicuius facimus, ablātīvō tantum, ut

[*Vergilius: Aenēis I.750*]

*multa super Priamō rogitāns, super Hectore multa**

hoc est *dē Priamō, dē Hectore*. ...

inter-iectiō -ōnis *f*

affectus -ūs *m*=id quō afficitur animus (ut laetitia, īra, timor, cēt.)
inconditus -a -um = nōn ōrdinātus, rudis, sine arte

admīrātiō -ōnis *f* < admīrārī
sī (ali)qua (*n pl*) sunt similis -e = quī īdem esse vidētur, eiusdem generis
similia: ut *ō! ei! heus!*

Dē interiectiōne

[*M.*:] Interiectiō quid est?

[*D.*:] Pars ōrātiōnis significāns mentis affectum vōce inconditā. ...

[*M.*:] Significātiō interiectiōnis in quō est?

[*D.*:] Aut laetitiam significāmus, ut *euax!* aut dolōrem, ut *heu!* aut admīrātiōnem, ut *papae!* aut metum, ut *attat!* et sī qua sunt similia.

Aenēis -idis *f*
Aenēās -ae *m*
Carthāgō -inis *f*: urbs Āfricae
Dīdō -ōnis *f*
rēgīna -ae *f* = fēmina rēgnāns

*Versus sūmptus ē librō prīmō illīus carminis cui titulus est *Aenēis*. In hōc carmine Vergilius poēta nārrat dē Aenēā Trōiānō, quī ē patriā fugiēns Carthāginem vēnit, ubi ā Dīdōne rēgīnā receptus est. Ā rēgīnā interrogātus Aenēās nārrat dē bellō Trōiānō et dē fugā suā (v. cap. XXXVII et XXXVIII in alterā *LINGVAE LATINAE* parte).

GRAMMATICA LATINA

Dē dēclīnātiōne

Nōmina, prōnōmina, verba dēclīnantur. Cēterae partēs ōrātiōnis sunt indēclīnābilēs.

Dēclīnātiōnēs nōminum sunt quīnque:

Dēclīnātiō prīma: gen. sing. *-ae*, ut *terr|a -ae*.

Dēclīnātiō secunda: gen. sing. *-ī*, ut *ann|us -ī*, *verb|um -ī*.

Dēclīnātiō tertia: gen. sing. *-is*, ut *sōl -is*, *urb|s -is*.

Dēclīnātiō quārta: gen. sing. *-ūs*, ut *port|us -ūs*, *gen|ū -ūs*.

Dēclīnātiō quīnta: gen. sing. *-ēī/-eī*, ut *di|ēs -ēī*, *rēs reī*.

Dēclīnātiōnēs verbōrum sunt quattuor, 'coniugātiōnēs' quae vocantur:

Coniugātiō prīma: īnf. *-āre/-ārī*, ut *amā|re*, *-rī*.

Coniugātiō secunda: īnf. *-ēre/-ērī*, ut *monē|re*, *-rī*.

Coniugātiō tertia: īnf. *-ere/-ī*, ut *leg|ere*, *-ī*.

Coniugātiō quārta: īnf. *-īre/-īrī*, ut *audī|re*, *-rī*.

Dēclīnātiōnēs:
1. gen. *-ae*
2. gen. *-ī*
3. gen. *-is*
4. gen. *-ūs*
5. gen. *-ēī*

con-iugātiō -ōnis *f*

Coniugātiōnēs:
1. *-āre*
2. *-ēre*
3. *-ere*
4. *-īre*

PENSVM A

Dēclīnā haec vocābula:

[1] *āla*, nōmen fēminīnum I dēclīnātiōnis:

Singulāris: nōm. *haec āl–*, acc. *h– āl–*, gen. *h– āl–*, dat. *h– āl–*, abl. *h– āl–*. Plūrālis: nōm. *h– āl–*, acc. *h– āl–*, gen. *h– āl–*, dat. *h– āl–*, abl. *h– āl–*.

[2] *pēs*, nōmen masculīnum III dēclīnātiōnis:

Singulāris: nōm. *h– pēs*, acc. *h– ped–*, gen. *h– ped–*, dat. *h– ped–*, abl. *h– ped–*. Plūrālis: nōm. *h– ped–*, acc. *h– ped–*, gen. *h– ped–*, dat. *h– ped–*, abl. *h– ped–*.

[3] *ōrāre*, verbum āctīvum I coniugātiōnis (pers. I sing.):

Indicātīvus: praes. *ōr–*, imperf. *ōr–*, fut. *ōr–*, perf. *ōrāv–*, plūsquamperf. *ōrāv–*, fut. perf. *ōrāv–*. Coniūnctīvus: praes. *ōr–*, imperf. *ōr–*, perf. *ōrāv–*, plūsquamperf. *ōrāv–*.

[4] *dīcere*, verbum āctīvum III coniugātiōnis (pers. I sing.):

Indicātīvus: praes. *dīc–*, imperf. *dīc–*, fut. *dīc–*, perf. *dīx–*, plūsquamperf. *dīx–*, fut. perf. *dīx–*. Coniūnctīvus: praes. *dīc–*, imperf. *dīc–*, perf. *dīx–*, plūsquamperf. *dīx–*.

Vocābula nova:
ōrātiō
coniūnctiō
interiectiō
Mūsa
scamnum
sacerdōs
cāsus
comparātiō
quālitās
quantitās
significātiō
speciēs
īra
affectus
admīrātiō
coniugātiō
proprius
appellātīvus
positīvus
optātīvus
cōpulātīvus
disiūnctīvus
explētīvus
causālis
ratiōnālis
inconditus
similis
īnflectere
dēmere
luctārī
explānāre
adnectere
ōrdināre
mentiōnem facere
dumtaxat
tantundem
quidnī
forsitan
sīquidem
quāpropter
propterea
adversum
cis
ēn
eia
euax
papae
attat
coniugātiō
synōnymum

Verba: laedere –isse –um; implicāre –isse –um; plaudere –isse –um; parere –isse –um; retinēre –isse –um; accendere –isse –um; sedēre –isse; nūbere –isse; sapere –isse; dēmere –isse –um; adicere –isse –um.

PENSVM B

Nōmen est pars — quae corpus aut rem significat. *Aemilia* et *Iūlia* nōmina — sunt, *māter* et *fīlia* sunt nōmina —. — nōminum sunt nōminātīvus, genetīvus, cēt. Gradūs — sunt trēs: —, comparātīvus, superlātīvus. Adiectīva quae comparantur — aut quantitātem significant. *Amāre* est verbum prīmae —. Interiectiō mentis —, ut laetitiam vel dolōrem, significat. — est affectus eius quī īrātus est.

Frātrēs geminī tam — sunt quam ōva.

Synōnyma (vocābula quae idem ferē significant): plānum facere et —, fortasse et —, ideō et —, citrā et —, ecce et —.

Contrāria (vocābula quae rēs contrāriās significant): commūnis et —, addere et —.

PENSVM C

Quae sunt partēs ōrātiōnis?
Estne *discipulus* nōmen proprium?
Cāsūs nōminum quī sunt?
Quī sunt gradūs comparātiōnis?
Prōnōmen quid est?
Quot sunt coniugātiōnēs verbōrum?
Num *intus* et *forīs* adverbia temporis sunt?
Cui cāsuī iungitur *inter* praepositiō?
Quae praepositiōnēs ablātīvō iunguntur?
Quibus cāsibus iungitur *in* praepositiō?
Interiectiō quid significat?

TABVLA DECLINATIONVM

NOMINA

Dēclīnātiō I

	sing	*plūr*
nōm	hōr|a	hōr|ae
acc	hōr|am	hōr|ās
gen	hōr|ae	hōr|ārum
dat	hōr|ae	hōr|īs
abl	hōr|ā	hōr|īs

Dēclīnātiō II

	sing	*plūr*
nōm	serv|us	serv|ī
acc	serv|um	serv|ōs
gen	serv|ī	serv|ōrum
dat	serv|ō	serv|īs
abl	serv|ō	serv|īs

	sing	*plūr*
nōm	liber	libr|ī
acc	libr|um	libr|ōs
gen	libr|ī	libr|ōrum
dat	libr|ō	libr|īs
abl	libr|ō	libr|īs

	sing	*plūr*
nōm	verb|um	verb|a
acc	verb|um	verb|a
gen	verb|ī	verb|ōrum
dat	verb|ō	verb|īs
abl	verb|ō	verb|īs

Dēclīnātiō III

nōm	sōl	sōl|ēs	leō	leōn|ēs	vōx	vōc|ēs	nōmen	nōmin|a
acc	sōl|em	sōl|ēs	leōn|em	leōn|ēs	vōc|em	vōc|ēs	nōmen	nōmin|a
gen	sōl|is	sōl|um	leōn|is	leōn|um	vōc|is	vōc|um	nōmin|is	nōmin|um
dat	sōl|ī	sōl|ibus	leōn|ī	leōn|ibus	vōc|ī	vōc|ibus	nōmin|ī	nōmin|ibus
abl	sōl|e	sōl|ibus	leōn|e	leōn|ibus	vōc|e	vōc|ibus	nōmin|e	nōmin|ibus
nōm	nāv|is	nāv|ēs	urb|s	urb|ēs	mōns	mont|ēs	mar|e	mar|ia
acc	nāv|em	nāv|ēs	urb|em	urb|ēs	mont|em	mont|ēs	mar|e	mar|ia
gen	nāv|is	nāv|ium	urb|is	urb|ium	mont|is	mont|ium	mar|is	mar|ium
dat	nāv|ī	nāv|ibus	urb|ī	urb|ibus	mont|ī	mont|ibus	mar|ī	mar|ibus
abl	nāv|e	nāv|ibus	urb|e	urb|ibus	mont|e	mont|ibus	mar|ī	mar|ibus

Dēclīnātiō IV

nōm	cās|us	cās|ūs	corn|ū	corn|ua	di|ēs	di|ēs	r|ēs	r|ēs
acc	cās|um	cās|ūs	corn|ū	corn|ua	di|em	di|ēs	r|em	r|ēs
gen	cās|ūs	cās|uum	corn|ūs	corn|uum	di|ēī	di|ērum	r|eī	r|ērum
dat	cās|uī	cās|ibus	corn|ū	corn|ibus	di|ēī	di|ēbus	r|eī	r|ēbus
abl	cās|ū	cās|ibus	corn|ū	corn|ibus	di|ē	di|ēbus	r|ē	r|ēbus

Dēclīnātiō V

Dēclīnātiō I et II: adiectīva

		m	*f*	*n*	*m*	*f*	*n*
sing	*nōm*	magn|us	magn|a	magn|um	nūll|us	nūll|a	nūll|um
	acc	magn|um	magn|am	magn|um	nūll|um	nūll|am	nūll|um
	gen	magn|ī	magn|ae	magn|ī	nūll|īus	nūll|īus	nūll|īus
	dat	magn|ō	magn|ae	magn|ō	nūll|ī	nūll|ī	nūll|ī
	abl	magn|ō	magn|ā	magn|ō	nūll|ō	nūll|ā	nūll|ō
plūr	*nōm*	magn|ī	magn|ae	magn|a	nūll|ī	nūll|ae	nūll|a
	acc	magn|ōs	magn|ās	magn|a	nūll|ōs	nūll|ās	nūll|a
	gen	magn|ōrum	magn|ārum	magn|ōrum	nūll|ōrum	nūll|ārum	nūll|ōrum
	dat	magn|īs	magn|īs	magn|īs	nūll|īs	nūll|īs	nūll|īs
	abl	magn|īs	magn|īs	magn|īs	nūll|īs	nūll|īs	nūll|īs

Dēclīnātiō III: adiectīva

		m/f	*n*	*m/f*	*n*	*m/f*	*n*
sing	*nōm*	grav|is	grav|e	ingēns	ingēns	melior	melius
	acc	grav|em	grav|e	ingent|em	ingēns	meliōr|em	melius
	gen	grav|is	grav|is	ingent|is	ingent|is	meliōr|is	meliōr|is
	dat	grav|ī	grav|ī	ingent|ī	ingent|ī	meliōr|ī	meliōr|ī
	abl	grav|ī	grav|ī	ingent|ī	ingent|ī	meliōr|e	meliōr|e
plūr	*nōm*	grav|ēs	grav|ia	ingent|ēs	ingent|ia	meliōr|ēs	meliōr|a
	acc	grav|ēs	grav|ia	ingent|ēs	ingent|ia	meliōr|ēs	meliōr|a
	gen	grav|ium	grav|ium	ingent|ium	ingent|ium	meliōr|um	meliōr|um
	dat	grav|ibus	grav|ibus	ingent|ibus	ingent|ibus	meliōr|ibus	meliōr|ibus
	abl	grav|ibus	grav|ibus	ingent|ibus	ingent|ibus	meliōr|ibus	meliōr|ibus

Comparātiō

positīvus	long|us	brev|is	audāx -āc|is	aeger -gr|a -gr|um
comparātīvus	long|ior -ius	brev|ior -ius	audāc|ior -ius	aegr|ior -ius
superlātīvus	long|issim|us	brev|issim|us	audāc|issim|us	aeger|rim|us

NVMERI

1 ūn|us	10 decem	100 centum	1000 mīlle	11 ūndecim
2 du|o -ae -o	20 vīgintī	200 ducent|ī	2000 du|o mīl|ia	12 duodecim
3 tr|ēs -ia	30 trīgintā	300 trecent|ī	3000 tr|ia mīl|ia	13 trēdecim
4 quattuor	40 quadrāgintā	400 quadringent|ī	cēt.	14 quattuordecim
5 quīnque	50 quīnquāgintā	500 quīngent|ī		15 quīndecim
6 sex	60 sexāgintā	600 sescent|ī	9745 novem mīlia	16 sēdecim
7 septem	70 septuāgintā	700 septingent|ī	septingentī	17 septendecim
8 octō	80 octōgintā	800 octingent|ī	quadrāgintā	18 duodēvīgintī
9 novem	90 nōnāgintā	900 nōngent|ī	quīnque	19 ūndēvīgintī

1 prīm|us	10 decim|us	100 centēsim|us	1000 mīllēsim|us
2 secund|us	20 vīcēsim|us	200 ducentēsim|us	2000 bis mīllēsim|us
3 terti|us	30 trīcēsim|us	300 trecentēsim|us	cēt.
4 quārt|us	40 quadrāgēsim|us	400 quadringentēsim|us	11 ūndecim|us
5 quīnt|us	50 quīnquāgēsim|us	500 quīngentēsim|us	12 duodecim|us
6 sext|us	60 sexāgēsim|us	600 sescentēsim|us	13 terti|us decim|us
7 septim|us	70 septuāgēsim|us	700 septingentēsim|us	cēt.
8 octāv|us	80 octōgēsim|us	800 octingentēsim|us	18 duodēvīcēsim|us
9 nōn|us	90 nōnāgēsim|us	900 nōngentēsim|us	19 ūndēvīcēsim|us

PRONOMINA

Persōnālia

nōm	ego	tū	—	nōs	vōs
acc	mē	tē	sē	nōs	vōs
dat	mihi	tibi	sibi	nōbīs	vōbīs
abl	mē	tē	sē	nōbīs	vōbīs

Possessīva

me|us -a -um	noster -tr|a -tr|um
tu|us -a -um	vester -tr|a -tr|um
su|us -a -um	

Dēmōnstrātīva

		m	*f*	*n*	*m*	*f*	*n*	*m*	*f*	*n*
sing	*nōm*	i|s	e|a	i|d	hic	haec	hoc	ill|e	ill|a	ill|ud
	acc	e|um	e|am	i|d	hunc	hanc	hoc	ill|um	ill|am	ill|ud
	gen	e|ius	e|ius	e|ius	huius	huius	huius	ill|īus	ill|īus	ill|īus
	dat	e|ī	e|ī	e|ī	huic	huic	huic	ill|ī	ill|ī	ill|ī
	abl	e|ō	e|ā	e|ō	hōc	hāc	hōc	ill|ō	ill|ā	ill|ō
plūr	*nōm*	i|ī	e|ae	e|a	hī	hae	haec	ill|ī	ill|ae	ill|a
	acc	e|ōs	e|ās	e|a	hōs	hās	haec	ill|ōs	ill|ās	ill|a
	gen	e|ōrum	e|ārum	e|ōrum	hōrum	hārum	hōrum	ill|ōrum	ill|ārum	ill|ōrum
	dat	i|īs	i|īs	i|īs	hīs	hīs	hīs	ill|īs	ill|īs	ill|īs
	abl	i|īs	i|īs	i|īs	hīs	hīs	hīs	ill|īs	ill|īs	ill|īs

Interrogātīvum/relātīvum

	singulāris			*plūrālis*		
	m	*f*	*n*	*m*	*f*	*n*
nōm	qu|is/qu|ī	qu|ae	qu|id/qu|od	qu|ī	qu|ae	qu|ae
acc	qu|em	qu|am	qu|id/qu|od	qu|ōs	qu|ās	qu|ae
gen	cu|ius	cu|ius	cu|ius	qu|ōrum	qu|ārum	qu|ōrum
dat	cu|i	cu|i	cu|i	qu|ibus	qu|ibus	qu|ibus
abl	qu|ō	qu|ā	qu|ō	qu|ibus	qu|ibus	qu|ibus

VERBA

[A] *Āctīvum*

Īnfinītīvus

praes	amā|re	monē|re	leg|*e*re	audī|re	es|se
perf	amāv|isse	monu|isse	lēg|isse	audīv|isse	fu|isse
fut	amāt|ūr|um esse	monit|ūr|um esse	lēct|ūr|um esse	audīt|ūr|um esse	fut|ūr|um esse

Imperātīvus

sing	amā	monē	leg|*e*	audī	es
plūr	amā|te	monē|te	leg|*i*te	audī|te	es|te

Indicātīvus

praesēns

sing	*1*	amō	mone|ō	leg|ō	audi|ō	s|*u*m
	2	amā|s	monē|s	leg|*i*s	audī|s	es
	3	ama|t	mone|t	leg|*i*t	audi|t	es|t
plūr	*1*	amā|mus	monē|mus	leg|*i*mus	audī|mus	s|*u*mus
	2	amā|tis	monē|tis	leg|*i*tis	audī|tis	es|tis
	3	ama|nt	mone|nt	leg|*u*nt	audi|*u*nt	s|*u*nt

imperfectum

sing	*1*	amā|ba|m	monē|ba|m	leg|ēba|m	audi|ēba|m	era|m
	2	amā|bā|s	monē|bā|s	leg|ēbā|s	audi|ēbā|s	erā|s
	3	amā|ba|t	monē|ba|t	leg|ēba|t	audi|ēba|t	era|t
plūr	*1*	amā|bā|mus	monē|bā|mus	leg|ēbā|mus	audi|ēbā|mus	erā|mus
	2	amā|bā|tis	monē|bā|tis	leg|ēbā|tis	audi|ēbā|tis	erā|tis
	3	amā|ba|nt	monē|ba|nt	leg|ēba|nt	audi|ēba|nt	era|nt

futūrum

sing	*1*	amā|b|ō	monē|b|ō	leg|a|m	audi|a|m	er|ō
	2	amā|b|*i*s	monē|b|*i*s	leg|ē|s	audi|ē|s	er|*i*s
	3	amā|b|*i*t	monē|b|*i*t	leg|e|t	audi|e|t	er|*i*t
plūr	*1*	amā|b|*i*mus	monē|b|*i*mus	leg|ē|mus	audi|ē|mus	er|*i*mus
	2	amā|b|*i*tis	monē|b|*i*tis	leg|ē|tis	audi|ē|tis	er|*i*tis
	3	amā|b|*u*nt	monē|b|*u*nt	leg|e|nt	audi|e|nt	er|*u*nt

perfectum

sing	*1*	amāv|ī	monu|ī	lēg|ī	audīv|ī	fu|ī
	2	amāv|istī	monu|istī	lēg|istī	audīv|istī	fu|istī
	3	amāv|it	monu|it	lēg|it	audīv|it	fu|it
plūr	*1*	amāv|imus	monu|imus	lēg|imus	audīv|imus	fu|imus
	2	amāv|istis	monu|istis	lēg|istis	audīv|istis	fu|istis
	3	amāv|ērunt	monu|ērunt	lēg|ērunt	audīv|ērunt	fu|ērunt

plūsquamperfectum

sing	*1*	amāv|era|m	monu|era|m	lēg|era|m	audīv|era|m	fu|era|m
	2	amāv|erā|s	monu|erā|s	lēg|erā|s	audīv|erā|s	fu|erā|s
	3	amāv|era|t	monu|era|t	lēg|era|t	audīv|era|t	fu|era|t
plūr	*1*	amāv|erā|mus	monu|erā|mus	lēg|erā|mus	audīv|erā|mus	fu|erā|mus
	2	amāv|erā|tis	monu|erā|tis	lēg|erā|tis	audīv|erā|tis	fu|erā|tis
	3	amāv|era|nt	monu|era|nt	lēg|era|nt	audīv|era|nt	fu|era|nt

futūrum perfectum

sing	*1*	amāv|er|ō	monu|er|ō	lēg|er|ō	audīv|er|ō	fu|er|ō
	2	amāv|eri|s	monu|eri|s	lēg|eri|s	audīv|eri|s	fu|eri|s
	3	amāv|eri|t	monu|eri|t	lēg|eri|t	audīv|eri|t	fu|eri|t
plūr	*1*	amāv|eri|mus	monu|eri|mus	lēg|eri|mus	audīv|eri|mus	fu|eri|mus
	2	amāv|eri|tis	monu|eri|tis	lēg|eri|tis	audīv|eri|tis	fu|eri|tis
	3	amāv|eri|nt	monu|eri|nt	lēg|eri|nt	audīv|eri|nt	fu|eri|nt

Coniūnctīvus

praesēns

sing	*1*	am	e	m		mone	a	m		leg	a	m		audi	a	m		s	i	m
	2	am	ē	s		mone	ā	s		leg	ā	s		audi	ā	s		s	ī	s
	3	am	e	t		mone	a	t		leg	a	t		audi	a	t		s	i	t
plūr	*1*	am	ē	mus		mone	ā	mus		leg	ā	mus		audi	ā	mus		s	ī	mus
	2	am	ē	tis		mone	ā	tis		leg	ā	tis		audi	ā	tis		s	ī	tis
	3	am	e	nt		mone	a	nt		leg	a	nt		audi	a	nt		s	i	nt

imperfectum

sing	*1*	amā	re	m		monē	re	m		leg	*e*re	m		audī	re	m		es	se	m
	2	amā	rē	s		monē	rē	s		leg	*e*rē	s		audī	rē	s		es	sē	s
	3	amā	re	t		monē	re	t		leg	*e*re	t		audī	re	t		es	se	t
plūr	*1*	amā	rē	mus		monē	rē	mus		leg	*e*rē	mus		audī	rē	mus		es	sē	mus
	2	amā	rē	tis		monē	rē	tis		leg	*e*rē	tis		audī	rē	tis		es	sē	tis
	3	amā	re	nt		monē	re	nt		leg	*e*re	nt		audī	re	nt		es	se	nt

perfectum

sing	*1*	amāv	eri	m		monu	eri	m		lēg	eri	m		audīv	eri	m		fu	eri	m
	2	amāv	eri	s		monu	eri	s		lēg	eri	s		audīv	eri	s		fu	eri	s
	3	amāv	eri	t		monu	eri	t		lēg	eri	t		audīv	eri	t		fu	eri	t
plūr	*1*	amāv	eri	mus		monu	eri	mus		lēg	eri	mus		audīv	eri	mus		fu	eri	mus
	2	amāv	eri	tis		monu	eri	tis		lēg	eri	tis		audīv	eri	tis		fu	eri	tis
	3	amāv	eri	nt		monu	eri	nt		lēg	eri	nt		audīv	eri	nt		fu	eri	nt

plūsquamperfectum

sing	*1*	amāv	isse	m		monu	isse	m		lēg	isse	m		audīv	isse	m		fu	isse	m
	2	amāv	issē	s		monu	issē	s		lēg	issē	s		audīv	issē	s		fu	issē	s
	3	amāv	isse	t		monu	isse	t		lēg	isse	t		audīv	isse	t		fu	isse	t
plūr	*1*	amāv	issē	mus		monu	issē	mus		lēg	issē	mus		audīv	issē	mus		fu	issē	mus
	2	amāv	issē	tis		monu	issē	tis		lēg	issē	tis		audīv	issē	tis		fu	issē	tis
	3	amāv	isse	nt		monu	isse	nt		lēg	isse	nt		audīv	isse	nt		fu	isse	nt

Participium

praes	amā	ns -ant	is		monē	ns -ent	is		leg	ēns -ent	is		audi	ēns -ent	is		—			
fut	amāt	ūr	us		monit	ūr	us		lēct	ūr	us		audīt	ūr	us		fut	ūr	us	
Supīna	amāt	um -ū			monit	um -ū			lēct	um -ū			audīt	um -ū						

[B] *Passīvum*

Īnfīnītīvus

praes	amā	rī			monē	rī			leg	ī			audī	rī						
perf	amāt	um esse			monit	um esse			lēct	um esse			audīt	um esse						
fut	amātum īrī				monitum īrī				lēctum īrī				audītum īrī							

Indicātīvus

praesēns

sing	*1*	am	or			mone	or			leg	or			audi	or					
	2	amā	ris			monē	ris			leg	*e*ris			audī	ris					
	3	amā	tur			monē	tur			leg	*i*tur			audī	tur					
plūr	*1*	amā	mur			monē	mur			leg	*i*mur			audī	mur					
	2	amā	minī			monē	minī			leg	*i*minī			audī	minī					
	3	ama	ntur			mone	ntur			leg	*u*ntur			audi	*u*ntur					

imperfectum

sing	*1*	amā	ba	r		monē	ba	r		leg	ēba	r		audi	ēba	r				
	2	amā	bā	ris		monē	bā	ris		leg	ēbā	ris		audi	ēbā	ris				
	3	amā	bā	tur		monē	bā	tur		leg	ēbā	tur		audi	ēbā	tur				
plūr	*1*	amā	bā	mur		monē	bā	mur		leg	ēbā	mur		audi	ēbā	mur				
	2	amā	bā	minī		monē	bā	minī		leg	ēbā	minī		audi	ēbā	minī				
	3	amā	ba	ntur		monē	ba	ntur		lēg	ēba	ntur		audi	ēba	ntur				

futūrum

sing	*1* amā|b|or	monē|b|or	leg|a|r	audi|a|r
	2 amā|b|eris	monē|b|eris	leg|ē|ris	audi|ē|ris
	3 amā|b|itur	monē|b|itur	leg|ē|tur	audi|ē|tur
plūr	*1* amā|b|imur	monē|b|imur	leg|ē|mur	audi|ē|mur
	2 amā|b|iminī	monē|b|iminī	leg|ē|minī	audi|ē|minī
	3 amā|b|untur	monē|b|untur	leg|e|ntur	audi|e|ntur

perfectum

sing	*1* amāt|us sum	monit|us sum	lēct|us sum	audīt|us sum
	2 3 es est	es est	es est	es est
plūr	*1* amāt|ī sumus	moni|tī sumus	lēct|ī sumus	audīt|ī sumus
	2 3 estis sunt	estis sunt	estis sunt	estis sunt

plūsquamperfectum

sing	*1* amāt|us eram	monit|us eram	lēct|us eram	audīt|us eram
	2 3 erās erat	erās erat	erās erat	erās erat
plūr	*1* amāt|ī erāmus	monit|ī erāmus	lēct|ī erāmus	audīt|ī erāmus
	2 3 erātis erant	erātis erant	erātis erant	erātis erant

futūrum perfectum

sing	*1* amāt|us erō	monit|us erō	lēct|us erō	audīt|us erō
	2 3 eris erit	eris erit	eris erit	eris erit
plūr	*1* amāt|ī erimus	monit|ī erimus	lēct|ī erimus	audīt|ī erimus
	2 3 eritis erunt	eritis erunt	eritis erunt	eritis erunt

Coniūnctīvus

praesēns

sing	*1* am|e|r	mone|a|r	leg|a|r	audi|a|r
	2 am|ē|ris	mone|ā|ris	leg|ā|ris	audi|ā|ris
	3 am|ē|tur	mone|ā|tur	leg|ā|tur	audi|ā|tur
plūr	*1* am|ē|mur	mone|ā|mur	leg|ā|mur	audi|ā|mur
	2 am|ē|minī	mone|ā|minī	leg|ā|minī	audi|ā|minī
	3 am|e|ntur	mone|a|ntur	leg|a|ntur	audi|a|ntur

imperfectum

sing	*1* amā|re|r	monē|re|r	leg|*ere*|r	audī|re|r
	2 amā|rē|ris	monē|rē|ris	leg|*erē*|ris	audī|rē|ris
	3 amā|rē|tur	monē|rē|tur	leg|*erē*|tur	audī|rē|tur
plūr	*1* amā|rē|mur	monē|rē|mur	leg|*erē*|mur	audī|rē|mur
	2 amā|rē|minī	monē|rē|minī	leg|*erē*|minī	audī|rē|minī
	3 amā|re|ntur	monē|re|ntur	leg|*ere*|ntur	audī|re|ntur

perfectum

sing	*1* amāt|us sim	monit|us sim	lēct|us sim	audīt|us sim
	2 3 sīs sit	sīs sit	sīs sit	sīs sit
plūr	*1* amāt|ī sīmus	monit|ī sīmus	lēct|ī sīmus	audīt|ī sīmus
	2 3 sītis sint	sītis sint	sītis sint	sītis sint

plūsquamperfectum

sing	*1* amāt|us essem	monit|us essem	lēct|us essem	audīt|us essem
	2 3 essēs esset	essēs esset	essēs esset	essēs esset
plūr	*1* amāt|ī essēmus	monit|ī essēmus	lēct|ī essēmus	audīt|ī essēmus
	2 3 essētis essent	essētis essent	essētis essent	essētis essent

Participium

perf	amāt|us	monit|us	lēct|us	audīt|us

Gerundīvum

	ama|nd|us	mone|nd|us	leg|end|us	audi|end|us

KALENDARIVM ROMANVM

	Iānuārius *Augustus* *December* (diēs XXXI)	*Aprīlis* *Iūnius* *September* *November* (diēs XXX)	*Februārius* (diēs XXVIII)	*Mārtius* *Māius* *Iūlius* *Octōber* (diēs XXXI)
1.	kalendae	kalendae	kalendae	kalendae
2.		a.d. IV nōn.		a.d. VI nōn.
3.		a.d. III nōn.		a.d. V nōn.
4.		prīdiē nōn.		a.d. IV nōn.
5.		nōnae		a.d. III nōn.
6.		a.d. VIII īd.		prīdiē nōn.
7.		a.d. VII īd.		nōnae
8.		a.d. VI īd.		a.d. VIII īd.
9.		a.d. V īd.		a.d. VII īd.
10.		a.d. IV īd.		a.d. VI īd.
11.		a.d. III īd.		a.d. V īd.
12.		prīdiē īd.		a.d. IV īd.
13.	īdūs	īdūs	īdūs	a.d. III īd.
14.	a.d. XIX kal.	a.d. XVIII kal.	a.d. XVI kal.	prīdiē īd.
15.	a.d. XVIII kal.	a.d. XVII kal.	a.d. XV kal.	īdūs
16.	a.d. XVII kal.	a.d. XVI kal.	a.d. XIV kal.	a.d. XVII kal.
17.	a d. XVI kal.	a.d. XV kal.	a.d. XIII kal.	a.d. XVI kal.
18.	a.d. XV kal.	a.d. XIV kal.	a.d. XII kal.	a.d. XV kal.
19.	a.d. XIV kal.	a.d. XIII kal.	a.d. XI kal.	a.d. XIV kal.
20.	a.d. XIII kal.	a.d. XII kal.	a.d. X kal.	a.d. XIII kal.
21.	a.d. XII kal.	a.d. XI kal.	a.d. IX kal.	a.d. XII kal.
22.	a.d. XI kal.	a.d. X kal.	a.d. VIII kal.	a.d. XI kal.
23.	a.d. X kal.	a.d. IX kal.	a.d. VII kal.	a.d. X kal.
24.	a.d. IX kal.	a.d. VIII kal.	a.d. VI kal.	a.d. IX kal.
25.	a.d. VIII kal.	a.d. VII kal.	a.d. V kal.	a.d. VIII kal.
26.	a.d. VII kal.	a.d. VI kal.	a.d. IV kal.	a.d. VII kal.
27.	a.d. VI kal.	a.d. V kal.	a.d. III kal.	a.d. VI kal.
28.	a.d. V kal.	a.d. IV kal.	prīdiē kal.	a.d. V kal.
29.	a.d. IV kal.	a.d. III kal.	Mārtiās	a.d. IV kal.
30.	a.d. III kal.	prīdiē kal.		a.d. III kal.
31.	prīdiē kal.	Māiās		prīdiē kal.
	Februāriās	Iūliās		Aprīlēs
	Septembrēs	Octōbrēs		Iūniās
	Iānuāriās	Decembrēs		Augustās
				Novembrēs

INDEX VOCABVLORVM

[*Numerī crassī* **1.2.3**... *capitula, numerī tenuēs* 1,2,3... *versūs significant*]

A
ā **6**.34 v. ab
ab/ā *prp*+*abl* **5**.48; **6**.10,34,62; **12**.125; **13**.13,36,40; **16**.51; **33**.23
ab-dūcere **31**.164
ab-errāre **26**.128
ab-esse ā-fuisse **4**.20
ab-icere **29**.145
ab-īre **8**.18
ablātīvus -ī *m* **5**.126
abs **27**.80 v. ab
absēns -entis **17**.89
abs-tinēre **29**.87
ac **12**.59 v. atque
ac-cēdere **22**.67
accendere **34**.84,110
accidere **26**.112; +*dat* **26**.136
ac-cipere **8**.19,116; **19**.80
ac-cubāre **30**.73
ac-cumbere **30**.96
ac-currere -risse **9**.75
accūsāre **4**.48; +*gen* **29**.137
accūsātīvus -ī *m* **3**.88
ācer -cris -cre **34**.47
acerbus -a -um **30**.131
aciēs -ēī *f* **33**.15
āctīvus -a -um **6**.127; **35**.69
acūtus -a -um **30**.105
ad *prp*+*acc* **6**.19; **8**.81; **13**.36; **14**.43; **16**.7; **33**.132
ad-dere **18**.104
ad-esse af-fuisse **4**.20; +*dat* **32**.117
ad-hūc **14**.34
ad-icere **29**.5; **30**.166
adiectīvum -ī *n* **12**.158
ad-īre **7**.62; **16**.28; **29**.5
ad-iungere **33**.5
ad-iuvāre **32**.54
ad-mīrārī **28**.179
admīrātiō -ōnis *f* **35**.220
ad-mittere **22**.9
ad-nectere **35**.157
ad-ōrāre **28**.25
adulēscēns -entis *f* **19**.39
ad-vehere **20**.122
ad-venīre **7**.30
adverbium -ī *n* **18**.198; **35**.103
adversum *prp*+*acc* **35**.182,188
adversus -a -um **32**.57,99
adversus *prp*+*acc* **20**.65; **32**.23
aedificāre **25**.12
aedificium -ī *n* **25**.29
aeger -gra -grum **11**.24,29
aegrōtāre **11**.48
aegrōtus -a -um **24**.1
aequē **17**.147; **18**.78; **20**.27
aequinoctium -ī *n* **13**.77
aequus -a -um **13**.43,77; **29**.180
āēr -eris *m* **10**.10,53
aestās -ātis *f* **13**.80,81
aestimāre **29**.6
aetās -ātis *f* **33**.23,26
affectus -ūs *m* **35**.216
af-ferre at-tulisse al-lātum **14**.42; **23**.140
af-ficere **29**.45,46
affīrmāre **34**.126
ager -grī *m* **27**.5; **30**.124
agere ēgisse āctum **5**.82; **24**.19; **27**.14; age-ite **5**.87,99
agmen -inis *n* **33**.10
agnus -ī *m* **25**.5
agricola -ae *m* **27**.10
ain' **21**.71
āiō ais ait āiunt **21**.68; **24**.61
āla -ae *f* **10**.12
albus -a -um **9**.3
alere -uisse altum **20**.12,97
aliēnus -a -um **20**.14,122
ali-quandō **32**.131,157
ali-quantum **31**.52
ali-quī -qua -quod **24**.59; **25**.17; **26**.85; **31**.17
ali-quis -quid **21**.65,91
ali-quot **32**.29
aliter **24**.22
alius -a -ud **8**.5,33; aliī... aliī **10**.33
allicere -iō -ēxisse -ectum **29**.94
alter -era -erum **14**.11,78; **16**.77,113; **19**.5,8
altum -ī *n* **16**.65
altus -a -um **12**.100,141; **16**.44
amāns -antis *m* **19**.18
amāre **5**.21,23
ambulāre **6**.24
amīca -ae *f* **6**.78
amīcitia -ae *f* **32**.112
amīcus -ī *m* **6**.43,44
amīcus -a -um **17**.79
ā-mittere **29**.24
amnis -is *m* **33**.70
amoenus -a -um **27**.5
amor -ōris *m* **19**.19
amphitheātrum -ī *n* **32**.214
an **14**.13; **17**.118; **29**.67
ancilla -ae *f* **2**.31
angustus -a -um **21**.16
anima -ae *f* **10**.52; **28**.89
anim-ad-vertere **18**.131
animal -ālis *n* **10**.54
animus -ī *m* **28**.9,144
annus -ī *m* **13**.1
ante *prp*+*acc* **6**.32; **13**.44; **19**.38; **25**.113; *adv* **16**.148
anteā **22**.11
ante-hāc **23**.93
ante-quam **15**.27
antīquus -a -um **2**.81; **13**.19
ānulus -ī *m* **8**.7
anus -ūs *f* **34**.187
aperīre -uisse -rtum **7**.14
apertus -a -um **14**.15; **30**.152
apis -is *f* **18**.110
appārēre **29**.111; -et **33**.44
appellāre **16**.3; **20**.28
appellātīvus -a -um **35**.11
ap-pōnere **11**.89; **30**.100
ap-portāre **30**.133
ap-prehendere **28**.50
ap-propinquāre **29**.185
Aprīlis -is *m* **13**.3
apud *prp*+*acc* **6**.37; **11**.32
aqua -ae *f* **5**.28
aquila -ae *f* **10**.9; **33**.9
arānea -ae *f* **34**.154
arāre **27**.9
arātor -ōris *m* **27**.13
arātrum -ī *n* **27**.12
arbitrārī **22**.94
arbor -oris *f* **9**.21
arcessere -īvisse -ītum **11**.43
arcus -ūs *m* **12**.91
arduus -a -um **33**.51
argenteus -a -um **30**.90
argentum -ī *n* **30**.91
arma -ōrum *n* **12**.34
armāre **32**.176
armātus -a -um **12**.35
ars artis *f* **26**.49,72
as assis *m* **17**.97; **34**.114
a-scendere -disse **10**.94; **11**.46
asinīnus -a -um **31**.49
asinus -ī *m* **10**.1

a-spergere -sisse -sum **30**.110
a-spicere **8**.15,39
at **15**.25
āter -tra -trum **16**.97
atque/ac **11**.41; **12**.59; **13**.79; **18**.143; **20**.142; **32**.211
ātrium -ī *n* **5**.27
attentus -a -um **28**.109
audācia -ae *f* **32**.13
audāx -ācis **26**.22,54; **32**.24
audēre ausum esse **10**.88; **31**.169
audīre **3**.42; **6**.83; **10**.50
au-ferre abs-tulisse ab-lātum **31**.52
au-fugere **31**.51
augēre -xisse -ctum **19**.96
Augustus -ī *m* **13**.4
aureus -a -um **22**.17; *m* **22**.108
aurīga -ae *m* **34**.40
auris -is *f* **11**.6
aurum -ī *n* **22**.15
aut **8**.14,108; aut... aut **18**.7
autem **6**.42
autumnus -ī *m* **13**.81,85
auxilium -ī *n* **25**.65; *pl* **33**.5
avārus -a -um **31**.22
ā-vertere **23**.51; **29**.163
avis -is *f* **10**.9
avunculus -ī *m* **12**.19

B
baculum -ī *n* **4**.62
bālāre **9**.70
balneum -ī *n* **30**.1,3
barbarus -a -um **12**.61; *m* **14**.76
bāsium -ī *n* **34**.118
beātus -a -um **19**.86
bellum -ī *n* **12**.76
bellus -a -um **34**.58
bene **11**.14; b. velle **31**.29
beneficium -ī *n* **29**.141
bēstia -ae *f* **10**.1
bēstiola -ae *f* **18**.110
bibere -bisse **9**.9
bīnī -ae -a **30**.74
bis **18**.126
bonum -ī *n* **30**.52
bonus -a -um **4**.68; **11**.14
bōs bovis *m/f* **21**.31
bracchium -ī *n* **11**.1
brevī **25**.77
brevis -e **12**.50; **13**.28

C
cachinnus -ī *m* **34**.151
cadere cecidisse **10**.103; **16**.102
caecus -a -um **28**.31
caedere cecīdisse caesum **33**.18
caedēs -is *f* **33**.133
caelum -ī *n* **9**.25; *pl* **28**.171
calamus -ī *m* **18**.161
calceus -ī *m* **14**.85
calidus -a -um **13**.87; *f* **30**.114
calor -ōris *m* **27**.122
campus -ī *m* **9**.1
candidus -a -um **21**.4; **34**.150
canere cecinisse **10**.80; **14**.19; **29**.66; **34**.70
canis -is *m/f* **9**.2; **10**.77
cantāre **3**.3; **34**.163
cantus -ūs *m* **29**.73
capere -iō cēpisse captum **10**.2, 78; **26**.6; **29**.90,148; **32**.13
capillus -ī *m* **11**.6
capitulum -ī *n* **1**.73
caput -itis *n* **11**.5; **12**.65
carcer -eris *m* **26**.25
cardō -inis *m* **22**.2
carēre +*abl* **20**.6
carmen -inis *n* **29**.90; **32**.102
carō carnis *f* **30**.104
carpere -psisse -ptum **5**.57; **27**.168
cārus -a -um **32**.21,85
castra -ōrum *n* **12**.93
cāsus -ūs *m* **26**.126; **35**.9,24
catēna -ae *f* **22**.11
cauda -ae *f* **10**.15
causa -ae *f* **21**.37; -ā +*gen* **26**.135; **29**.139
causālis -e **35**.162,170
cautus -a -um **26**.81
cavēre cāvisse **22**.60,65; c. nē **27**.173
cēdere cessisse **22**.73
celer -eris -ere **26**.4
celsus -a -um **29**.93
cēna -ae *f* **30**.9
cēnāre **30**.40
cēnsēre -uisse cēnsum **27**.63
centēsimus -a -um **17**.31
centum **2**.39
cēra -ae *f* **18**.108,109
cerebrum -ī *n* **11**.9
cernere **16**.69; **32**.114
certāmen -inis *n* **34**.15
certāre **34**.12
certē **18**.73
certō *adv* **24**.59
certus -a -um **17**.118,121; **25**.43; **32**.114
cessāre **28**.7
cēterī -ae -a **2**.59; *sg* **13**.51
cēterum *adv* **24**.76
charta -ae *f* **18**.161
cibus -ī *m* **9**.6; **30**.9
cingere cīnxisse cīnctum **27**.6
-cipere -iō -cēpisse -ceptum < capere
circā *prp+acc* **27**.51
circēnsis -e **34**.37; *m pl* **34**.39
circiter **30**.10
circum *prp+acc* **6**.14
circum-dare **33**.20
circum-silīre **34**.96
circus -ī *m* **34**.36
cis *prp+acc* **35**.182,188
citerior -ius **33**.132
citrā *prp+acc* **33**.87
cīvis -is *m/f* **25**.67; **28**.154
clāmāre **8**.36
clāmor -ōris *m* **9**.79
clārus -a -um **13**.48; **29**.93
classis -is *f* **32**.23
claudere -sisse -sum **7**.15
claudus -a -um **28**.32
clausus -a -um **14**.17
clāvis -is *f* **23**.103
clēmēns -entis **31**.84
cocus -ī *m* **30**.67
coep- coept- v. incipere
cōgere co-ēgisse -āctum **33**.32
cōgitāre **17**.57
cognōmen -inis *n* **12**.12
cognōscere -ōvisse -itum **21**.2; **31**.10; **32**.219
cohors -rtis *f* **33**.2
colere -uisse cultum **27**.11
collis -is *m* **9**.20
col-loquī **20**.47; **33**.149
colloquium -ī *n* **20**.71
collum -ī *n* **8**.22
colōnus ī *m* **27**.70
color -ōris *m* **11**.20
columna -ae *f* **19**.3
comes -itis *m* **23**.108
comitārī **23**.107
com-memorāre **33**.22
commūnis -e **32**.32; **35**.10,17
cōmoedia -ae *f* **34**.45
comparāre **18**.77; **35**.35
comparātiō -ōnis *f* **35**.30
comparātīvus -ī *m* **12**.202

com-plectī -exum **16**.87
com-plēre -ēvisse -ētum **30**.147
com-plūrēs -a **25**.35
com-putāre **17**.101
cōnārī **16**.138
condiciō -ōnis *f* **32**.146
cōn-ficere **26**.7; **27**.68; **33**.54
cōn-fīdere **31**.56
cōn-fitērī -fessum **29**.114
coniugātiō -ōnis *f* **35**.232
coniūnctiō -ōnis *f* **35**.6,156
coniūnctīvus -ī *m* **27**.189
con-iungere **18**.30
con-iūnx -iugis *f/m* **19**.7,9
cōn-scendere -disse **16**.56
cōn-sequī **26**.5
cōn-sīdere -sēdisse **15**.17
cōnsilium -ī *n* **26**.23; **29**.14
cōn-sistere -stitisse **8**.12
cōn-sōlārī **16**.90
cōnsonāns -antis *f* **18**.8,25
cōnspectus -ūs *m* **25**.108,135
cōn-spicere **21**.29
cōnstāns -antis **28**.99
cōn-stāre -stitisse **8**.56; **22**.1
cōn-stituere -uisse -ūtum **25**.56; **32**.152
cōn-sūmere **26**.11,29
con-temnere -tēmpsisse -tēmptum **32**.14,73
con-tinēre **23**.18
continuō **24**.16
contrā *prp+acc* **12**.72; **29**.121
con-trahere **30**.32,41
contrārius -a -um **16**.49; **28**.95
con-turbāre **34**.122
con-venīre **8**.82; **15**.64; **19**.49
con-vertere **24**.2
convīva -ae *m/f* **30**.73
convīvium -ī *n* **30**.70
con-vocāre **33**.109
cōpia -ae *f* **27**.38
cōpulāre **33**.106
cōpulātīvus -a -um **35**.162,164
coquere -xisse -ctum **30**.64
cor cordis *n* **11**.19, 136; **19**.19
cōram *prp+abl* **31**.122
cornū -ūs *n* **21**.31
corpus -oris *n* **11**.1
cor-rigere -rēxisse -rēctum **18**.105
cotīdiē **19**.76
crās **20**.128,130
crassus -a -um **10**.101,102
crēdere -didisse -ditum **21**.98, 114; **31**.72; +*dat* **21**.119; **29**.10
crēscere -ēvisse **27**.7,17; **32**.20
cruciāre **31**.64
crūdēlis -e **31**.124
cruentus -a -um **24**.66
cruor -ōris *m* **21**.29
crūs -ūris *n* **11**.2
crux -ucis *f* **31**.66
cubāre -uisse -itum **14**.2
cubiculum -ī *n* **5**.35
culīna -ae *f* **30**.67
culter -trī *m* **11**.95
cum *prp+abl* **5**.9,13,58; **21**.15; **25**.111,143
cum +*ind* **10**.15; **18**.128; **19**.74; **25**.53; **30**.41: c. prīmum **21**.28; +*coni* **29**.76,78; **32**.175
cūnae -ārum *f* **20**.2
cūnctus -a -um **32**.40; *pl* **32**.1
cupere -iō -īvisse **24**.51,56
cupiditās -ātis *f* **25**.122
cupidus -a -um **25**.46
cūr **3**.26
cūra -ae *f* **27**.97
cūrāre **20**.77; **29**.184; **32**.186; c. ut/nē **27**.102,139
currere cucurrisse **7**.66
currus -ūs *m* **25**.7
cursus -ūs *m* **32**.220,222; **34**.36
cūstōdīre **22**.6; **29**.104

D

dactylus -ī *m* **34**.250
dare dedisse datum **7**.46,63,118
datīvus -ī *m* **7**.110
dē *prp+abl* **11**.53; **13**.89; **19**.105; **20**.48; **21**.95
dea -ae *f* **19**.6
dēbēre **20**.82; +*dat* **23**.16
dēbilis -e **31**.139
decem **4**.10
December -bris *m* **13**.6
decēre **20**.158; **21**.54
deciēs **18**.118
decimus -a -um **13**.5
dēclīnāre **9**.90
dēclīnātiō -ōnis *f* **9**.88
de-esse dē-sum dē-fuisse **18**.94; +*dat* **32**.101
dē-fendere -disse -sum **12**.107
dein **34**.119
de-inde **14**.46
dēlectāre **5**.60
dēlēre -ēvisse -ētum **18**.144
dēliciae -ārum *f* **34**.87,91
delphīnus -ī *m* **29**.62
dēmere -mpsisse -mptum **35**.73
dē-mōnstrāre **17**.138; **26**.50
dēmum **30**.21
dēnārius -ī *m* **17**.97
dēnī -ae -a **33**.2
dēnique **27**.2
dēns dentis *m* **9**.73; **11**.10
dē-nuō **24**.4
deorsum **26**.73
dēpōnēns -entis **16**.156
-dere -didisse -ditum <dare
dē-rīdēre **22**.80; **25**.15
dē-scendere -disse **25**.110
dēserere -uisse -rtum **25**.116; **31**.125
dēsīderāre **33**.65,137
dē-silīre -uisse **29**.88
dē-sinere -siisse **15**.65,66,158
dē-sistere -stitisse **32**.203
dē-spērāre **29**.89,120
dē-spicere **26**.90,106; **33**.168
dē-tergēre **11**.119
dē-terrēre **29**.3
dē-trahere **29**.146
deus -ī *m*, *pl* deī/diī/dī **10**.28
dē-vorāre **34**.101
dexter -tra -trum **14**.79; *f* **16**.51; **30**.98
dīcere -xisse dictum **11**.60,61; **13**.58; **20**.144; **26**.162
dictāre **18**.50
dictum -ī *n* **28**.54
diēs -ēī *m* **13**.8,35; **18**.178,190; *f* **32**.147
dif-ficilis -e **17**.69; **33**.52
digitus -ī *m* **8**.21
dignus -a -um **19**.110
dīligēns -entis **30**.31
dīligere -ēxisse -ēctum **20**.141
dīmidius -a -um **13**.33,53
dī-mittere **23**.12
diphthongus -ī *f* **34**.226
dīrus -a -um **33**.171
dis-cēdere **4**.73
discere didicisse **17**.1
discipulus -ī *m* **15**.6,8; **28**.52
disiūnctīvus -a -um **35**.162,166
dis-iungere **28**.3
dis-suādēre -sisse **32**.76
diū **30**.13; *comp* diūtius **33**.126
dīves -itis **19**.61
dīvidere -vīsisse -vīsum **12**. 68,

105; **13**.1
dīvitiae -ārum *f* **29**.27
docēre **17**.2
doctus -a -um **17**.4
dolēre **11**.80; **34**.135
dolor -ōris *m* **24**.25; **29**.51
domī **15**.81; **18**.151; **20**.127
domina -ae *f* **2**.31
dominus -ī *m* **2**.26; **9**.5; **16**.110, 130; **30**.95; *pl* **20**.109
domus -ūs *f*, *abl* -ō, *pl acc* -ōs **19**.42; domum *adv* **20**.123; domō *adv* **20**.137
dōnāre **29**.168
dōnec **32**.72
dōnum -ī *n* **19**.67
dormīre **3**.37
dorsum -ī *n* **29**.100
dubitāre **21**.130,131; **29**.116
dubius -a -um **34**.135
du-centī -ae -a **13**.10
dūcere dūxisse ductum **9**.34; **12**.104; **18**.53; animam d. **10**.54; (uxōrem) d. **34**.125,191
dulcis-e **30**.131
dum **9**.39,69; **10**.48; **22**.8
dum-modo **34**.17
dumtaxat **35**.36
duo -ae -o **2**.23,33,54
duo-decim **6**.15
duo-decimus -a -um **13**.6
duo-dē-trīgintā **13**.28
duo-dē-vīgintī **17**.20
dūrus -a -um **18**.111
dux ducis *m* **12**.81; **16**.44

E
ē **7**.45 v. ex
ea, eadem v. is, īdem
ēbrius -a -um **31**.193
ecce **2**.81; **4**.59
ed- v. ēsse
ēducāre **31**.150
ē-dūcere **32**.64
ef-ficere **18**.114; e. ut **27**.124
ef-fugere **26**.22,82
ef-fundere **33**.78
ego mē mihi/mī **3**.20; **14**.30; **15**.21; **17**.66; mē-cum **14**.87
ē-gredī -gressum **16**.39
ēgregius -a -um **32**.25,31
ē-icere **28**.5,73
ē-līdere -sisse -sum **34**.242
ē-ligere -lēgisse -lēctum **30**.58
emere ēmisse ēmptum **8**.14
ēn **35**.116
enim **10**.30
ēnsis -is *m* **33**.172
eō *adv* **28**.23
epigramma -atis *n* **34**.157
epistula -ae *f* **18**.153
eques -itis *m* **12**.43
equidem **30**.51
equitātus -ūs *m* **12**.113
equus -ī *m* **6**.56
ergā *prp+acc* **19**.94
ergō **10**.121
ē-ripere -iō -uisse -reptum **29**.45,122
errāre **9**.50
ē-rubēscere -buisse **34**.201
ē-rumpere **33**.122
erus -ī *m* **18**.35; **22**.48
esse sum fuisse futūrum esse /fore **1**.1,18,53; **4**.32
ēsse edō ēdisse **9**.9,11; **10**.59
et **1**.2; **25**.95; et... et **7**.50
et-enim **33**.163
etiam **5**.30,70; **26**.104; e. nunc **19**.86; e. atque e. **33**.118
etiam-nunc **32**.207
et-sī **24**.38
ē-volāre **26**.41
ē-volvere -visse -lūtum **28**.58
ex/ē *prp+abl* **5**.58; **14**.11; **18**.113; **22**.1,13; **33**.43,158
ex-audīre **18**.92
excitāre **14**.35; **19**.20
ex-clāmāre **15**.23
ex-cōgitāre **26**.35
ex-cruciāre **34**.138
ex-currere -risse **33**.115
excūsāre **21**.45
exemplum -ī *n* **1**.90; **26**.64; **31**.129
exercitus -ūs *m* **12**.77,80
ex-haurīre **30**.145
exiguus -a -um **13**.51; **17**.148
ex-īre **7**.83; **10**.53
exīstimāre **27**.62
exitus -ūs *m* **25**.70; **26**.111
ex-ōrnāre **30**.64
ex-plānāre **35**.105
ex-plētīvus -a -um **35**.162,168
ex-pōnere **29**.101; **31**.131
ex-pugnāre **12**.112
expugnātiō -ōnis *f* **25**.45
ex-spectāre **7**.2
extendere -disse **28**.49
extrā *prp+acc* **22**.7; **28**.129

F
faber -brī *m* **22**.20
fābula -ae *f* **25**.3; **34**.44
fābulārī **31**.186
facere -iō fēcisse factum **10**.17, 65,69,111; **11**.27,66; f. ut **27**.145,175
faciēs -ēī *f* **13**.15
facilis -e **17**.50; *adv* -e **23**.53
fact- v. fierī (facere)
factum -ī *n* **23**.78
fallāx -ācis **29**.104
fallere fefellisse falsum **21**.115; **32**.109
falsus -a -um **21**.88; **31**.200
falx -cis *f* **27**.18
fāma -ae *f* **28**.38
famēs -is *f* **30**.42
familia -ae *f* **2**.9,73
fārī **20**.1
fatērī fassum **23**.68,144
fatīgāre **33**.45
fātum -ī *n* **34**.70,180
favēre fāvisse **34**.40,148
Februārius -ī *m* **13**.2
fēlīcitās -ātis *f* **29**.160
fēlīx -īcis **29**.41,119
fēmina -ae *f* **2**.1
fēminīnum -ī *n* **2**.96
fenestra -ae *f* **5**.26
fera -ae *f* **10**.7
ferē **33**.54
ferōx -ōcis **22**.10
ferre tulisse lātum **12**.34,55; **21**.17; **24**.(37); **27**.29
ferreus -a -um **22**.14; **33**.176
ferrum -ī *n* **18**.113
fertilis -e **27**.30
ferus -a -um **10**.2
fessus -a -um **6**.61
-ficere -iō -fēcisse -fectum < facere
fīdere fīsum esse **31**.55
fidēs -eī *f* **31**.56; **32**.112
fidēs -ium *f* **29**.66
fidicen -inis *m* **29**.70
fīdus -a -um **31**.58
fierī factum esse **16**.98,143; **18**.25; **24**.49
fīgere -xisse -xum **26**.60
fīlia -ae *f* **2**.14
fīliola -ae *f* **20**.57
fīliolus -ī *m* **20**.154
fīlius -ī *m* **2**.12
fīlum -ī *n* **25**.72

fīnīre **29**.179
fīnis -is *m* **12**.69; **13**.38
flāre **16**.30
flectere -xisse -xum **32**.60,220
flēre -ēvisse **24**.36; **34**.209
flōs -ōris *m* **19**.78
flūctus -ūs *m* **16**.33
fluere flūxisse **11**.20
flūmen -inis *n* **10**.40
fluvius -ī *m* **1**.18
foedus -a -um **5**.18
folium -ī *n* **10**.70
forās **22**.115
fore **33**.185 v. esse
foris -is *f* **22**.1
forīs *adv* **22**.56
fōrma -ae *f* **13**.54; **16**.157; **19**.137; **34**.48
fōrmōsus -a -um **7**.10
forsitan **35**.119
fortasse **23**.18
forte *adv* **25**.5; **29**.151
fortis -e **12**.119
fortūna -ae *f* **29**.175
forum -ī *n* **19**.48
fossa -ae *f* **12**.100
frangere -ēgisse -āctum **24**.21,33
frāter -tris *m* **12**.1
fremere -uisse **22**.58
frequēns -entis **18**.14,155
fretum -ī *n* **28**.2
frīgēre **14**.68
frīgidus -a -um **13**.88
frīgus -oris *n* **27**.123
frōns -ontis *f* **11**.8
frūgēs -um *f* **27**.29
fruī **30**.23,59
frūmentum -ī *n* **27**.7
frūstrā **29**.30
fuga -ae *f* **26**.10
fugere -iō fūgisse **12**.116
fugitīvus -a -um **31**.68
fulgur -uris *n* **16**.109
fundere fūdisse fūsum **30**.114
funditus **31**.184
fundus -ī *m* **29**.2
fūr -is *m* **29**.132
fūrtum -ī *n* **29**.136
futūrum -ī *n* **20**.172
futūrus -a -um **20**.49; v. esse

G

gallus -ī *m* **14**.19
gaudēre gavīsum esse **11**.114
gaudium -ī *n* **33**.59
geminus -a -um **34**.51
gemma -ae *f* **8**.1
gemmātus -a -um **8**.58
gena -ae *f* **11**.8
genetīvus -ī *m* **2**.109
gēns gentis *f* **32**.31
genū -ūs *n* **21**.18
genus -eris *n* **30**.89; **31**.101; **35**.13,65; g. hominum **33**.177
gerere gessisse gestum **14**.76, 83; **21**.33; **34**.48,78
gerundium -ī *n* **26**.150
gerundīvum -ī *n* **31**.208
glaciēs -ēī *f* **13**.96
gladiātor -ōris *m* **34**.25
gladiātōrius -a -um **34**.27
gladius -ī *m* **12**.33
glōria -ae *f* **25**.51
glōriōsus -a -um **30**.94; **33**.152
gracilis -e **19**.138
gradus -ūs *m* **20**.33; **35**.30
Graecus -a -um **1**.39,68; **2**.48
grammatica -ae *f* **1**.84
grammaticus -a -um **35**.0
grātia -ae *f* **32**.87,122; -ā **32**.90, 190; -ās agere **32**.123; -am habēre/referre **32**.122
grātus -a -um **32**.33,120
gravidus -a -um **27**.108
gravis -e **12**.52; **24**.38
gremium -ī *n* **34**.72
grex -egis *m* **27**.134
gubernāre **16**.42
gubernātor -ōris *m* **16**.43
gustāre **30**.107

H

habēre **4**.4; **5**.3,6; **11**.1,14; **13**.8; **19**.33; sē h. **14**.26; habērī **28**.80
habitāre **5**.1
hasta -ae *f* **12**.40
haud **26**.28
haurīre -sisse -stum **16**.118
hendeca-syllabus -a -um **34**.279
herba -ae *f* **9**.8; **18**.164
herī **23**.105
heu **29**.21
heus **22**.27
hexameter -trī *m* **34**.256
hic haec hoc **7**.43,85,90
hīc **3**.40; **5**.85
hicine **22**.88 v. hic
hiems -mis *f* **13**.80,82
hinc **23**.11
ho-diē **14**.26
holus -eris *n* **30**.101
homō -inis *m* **10**.5
hōra -ae *f* **13**.40; **22**.50
horrendus -a -um **33**.172
horrēre **11**.98,101,129
hortārī **33**.16,167
hortus -ī *m* **5**.1
hospes -itis *m* **30**.4,5
hostis -is *m* **12**.76
hūc **25**.74,110; **27**.4
hūmānus -a -um **11**.1
humī *adv* **21**.20
humilis -e **25**.15
humus -ī *f* **21**.20

I

iacere -iō iēcisse iactum **12**.108
iacēre **9**.35; **11**.33
iactāre **16**.116
iactūra -ae *f* **29**.33,162
iam **3**.9; **15**.31; **24**.52
iambus -ī *m* **34**.249
iānitor -ōris *m* **22**.6
iānua -ae *f* **15**.27
Iānuārius -ī *m* **13**.2
ibi **25**.53
-icere (-iicere) -iō -iēcisse -iectum < iacere
id v. is
īdem eadem idem **18**.21,22,32,160
id-eō **31**.110
idōneus -a -um **33**.13
īdūs -uum *f* **13**.62
iecur -oris *n* **11**.21
igitur **13**.23
ignārus -a -um **29**.65
ignis -is *m* **26**.59
ignōrāre **24**.50,94
ignōscere -ōvisse **31**.90
ignōtus -a -um **29**.68
ille -a -ud **8**.41,70,79
illīc **7**.3,6
illinc **23**.4
illūc **25**.40,110; **27**.4
illūstrāre **13**.49
imāgō -inis *f* **22**.65
imber -bris *m* **13**.89,90
imitārī **26**.40
im-mātūrus -a -um **27**.168
immō **7**.21,27
im-mortālis -e **28**.44
im-pār -aris **24**.8

im-patiēns -entis **31**.34
im-pendēre **28**.131
imperāre **4**.110; +*dat* **12**.82; **26**.40
imperātīvus -ī *m* **4**.111
imperātor -ōris *m* **33**.19
imperfectum -ī *n* **21**.157
imperium -ī *n* **1**.55; **10**.29
impetus -ūs *m* **12**.114
im-piger -gra -grum **18**.156
im-plēre -ēvisse -ētum **16**.34
im-plicāre -uisse -itum **34**.29
impluvium -ī *n* **5**.27
im-pōnere **9**.84
im-primere -pressisse -pressum **18**.192
im-probus -a -um **3**.33
īmus -a -um **30**.70
in *prp*+*abl* **1**.1,72,108; **4**.3, 60,62; **12**.106; **27**.43; **34**.168; +*acc* **7**.14,17; **12**.104,108, 113; **29**.120; **34**.158
in-certus -a -um **17**.119; **20**.68
in-cipere -iō coepisse coeptum **13**.86,93; **25**.62
in-clūdere -sisse -sum **23**.102
incola -ae *m/f* **32**.10
in-colere **12**.62
incolumis -e **33**.141
inconditus -a -um **35**.217
inde **29**.75
in-dēclīnābilis -e **13**.166
indicātīvus -ī *m* **4**.111; **27**.188
in-dignus -a -um **21**.53
in-doctus -a -um **17**.4
induere -uisse -ūtum **14**.74; -ūtus **30**.15
industrius -a -um **17**.9
in-ermis -e **32**.64
in-esse **7**.39,41
in-exspectātus -a -um **30**.6
īnfāns -antis *m/f* **20**.1,18
īn-fēlīx -īcis **31**.43
īnferior -ius **15**.75
īnferus -a -um **16**.4; *m pl* **28**.78
īnfēstus -a -um **32**.1
īn-fīdus -a -um **31**.56
īnfimus -a -um **26**.77
īnfīnītīvus -ī *m* **10**.137
īn-flectere **35**.56
īn-fluere **16**.15
īnfrā *prp*+*acc* **11**.8; **16**.3
ingenium -ī *n* **34**.54
ingēns -entis **26**.62
in-hūmānus -a -um **27**.180
in-imīcus -ī *m* **6**.44,45
in-imīcus -a -um **17**.80
initium -ī *n* **13**.38; -ō **19**.79
iniūria -ae *f* **31**.98
in-iūstus -a -um **31**.97
inopia -ae *f* **32**.19
inquit -iunt **14**.40; -am **34**.152
īn-scrībere **23**.64
īnscrīptiō -ōnis *f* **31**.(204)
īn-struere -ūxisse -ūctum **33**.14
īnstrūmentum -ī *n* **27**.13
īnsula -ae *f* **1**.27
integer -gra -grum **23**.20
intellegere -ēxisse -ēctum **18**. 46; **20**.51
inter *prp*+*acc* **6**.3; **9**.54; **16**.55; **21**.112; i. sē **22**.14; **30**.152
inter-dum **34**.233
inter-eā **32**.60
inter-esse **16**.1; **22**.46; **34**.14
inter-ficere **25**.10
inter-iectiō -ōnis *f* **35**.6,215
interim **21**.63
internus -a -um **32**.43
inter-pellāre **17**.22
inter-rogāre **3**.24,26
intrā *prp*+*acc* **22**.9; **27**.94
intrāre **6**.76,87; **10**.52; **11**.57
in-tuērī **16**.79
intus **24**.39
in-validus -a -um **31**.131
in-vehere **27**.39
in-venīre **26**.20
in-vidēre **29**.80,181
invidia -ae *f* **29**.163
in-vocāre **16**.105
iocōsus -a -um **34**.142
ipse -a -um **9**.55; **10**.20; **18**.38; **20**.31; **28**.101; **34**.94
īra -ae *f* **35**.191
īrātus -a -um **3**.6
īre eō iisse **6**.20; **16**.72; **22**.50
is ea id **4**.77; **5**.7,33; **8**.138
iste -a -ud **22**.86,103
ita **18**.43; **19**.97; **27**.128
ita-que **6**.41
item **13**.31,77; **26**.47
iter itineris **30**.25; **33**.10
iterum **16**.142; i. i.que **24**.1
iubēre iussisse iussum **11**.45
iūcundus -a -um **30**.37
Iūlius -ī *m* **13**.4
iungere iūnxisse iūnctum **18**.26
Iūnius -ī *m* **13**.4
iūs iūris *n* **31**.104; **35**.198; iūre **32**.46
iūstus -a -um **31**.97,119
iuvāre iūvisse iūtum **26**.27,32; **34**.37
iuvenis -is *m* **31**.71
iūxtā *prp*+*acc* **24**.13

K

kalendae -ārum *f* **13**.57
kalendārium -ī *n* **13**.(0)

L

lābī lāpsum **16**.85,139
labor -ōris *m* **27**.62
labōrāre **27**.61; l. ut **27**.112
labrum -ī *n* **11**.10
labyrinthus -ī *m* **25**.27
lac lactis *n* **20**.9
lacertus -ī *m* **26**.60
lacrima -ae *f* **7**.7
lacrimāre **7**.6
lacus -ūs *m* **13**.96
laedere -sisse -sum **34**.13
laetārī **16**.73
laetitia -ae *f* **29**.45
laetus -a -um **3**.3
laevus -a -um **24**.6
lāna -ae *f* **27**.34
largīrī **17**.133
largus -a -um **17**.132
lāt- v. ferre
latēre **31**.67
Latīnus -a -um **1**.69; **18**.100
lātrāre **9**.42
latus -eris *n* **24**.3; **33**.122
lātus -a -um **12**.104
laudāre **17**.42; **19**.23
laus laudis *f* **23**.48
lavāre lāvisse lautum **14**.45; lavātum īre **22**.52
lectīca -ae *f* **6**.21
lectulus -ī *m* **15**.116
lectus -ī *m* **10**.125; **30**.69
lēgātus -ī *m* **33**.148
legere lēgisse lēctum **18**.37
legiō -ōnis *f* **33**.1
legiōnārius -a -um **33**.7,139
leō -ōnis *m* **10**.1
levāre **26**.69
levis -e **12**.56; **33**.138
lēx lēgis *f* **31**.105
libellus -ī *m* **28**.47
libenter **34**.82
liber -brī *m* **2**.81
līber -era -erum **26**.38,82

līberāre **30**.118; **32**.6
libēre **34**.35
līberī -ōrum *m* **2**.21
lībertās -ātis *f* **26**.89
lībertīnus -ī *m* **30**.117
licēre **15**.116; +*dat* **16**.83
ligneus -a -um **22**.20
lignum -ī *n* **22**.18
līlium -ī *n* **5**.13
līmen -inis *n* **22**.2
līnea -ae *f* **8**.8; **18**.53
lingua -ae *f* **11**.10; **18**.4
littera -ae *f* **1**.66; *pl* **23**.15; **33**.29
lītus -ōris *n* **25**.101
locātīvus -ī *m* **6**.120
locus -ī *m* **16**.15,159; **20**.13; *pl* loca -ōrum *n* **27**.30
longē **31**.117; **33**.66
longus -a -um **6**.10; **13**.9,25; **17**.29; nāvis -a **32**.198
loquī locūtum **16**.96
lūcēre lūxisse **9**.29
lucerna -ae *f* **34**.84
lucrum -ī *n* **29**.15
luctārī **35**.81
lūdere -sisse **10**.75; **33**.26
lūdus -ī *m* **15**.2; **34**.15; *pl* **34**.35
lūgēre lūxisse **34**.42
lūna -ae *f* **13**.46
lupus -ī *m* **9**.22
lūx lūcis *f* **13**.47; **33**.114; **34**.116

M

maerēre **25**.112
maestus -a -um **29**.19
magis **20**.60; **35**.209
magister -trī *m* **15**.4
magnificus -a -um **19**.52,77
magnus -a -um **1**.22,65
māior -ius *comp* **19**.36,57
Māius -ī *m* **13**.3
male **11**.15; **34**.100,103
maleficium -ī *n* **29**.113
mālle māluisse **28**.151,156
malum -ī *n* **15**.93; **16**.101; **30**.47
mālum -ī *n* **7**.41
malus -a -um **6**.39; **11**.14
mamma -ae *f* **3**.19; **20**.29
māne *indēcl n* **13**.36; *adv* **14**.55
manēre mānsisse **20**.66
manus -ūs *f* **11**.3
mare -is *n* **10**.35
margarīta -ae *f* **8**.1
maritimus -a -um **16**.13
marītus -ī *m* **19**.2
Mārtius -ī *m* **13**.3
masculīnum -ī *n* **2**.95
māter -tris *f* **2**.10,11; **12**.2; m. familiās **19**.17
māteria -ae *f* **18**.109
mātrōna -ae *f* **19**.18
mātūrus -a -um **27**.17
māximē **26**.126,134
māximus -a -um *sup* **19**.36
mē mē-cum v. ego
medicus -ī *m* **11**.26
medius -a -um **8**.120; **13**.41; **16**.42; *n* **30**.70
mel mellis *n* **30**.132
melior -ius *comp* **19**.25
mellītus -a -um **34**.93
membrum -ī *n* **11**.1
meminisse **32**.107,126
memorāre **28**.55
memoria -ae *f* **31**.19; post hominum -am **31**.114
mendum -ī *n* **18**.102
mēns mentis *f* **34**.110
mēnsa -ae *f* **4**.60; **8**.89; **29**.169; m. secunda **30**.102
mēnsis -is *m* **13**.1
mentiō -ōnis *f* **35**.210
mentīrī **21**.88
mercātor -ōris *m* **10**.28
mercātōrius -a -um **32**.44
mercēs -ēdis *f* **18**.182; **27**.72
merēre **23**.45,49; stipendia m. **33**.35
mergere -sisse -sum **14**.50; *pass* **16**.35
merīdiēs -ēī *m* **13**.42; **16**.48
merus -a -um **30**.115; *n* **30**.117
merx -rcis *f* **16**.23
metere **27**.8
metuere -uisse **12**.83
metus -ūs *m* **12**.120
meus -a -um **2**.66, *voc* mī **19**.94
mihi/mī *dat* v. ego
mīles -itis *m* **12**.31
mīlia -ium *n pl* **12**.97 v. mīlle
mīlitāre **12**.90
mīlitāris -e **33**.23
mīlle **1**.73; *pl* mīlia **12**.97
minārī **32**.172
minimē **20**.81; **31**.27
minimus -a -um *sup* **19**.37
minister -trī *m* **30**.67
minor -us *comp* **19**.36,56
minuere -uisse -ūtum **19**.91
minus *adv* **19**.133; **20**.26
minus -ōris *n* **19**.149
mīrābilis -e **25**.35
mīrārī **24**.7,16
mīrus -a -um **29**.18,98
miscēre -uisse mixtum **30**.115, 132
misellus -a -um **34**.7
miser -era -erum **19**.69; **29**.27
mittere mīsisse missum **19**.79; **27**.170; **33**.17; **34**.8
modo **11**.37,55; **27**.172; m. ... m. **34**.38
modus -ī *m* **9**.90; **14**.37; **29**.120; **35**.61; nūllō -ō **21**.56
moenia -ium *n* **25**.11
molestus -a -um **30**.37
mollīre **26**.60
mollis -e **18**.109
monēre **22**.61; **23**.30,42; m. ut **27**.147
mōns montis *m* **9**.19
mōnstrāre **8**.43
mōnstrum -ī *n* **25**.18
mora -ae *f* **25**.82
mordēre momordisse morsum **22**.58
morī mortuum **28**.45
mors -rtis *f* **25**.41
mortālis -e **28**.45
mortuus -a -um **10**.49; v. morī
mōs mōris *m* **31**.135
movēre mōvisse mōtum **10**.14; **27**.109; **34**.155
mox **20**.35
mulier -eris *f* **20**.13
multī -ae -a **1**.44
multitūdō -inis *f* **26**.91
multō +*comp* **16**.72
multum **14**.100; **28**.6
mundus -ī *m* **28**.82
mundus -a -um **21**.4
mūnīre **33**.21
mūnus -eris *n* **31**.32
mūrus -ī *m* **6**.14; **25**.30
Mūsa -ae *f* **35**.17
mūtāre **21**.57,112; **23**.35,117
mūtus -a -um **28**.31
mūtuus -a -um **32**.145,146

N

nam **6**.37
-nam **23**.6

namque **31**.135
nārrāre **21**.56; **23**.70
nārrātiō -ōnis *f* **25**.129
nāscī nātum **28**.22,45; **33**.177
nāsus -ī *m* **5**.18
natāre **10**.11
nātūra -ae *f* **26**.46
nātus -a -um **28**.22; **33**.24; v. nāscī
nauta -ae *m* **16**.28
nāvicula -ae *f* **28**.94
nāvigāre **16**.9,27
nāvigātiō -ōnis *f* **29**.48
nāvis -is *f* **16**.9
-ne **1**.11
nē **27**.139; **29**.73; **32**.162,179, 212; nē... quidem **27**.55
nec **11**.54 v. ne-que
necāre **25**.50
necessārius -a -um **20**.5
necesse esse **10**.58
negāre **23**.66,139; **31**.199
neglegēns -entis **27**.144
neglegere -ēxisse -ēctum **27**.101,104
negōtium -ī *n* **27**.11,66
nēmō -inem -inī **10**.44; **20**.60; **23**.28; **28**.126
nēquam *adi indēcl* **27**.151; *sup* nēquissimus -a -um **29**.133
ne-que/nec **3**.42; **5**.41; **11**.54; n. ... n. **7**.57; n. enim **10**.110; n. vērō **16**.138
ne-scīre **17**.4; **18**.37,87
neu **32**.77 v. nē-ve
neuter -tra -trum **14**.9
neutrum -ī *n* **2**.97
nē-ve/neu **27**.140; **32**.77
nex necis *f* **25**.88
nīdus -ī *m* **10**.69
niger -gra -grum **9**.2
nihil/nīl **14**.101; **34**.174
nimis **8**.98
nimium **31**.178
nimius -a -um **31**.82
nisi **15**.93; **26**.46; **33**.82,164
niveus -a -um **34**.188
nix nivis *f* **13**.89,91
nōbilis -e **29**.66
nōbīs nōbīs-cum v. nōs
nocēre +*dat* **27**.123; **32**.72
nōlī -īte **20**.69,160
nōlle nōluisse **20**.17,141
nōmen -inis *n* **12**.3; **13**.2; **35**.8
nōmināre **13**.17
nōminātīvus -ī *m* **3**.88
nōn **1**.5
nōnae -ārum *f pl* **13**.69
nōnāgēsimus -a -um **31**.175
nōnāgintā **8**.93
nōn-dum **15**.13
nōn-gentī -ae -a **17**.33
nōn-ne **7**.26
nōn-nūllī -ae -a **29**.9
nōn-numquam **29**.121
nōnus -a -um **13**.5
nōs nōbīs **15**.55,119; **20**.136; **21**.91; **34**.166; nōbīs-cum **29**.40
nōscere nōvisse **24**.50,58,60,94
noster -tra -trum **11**.131; **34**. 152,163
nostrum *gen* **29**.38,39
nota -ae *f* **34**.230
nōtus -a -um **29**.64
novem **4**.10
November -bris *m* **13**.5
nōvisse **24**.60,94 v. nōscere
novus -a -um **2**.81,90; **13**.52, 59; **29**.98; *sup* **26**.64
nox noctis *f* **13**.37
nūbere -psisse -ptum **34**.126
nūbēs -is *f* **9**.25
nūbilus -a -um **32**.56,105
nūdus -a -um **14**.69
nūgae -ārum *f* **31**.198
nūllus -a -um **4**.45,64
num **1**.49; **29**.106
numerāre **4**.9; **32**.104
numerus -ī *m* **1**.63; **2**.43; **35**.19
nummus -ī *m* **4**.6; **8**.59
numquam **17**.63
nunc **13**.22
nūntiāre **30**.29,86
nūntius -ī *m* **10**.30; **32**.33
nūper **22**.101
nūtrīx -īcis *f* **20**.14
nux nucis *f* **30**.102

O

ō **3**.32
ob *prp*+*acc* **23**.36
oblīvīscī -lītum **25**.118,137
ob-oedīre **28**.16
obscūrus -a -um **13**.51
occidēns -entis *m* **16**.46
occidere -disse **16**.47
occīdere -disse -sum **25**.67
occultāre **10**.89; **19**.66
oc-currere -risse **20**.104
ōceanus -ī *m* **1**.53
ocellus -ī *m* **34**.105
octāvus -a -um **13**.4
octingentī -ae -a **17**.33
octō **4**.10
Octōber -bris *m* **13**.5
octōgintā **8**.65
oculus -ī *m* **7**.6
ōdisse **31**.94
odium -ī *n* **34**.136
of-ferre ob-tulisse ob-lātum **32**.92
officium -ī *n* **20**.84
ōlim **25**.25
omnis -e **14**.115; **23**.58; **26**.55; *pl m* **19**.22, *n* **21**.95
opera -ae *f* **34**.8,104
operīre -uisse -rtum **13**.91
opēs -um *f* **34**.208
oportēre **17**.111,115
opperīrī -rtum **16**.29
oppidum -ī *n* **1**.33
op-pugnāre **12**.78,107
optāre **31**.22
optātīvus -a -um **35**.62
optimus -a -um *sup* **19**.29
opus -eris *n* **26**.54; **27**.59
opus esse **19**.149; +*abl* **32**.78
ōra -ae *f* **16**.19,21
ōrāre **27**.92
ōrātiō -ōnis *f* **35**.2
orbis -is *m* **26**.37,128; o. terrārum **26**.103
ōrdināre **35**.157
ōrdō -inis *m* **33**.11
oriēns -entis *m* **16**.45; **28**.24
orīrī ortum **16**.45,97
ōrnāmentum -ī *n* **8**.7
ōrnāre **8**.23; **25**.57
os ossis *n* **24**.33
ōs ōris *n* **11**.6; **16**.14; **17**.37
ōscitāre **34**.165
ōsculārī **19**.89
ōsculum -ī *n* **7**.62
ostendere -disse **8**.47
ōstiārius -ī *m* **7**.33
ōstium -ī *n* **5**.25; **16**.13
ōtiōsus -a -um **33**.168,169
ōtium -ī *n* **27**.66
ovis -is *f* **9**.3
ōvum -ī *n* **10**.71

P

pābulum -ī *n* **27**.33
paene **26**.29

paen-īnsula -ae *f* **26**.98
pāgina -ae *f* **2**.85
pallēre **23**.36
pallidus -a -um **23**.35
pallium -ī *n* **22**.73
palma -ae *f* **34**.33
palpitāre **11**.98
pānis -is *m* **9**.11
papȳrus -ī *f* **18**.163
pār paris **24**.7
parāre **30**.67
parātus -a -um **25**.69,94
parcere pepercisse **29**.83,84
parentēs -um *m* **14**.89
parere -iō peperisse **10**.71,72
pārēre **4**.110; +*dat* **12**.76
parricīda -ae *m* **31**.110
pars -rtis *f* **12**.64; **16**.45,92
participium -ī *n* **14**.148; **35**.128
partīrī **17**.144
parum **27**.40; **29**.103
parvulus -a -um **20**.1
parvus -a -um **1**.23,64; **2**.6
pāscere pāvisse pāstum **27**.32; **34**.67
passer -eris *m* **34**.86
passīvus -a -um **6**.128; **35**.72
passus -ūs *m* **12**.93
pāstor -ōris *m* **9**.1
pater -tris *m* **2**.9,10; **12**.2; p. familiās **19**.38
patēre **25**.32; **26**.36
patī passum **24**.37
patiēns -entis **27**.91
patientia -ae *f* **27**.91
patria -ae *f* **12**.70
paucī -ae -a **1**.47
paulisper **30**.49
paulō *adv* **16**.91,123,148
paulum **16**.8,108
pauper -eris **19**.62
pāx pācis *f* **33**.147
pectus -oris *n* **11**.18; **20**.9
pecūlium -ī *n* **28**.160
pecūnia -ae *f* **4**.3
pecūniōsus -a -um **8**.20
pecus -oris *n* **27**.33
pedes -itis *m* **12**.42
pēior -ius *comp* **19**.13
pellere pepulisse pulsum **22**.85
penna -ae *f* **26**.59
pēnsum -ī *n* **1**.107
pentameter -trī *m* **34**.268
per *prp*+*acc* **6**.76; **7**.69; **9**.59; **21**.6; **24**.18; **27**.108; **31**.10; **33**.95,159; p. sē **18**.23; **25**.71
per-currere -risse **32**.44
per-cutere -iō -cussisse -cussum **24**.15; **33**.157
per-dere **23**.73,131,147; **34**.76
perfectum -ī *n* **21**.158
per-ferre **30**.56
per-ficere **26**.57
pergere perrēxisse **20**.71
perīculōsus -a -um **28**.141
perīculum -ī *n* **28**.129
per-īre **28**.122; **29**.1,16
peristȳlum -ī *n* **5**.30
per-mittere **29**.85
per-movēre **29**.86
perpetuus -a -um **34**.109
per-sequī **26**.2
persōna -ae *f* **3**.2; **15**.134
per-suādēre **28**.110,164
per-territus -a -um **10**.105
per-turbāre **29**.57
per-venīre **28**.137
pēs pedis *m* **10**.12; **12**.47; **34**.248
pessimus -a -um *sup* **19**.15
petasus -ī *m* **10**.27
petere -īvisse -ītum **9**.32,74, 79; **32**.74; **34**.130
phantasma -atis *n* **28**.97
piger -gra -grum **17**.7
pila -ae *f* **10**.74
pīlum -ī *n* **12**.33
pīpiāre **34**.97
pīrāta -ae *m* **32**.141
pirum -ī *n* **7**.52
piscātor -ōris *m* **29**.166
piscis -is *m* **10**.9
placēre +*dat* **30**.104
plānē **23**.59,136; **31**.62
plānus -a -um **23**.53
plaudere -sisse **34**.34,217
plēnus -a -um **7**.38,43; **13**.55
plērī-que plērae- plēra- **33**.123
plērumque *adv* **34**.32
plōrāre **3**.9
plūrālis -is *m* **1**.88; **5**.143
plūrēs -a *comp* **19**.52; *n* **20**.99
plūrimī -ae -a *sup* **19**.54
plūs -ūris *n* **19**.147; **29**.27; *adv* **34**.92
plūsquamperfectum -ī *n* **24**.125
pōculum -ī *n* **11**.36
poena -ae *f* **31**.100
poēta -ae *m* **32**.103
poēticus -a -um **34**.59
pollicērī **25**.80
pōnere posuisse positum **4**.60; **21**.61; **29**.17; **33**.20,146
populus -ī *m* **32**.22
porcus -ī *m* **21**.49
porta -ae *f* **6**.15
portāre **6**.22; **10**.30
portus -ūs *m* **16**.13
poscere poposcisse **14**.70
positīvus -ī *m* **35**.33
posse potuisse **10**.21; **11**.135
possidēre -ēdisse **19**.60
post *prp*+*acc* **6**.32; **13**.44; *adv* **16**.91
post-eā **22**.41
posterior -ius **15**.62,99
posterus -a -um **33**.46
post-hāc **23**.84
post-quam **21**.79
postrēmō *adv* **17**.12
postrēmus -a -um **13**.6
postulāre **20**.7,138; **27**.94,98
pōtāre **30**.117
potestās -ātis *f* **28**.79; **31**.30; **35**.159
pōtiō -ōnis *f* **31**.1
potius **28**.128
prae *prp*+*abl* **27**.14,63,83
praecipuē **33**.42
praedium -ī *n* **27**.50
praedō -ōnis *m* **28**.132
prae-esse **30**.33,81
prae-ferre **32**.83
praemium -ī *n* **31**.77
prae-nōmen -inis *n* **12**.11
prae-pōnere **32**.25; **35**.178
praepositiō -ōnis *f* **6**.106
praesēns -entis **19**.157; **31**.5
prae-stāre **33**.81
praeter *prp*+*acc* **14**.78; **19**.9; **31**.55; **33**.68
praeter-eā **16**.62
praeteritus -a -um **19**.159
prāvus -a -um **17**.40; -ē **17**.41
precārī **29**.54
precēs -um *f pl* **27**.109
prehendere -disse -ēnsum **22**.74,95
premere pressisse pressum **18**.108; **32**.110
pretiōsus -a -um **29**.10
pretium -ī *n* **8**.61; **22**.16; **32**.9
prīdem **30**.78
prī-diē **33**.46
prīmō *adv* **24**.100

prīmum *adv* **14**.46
prīmus -a -um **1**.67
prīnceps -ipis *m* **28**.64,81
prīncipium -ī *n* **34**.60
prior -ius **15**.97; **22**.83
prius *adv* **22**.42
prius-quam **31**.64
prīvātus -a -um **33**.40
prō *prp+abl* **27**.71,72; **32**.93, 121; **33**.35
probus -a -um **3**.32; **8**.106
prō-cēdere **22**.76
procul **6**.10; **9**.55,86
prō-currere -risse **33**.16
prōd-esse prō-fuisse **27**.122
proelium -ī *n* **33**.15
profectō **20**.59
prō-ferre **30**.142; **33**.175
proficīscī -fectum **16**.57
prō-gredī -gressum **33**.11
pro-hibēre **27**.169,175
prō-icere **27**.92
prōmere -mpsisse -mptum **17**.97
prōmissum -ī *n* **23**.95
prō-mittere **23**.87; **27**.119
prōnōmen -inis *n* **8**.135; **35**.39
prope *prp+acc* **6**.8; *adv* **9**.78; **12**.102; *comp* propius **22**.67
properāre **33**.56,90
propinquus -a -um **26**.114
proprius -a -um **35**.9,11
propter *prp+acc* **16**.118,126
propter-eā **35**.175
prō-silīre -uisse **34**.210
prō-spicere **25**.103
prōtinus **29**.30
prōvincia -ae *f* **1**.57
proximus -a -um *sup* **32**.26
prūdēns -entis **17**.9
pūblicus -a -um **33**.40
pudēre **23**.79; *+gen* **23**.82
pudor -ōris *m* **23**.82
puella -ae *f* **2**.3; **34**.195
puer -erī *m* **2**.2; **12**.98; **30**.86
pugna -ae *f* **21**.53
pugnāre **12**.37
pugnus -ī *m* **12**.39
pulcher -chra -chrum **5**.15,17
pulchritūdō -inis *f* **19**.22
pullus -ī *m* **10**.72
pulmō -ōnis *m* **10**.52
pulsāre **3**.8; **6**.86
pūnīre **15**.7
puppis -is *f* **16**.41
pūrus -a -um **14**.52
putāre **11**.108, 134,139

Q
quadrāgēsimus -a -um **28**.43
quadrāgintā **17**.25
quadringentī -ae -a **17**.32
quaerere -sīvisse -sītum **9**.60; **25**.55; **31**.16; **33**.37; **34**.211
quālis -e **18**.65
quālitās -ātis *f* **35**.36
quam **6**.11; **7**.94; *+sup* **27**.177
quam-diū **33**.87
quam-ob-rem **31**.37
quamquam **17**.81
quandō **13**.107; **35**.171,203
quantitās -ātis *f* **35**.36
quantum **31**.53,81
quantus -a -um **8**.72,75; **19**.121
quā-propter **35**.174
quā-rē **17**.135
quārtus -a -um **8**.124; **13**.3; -a pars **13**.34
quasi **29**.104
quater **18**.123
quatere -iō **26**.116
quaternī -ae -a **33**.3,91
quattuor **4**.9
quattuor-decim **17**.19
-que **2**.9; **3**.53
querī questum **29**.21
quī quae quod **3**.63,70-75; **4**.75; **8**.3; **15**.58
quī quae quod (...?) **8**.26,30
quia **3**.27
quid **1**.50; **2**.76 v. quis
quid *adv* **15**.77
quī-dam quae- quod- **27**.76; **31**.21,28
quidem **26**.43,65; nē...q. **27**.55
quid-nam **23**.6
quidnī **35**.116
quid-quam **27**.106
quid-quid **31**.29
quiēscere -ēvisse **27**.1,64
quiētus -a -um **11**.58; **14**.1
quīn **22**.29; **26**.39
quīn-decim **17**.20
quīn-gentī -ae -a **17**.33
quīnī -ae -a **33**.3
quīnquāgintā **17**.25
quīnque **4**.10
quīnquiēs **18**.124
Quīntīlis -is *m* **13**.128
quīntus -a -um **13**.3
quis quae quid **1**.50; **2**.15,16
quis quid (sī/num/nē q.) **22**.7, 28,105; **32**.135
quis-nam **23**.6
quis-quam quid- **26**.26; **27**.106
quis-que quae- quod- **17**.12, 13, 23; **18**.20,43; **31**.172
quis-quis **31**.176; **34**.211
quō *adv* **6**.35; **16**.47
quō-cum **33**.154 v. quī, quis
quod (= quia) **10**.24
quod *n* **4**.75 v. quī
quō-modo **14**.25,35
quoniam **26**.14
quoque **1**.3
quot **2**.37,38; **26**.91; **31**.69
quot-annīs **25**.37
quotiēs **18**.122

R
rāmus -ī *m* **10**.69
rapere -iō -uisse -ptum **27**.96, 132; **28**.133
rapidus -a -um **29**.72,192
rārō *adv* **20**.63; -ius **20**.74
rārus -a -um **18**.13; **28**.137
ratiō -ōnis *f* **34**.55
ratiōnālis -e **35**.162,173
ratis -is *f* **33**.106
re-cēdere **22**.76; **23**.11
re-cipere **30**.6
recitāre **15**.97,99
re-cognōscere **29**.171
rēctē **17**.40; **30**.140 v. rēctus
rēctus -a -um **17**.39; **18**.53; -ā viā **26**.88; *adv* -ē
re-cumbere **24**.8
red-dere **15**.88; **34**.55
red-imere -ēmisse -ēmptum **32**.96
red-īre **15**.67; **16**.58; **25**.129
re-dūcere **29**.75
re-ferre rettulisse re-lātum **33**.57; grātiam r. **32**.123
regere rēxisse rēctum **25**.6,44
regiō -ōnis *f* **27**.25
rēgnāre **28**.88
rēgula -ae *f* **14**.109
re-linquere -līquisse -lictum **9**.40,48
reliquus -a -um **26**.15,18,28
re-manēre **29**.8
rēmigāre **32**.54
re-minīscī **32**.102,156
re-mittere **19**.81

re-movēre **22**.85
rēmus -ī *m* **29**.193
repente **29**.99
reperīre repperisse repertum **9**.63; **18**.11
re-pōnere **17**.129
re-prehendere **17**.62
re-pugnāre **32**.66
re-quiēscere **30**.22
re-quīrere **34**.137
rēs reī *f* **14**.111,122; **17**.3
re-sistere -stitisse **22**.62; **32**.77
re-spondēre -disse **3**.25; **17**.107
respōnsum -ī *n* **17**.39
rēte -is *n* **34**.26
re-tinēre **22**.59; **34**.73
re-trahere **31**.78
re-venīre **11**.47
re-vertī -tisse -sum **20**.123; **30**.1
re-vocāre **26**.142; **31**.43
rēx rēgis *m* **25**.44
rīdēre -sisse -sum **3**.10; **5**.70
rīdiculus -a -um **33**.77
rigāre **27**.41
rīpa -ae *f* **33**.128
rīsus -ūs *m* **34**.141
rīvus -ī *m* **9**.8
rogāre **28**.57
rogitāre **22**.40
Rōmānus -a -um **1**.41; **2**.1; **6**.15
rosa -ae *f* **5**.13
ruber -bra -brum **11**.12,20
rubēre **23**.81
rudis -e **27**.26
rūmor -ōris *m* **31**.12
rumpere rūpisse ruptum **22**.72; **24**.12
rūrī *loc* **27**.66 v. rūs
rūrsus **4**.12
rūs rūris *n* **27**.65
rūsticus -a -um **27**.99; **31**.191

S

sacculus -ī *m* **4**.3
saccus -ī *m* **6**.25
sacerdōs -ōtis *m/f* **35**.18
saeculum -ī *n* **13**.8
saepe **17**.72; -issimē **24**.93
saevus -a -um **25**.39
sagitta -ae *f* **12**.91
sāl salis *m* **30**.109; **34**.151
salīre -uisse **22**.72
salūs -ūtis *f* **29**.119; -em dīcere **23**.23
salūtāre **4**.33
salvāre **28**.122
salvē -ēte **4**.34; **7**.31
salvēre iubēre **30**.16
salvus -a -um **28**.104,146
sānāre **11**.27
sānē **30**.107
sanguis -inis *m* **11**.19
sānus -a -um **11**.24,77
sapere -iō -iisse **34**.190
sapiēns -entis **31**.108
satis **8**.95,126; **13**.110
saxum -ī *n* **25**.103
scaena -ae *f* **3**.1
scaenicus -a -um **34**.44
scalpellum -ī *n* **34**.5
scamnum -ī *n* **35**.17
scelestus -a -um **31**.118
scelus -eris *n* **31**.116
scīlicet **22**.110
scindere -idisse -issum **22**.100
scīre **17**.3,113, 137
scrībere -psisse -ptum **18**.48
scūtum -ī *n* **12**.33
sē sibi **7**.8; **15**.82; **24**.24
secāre -uisse -ctum **29**.169; **34**.6
sē-cum **14**.87 v. sē
secundum *prp+acc* **33**.107
secundus -a -um **1**.67; **16**.37; **32**.100
sed **1**.7; **3**.57
sē-decim **17**.20
sedēre sēdisse **11**.31
sella -ae *f* **15**.14
semel **18**.134; **25**.31
sēmen -inis *n* **27**.15
semper **16**.26
senex senis *m* **31**.174
sēnī -ae -a **33**.3
sententia -ae *f* **18**.30; **30**.138
sentīre sēnsisse sēnsum **11**.90; **30**.129
septem **4**.10
September -bris *m* **13**.5
septen-decim **17**.20
septentriōnēs -um *m* **16**.47
septimus -a -um **13**.4
septin-gentī -ae -a **17**.33
septuāgintā **17**.26
sequī secūtum **16**.66,114
serēnus -a -um **16**.54
serere sēvisse satum **27**.9
sērius -a -um **34**.144
sermō -ōnis *m* **20**.50
servāre **16**.125
servīre **28**.152,158; **35**.209
servitūs -ūtis *f* **32**.2
servus -ī *m* **2**.26
ses-centī -ae -a **17**.33
sēsē **29**.156
sēstertius -ī *m* **8**.61; **17**.99
seu **32**.113 v. sī-ve
sevērus -a -um **15**.6; **31**.100
sex **1**.74
sexāgintā **13**.7
sexiēs **18**.120
Sextīlis -is *m* **13**.136
sextus -a -um **13**.4
sī **15**.83; +*coni* **33**.73,181
sibi *dat* **24**.24 v. sē
sīc **18**.42
siccus -a -um **27**.129
sīc-ut **22**.16
signāre **18**.188
significāre **18**.33; **24**.87; **25**.41; **35**.203
significātiō -ōnis *f* **35**.104
signum -ī *n* **19**.3; **23**.13; **33**.9
silentium -ī *n* **20**.116
silēre **20**.115
silva -ae *f* **9**.10,21
similis -e **35**.221
simul **16**.55; s. atque **31**.41
sīn **26**.78
sine *prp+abl* **5**.45
sinere sīvisse situm **22**.77
singulāris -is *m* **1**.88
singulī -ae -a **30**.73,74
sinister -tra -trum **14**.80; *f* **16**.51; **30**.97
sinus -ūs *m* **34**.159
sī-quidem **35**.171
sitis -is *f* **30**.48
situs -a -um **16**.2
sī-ve/seu **16**.2; **20**.12; s. ... s. **20**.82; **32**.116
sōl -is *m* **9**.25,30
solēre -itum esse **14**.62
solum -ī *n* **21**.64; **27**.39
sōlum *adv* **7**.56
sōlus -a -um **5**.23
solvere -visse solūtum **22**.63; **23**.43; **31**.33; nāvem s. **25**.98
somnus -ī *m* **20**.4
sonus -ī *m* **24**.9
sordēs -ium *f* **21**.60
sordidus -a -um **14**.45; **27**.62
soror -ōris *f* **12**.1
spargere -sisse -sum **27**.15,171
speciēs -ēī *f* **35**.159

spectāre **11**.76,109
spectātor -ōris *m* **34**.31
speculum -ī *n* **7**.8
spērāre **28**.147,158
spēs -eī *f* **29**.16
-spicere -iō -spexisse -spectum
spīrāre **10**.47
spondēus -ī *m* **34**.250
stāre stetisse **11**.32
statim **15**.28
statuere -uisse -ūtum **31**.80
stēlla -ae *f* **13**.46
sternere strāvisse strātum **30**.72,82
stilus -ī *m* **14**.109
stipendium -ī *n* **33**.35
strepitus -ūs *m* **24**.12
studēre **33**.29
studiōsus -a -um **26**.43
studium -ī *n* **33**.30
stultus -a -um **11**.10
stupēre **29**.112
suādēre -sisse **29**.161
sub *prp+abl* **9**.30; **10**.47; **27**.57; *+acc* **22**.91
sub-īre **29**.99
subitō *adv* **24**.12
subitus -a -um **24**.10
sub-mergere **32**.4
sub-urbānus -a -um **27**.58
sūmere -mpsisse -mptum **4**.73; **11**.23
summus -a -um **26**.79; **30**.69; **32**.37
super *prp+acc* **11**.6, 30; *+abl* **31**.147
superbus -a -um **32**.170
super-esse **18**.140; **32**.48
superior -ius **23**.64; **33**.144
superlātīvus -ī *m* **13**.175
superus -a -um **16**.2
supīnum -ī *n* **22**.125
supplicium -ī *n* **31**.119
suprā *prp+acc* **9**.25; **16**.2; *adv* **33**.22
surdus -a -um **28**.31
surgere surrēxisse **14**.40; **15**.15
sur-ripere -iō -uisse -reptum **29**.131
sūrsum **26**.73
suscitāre **28**.66,121
su-spicere **29**.85,108
sus-tinēre **10**.100,124; **12**.115
suus -a -um **4**.19; **13**.47
syllaba -ae *f* **1**.74

T
tabella -ae *f* **21**.109
tabellārius -ī *m* **22**.24
taberna -ae *f* **8**.1
tabernārius -ī *m* **8**.3
tabula -ae *f* **14**.109
tacēre **4**.37
tacitus -a -um **15**.18
talentum -ī *n* **32**.169
tālis -e **18**.70
tam **6**.11; **8**.81; **14**.59; **34**.20
tam-diū **33**.86
tamen **19**.63
tam-quam **26**.53
tandem **22**.35; **34**.71
tangere tetigisse tāctum **11**.40
tantum **27**.94; *adv* **4**.11
tantun-dem **35**.40
tantus -a -um **8**.64
tardus -a -um **30**.12,79
tata -ae *m* **20**.30
taurus -ī *m* **25**.26
tē tē-cum v. tū
tēctum -ī *n* **19**.3
temerārius -a -um **26**.104
tempestās -ātis *f* **16**.32
templum -ī *n* **19**.46
tempus -oris *n* **13**.9,19,80; **19**.155; t. est **13**.148
tenebrae -ārum *f* **34**.83
tenebricōsus -a -um **34**.98
tenēre -uisse **7**.6; **16**.77; **25**.32
tenuis -e **10**.101
ter **18**.125
tergēre -sisse -sum **7**.23,92
tergum -ī *n* **15**.61; ā -ō **16**.38
ternī -ae -a **30**.74
terra -ae *f* **9**.26; **12**.62; **13**.49; **31**.39
terrēre **22**.67
terribilis -e **25**.25
tertius -a -um **1**.68
testis -is *m/f* **34**.205
tetig- v. tangere
theātrum -ī *n* **34**.45
tibi *dat* **14**.66 v. tū
tībiae -ārum *f pl* **28**.(73)
tībīcen -inis *m* **28**.71
timēre **6**.39,42
timidus -a -um **25**.21
timor -ōris *m* **9**.57
-tinēre -uisse -tentum <tenēre
titulus -ī *m* **2**.82
toga -ae *f* **14**.71
togātus -a -um **14**.77
tollere sus-tulisse sub-lātum **17**.17; **28**.59
tonitrus -ūs *m* **16**.109
tot **17**.29
totiēs **18**.121
tōtus -a -um **13**.50
trā-dere **23**.5
trahere trāxisse tractum **25**.7,11
tranquillitās -ātis *f* **28**.124
tranquillus -a -um **16**.28,30
trāns *prp+acc* **26**.38
trāns-ferre **33**.73
trāns-īre **33**.84
tre-centī -ae -a **13**.7
trē-decim **17**.19
tremere -uisse **22**.84
trēs tria **1**.67; **2**.54
trīcēsimus -a -um **27**.114
triclīnium -ī *n* **30**.64
trīgintā **13**.25
trīnī -ae -a **33**.91
trīstis -e **12**.20
trīstitia -ae *f* **29**.46
trochaeus -ī *m* **34**.249
tū tē tibi **3**.25; **14**.66; **15**.20; **17**.63; tē-cum **14**.108
tuērī tūtum **32**.45
tul- v. ferre
tum **15**.29; **33**.167
tumultuārī **28**.71
tumultus -ūs *m* **24**.87
tunc **13**.19; **28**.123
tunica -ae *f* **14**.71
turba -ae *f* **28**.28
turbāre **16**.32; **28**.9; **29**.73
turbidus -a -um **16**.31,124
turgidus/-ulus -a -um **34**.7,105
turpis -e **18**.93; **24**.80
tūtus -a -um **28**.135,136
tuus -a -um **2**.67,82
tyrannus -ī *m* **29**.152

U
ubi **1**.12; **6**.58; u. prīmum **32**.175
ubī-que **32**.47
ūllus -a -um **19**.14,53
ulterior -ius **33**.131
ultimus -a -um **34**.106
ultrā *prp+acc* **33**.87
ululāre **9**.68
umbra -ae *f* **9**.30; **28**.89
umerus -ī *m* **6**.26
ūmidus -a -um **20**.108

umquam **23**.26
ūnā cum **20**.104
unde **6**.34; **16**.20,45
ūn-dē-centum **9**.3
ūn-decim **13**.30
ūndecimus -a -um **13**.5
ūn-dē-trīgintā **13**.28
ūn-dē-vīgintī **17**.21
ūniversus -a -um **28**.37
ūnus -a -um **1**.76; **18**.58; **19**.5; **28**.67; ūnī -ae -a **33**.91
urbānus -a -um **27**.67; **31**.192
urbs -bis *f* **13**.100
ūrere ussisse ustum **26**.80
ūsque **17**.16; **27**.121; **34**.97
ut **9**.72; **11**.104; **12**.63,64; **14**.120; **18**.122; +*coni* **27**.78; **28**.87,90,103; **32**.42
uter -tra -trum **14**.12
uter-que utra- utrum- **14**.7
ūtī ūsum +*abl* **27**.20; **34**.10
utinam **32**.157,179; **33**.67
utrum... an **28**.12
ūva -ae *f* **27**.48
uxor -ōris *f* **19**.1

V

vacuus -a -um **4**.66
vāgīre **20**.7
valdē **24**.20,24
valē -ēte **14**.128; **16**.71
valēre **14**.12
valētūdō -inis *f* **33**.60
validus -a -um **21**.47; **28**.103
vallis -is *f* **9**.19
vāllum -ī *n* **12**.100
varius -a -um **18**.33; **29**.179
vās -is *n, pl* -a -ōrum **30**.90
-ve **27**.29
vehere vēxisse vectum **6**.30,69
vel **13**.7,9
velle voluisse **10**.67,75; **13**.140
vēlōx -ōcis **29**.185
vēlum -ī *n* **16**.39
vel-ut **28**.26
vēna -ae *f* **11**.20
vēn-dere **8**.5
venīre vēnisse **3**.21; **13**.47
venter -tris *m* **11**.21
ventus -ī *m* **16**.29
venustus -a -um **34**.89
vēr -is *n* **13**.80,84
verbera -um *n pl* **23**.99
verberāre **3**.46
verbum -ī *n* **3**.100; **4**.45
vērē **21**.101 v. vērus
verērī **16**.74
vērō **16**.123; **18**.140; **21**.104; neque/nec v. **16**.138
versārī **28**.89,134; **32**.157
versiculus -ī *m* **34**.172
versus -ūs *m* **12**.145; **32**.102
versus, ad... v. **20**.67
vertere -tisse -sum **7**.16,45; **13**.50; **22**.3
vērum **26**.8
vērus -a -um **15**.54; **22**.66; **32**.115; *n* **15**.57
vesper -erī *m* **13**.36; -ī *adv* **20**.42
vester -tra -trum **12**.25
vestīgium -ī *n* **9**.54,82
vestīmentum -ī *n* **14**.69,75
vestīre **14**.71
vestis -is *f* **21**.5; **30**.71
vestrum *gen* **29**.43
vetāre -uisse -itum **31**.106
vetus -eris **31**.127,154
via -ae *f* **6**.1; **8**.11
vīcēsimus -a -um **20**.0
victor -ōris *m* **32**.40
victōria -ae *f* **32**.31
vidēre vīdisse vīsum **3**.11; **10**.50; vidērī **26**.94,95; **33**.63
vigilāre **14**.5
vigilia -ae *f* **28**.95
vīgintī **8**.48
vīlis -e **32**.38
vīlla -ae *f* **5**.1
vincere vīcisse victum **21**.46; **32**.31
vincīre vīnxisse vīnctum **22**.11
vīnea -ae *f* **27**.47
vīnum -ī *n* **27**.49
vir -ī *m* **2**.1; **5**.20
vīrēs -ium *f* **32**.53
virga -ae *f* **15**.6
virgō -inis *f* **19**.41
virtūs -ūtis *f* **33**.37
vīs vim vī *f* **32**.13,164
viscera -um *n* **11**.22
vīsere -sisse **30**.19
vīta -ae *f* **29**.7
vītāre **28**.143
vītis -is *f* **27**.46
vīvere vīxisse **10**.46; **20**.11; **25**.25
vīvus -a -um **10**.49
vix **16**.69; **27**.177
vōbīs vōbīs-cum v. vōs
vocābulum -ī *n* **1**.71
vōcālis -is *f* **18**.7,23
vocāre **3**.16; **19**.30; **30**.9
vocātīvus -ī *m* **4**.102
volāre **10**.11
voluntās -ātis *f* **32**.61
vorāgō -inis *f* **28**.131
vorāre **25**.19
vōs vōbīs **15**.51,120; **20**.130; **21**.109; vōbīs-cum **29**.57
vōx vōcis *f* **10**.81
vulnerāre **33**.137
vulnus -eris *n* **33**.138
vultus -ūs *m* **23**.34

Z

zephyrus -ī *m* **18**.12

INDEX GRAMMATICVS

A
ablātīvus **5**.123–138
— (= *ab/ex* —) **6**.112–113,118; **16**.140; **25**.38, 100; **23**.106; **27**.89; **32**.6
— (absolūtus) **14**.15,85; **16**.36,64,65,94,95; **22**.119
— (apud comp., *ante/post*) **16**.91,123,124,148; **19**.83,86,123
— (causae) **11**.55; **25**.73; **26**.24; **27**.109; **32**.22
— (comparātiōnis) **24**.30,77,90,108,116; **32**.193
— (īnstrūmentī) **6**.40,51,69,91; **8**.24,56,99; **12**. 191; **16**.34; **20**.11; **27**.20 (ūtī)
— (locī) **16**.16; **25**.52
— (modī) **9**.90; **10**.112; **26**.47; **29**.14; **32**.46,77
— (post prp. *ab/ā, cōram, cum, dē, ex/ē, prō, prae, sine*) **5**.136; **35**.194–199; (*in,sub,super*) **1**.1; **9**.30; **31**.147; **35**.205–213
— (quālitātis) **29**.123; **32**.49
— (temporis) **13**.19,44,46,52; **33**.54
accūsātīvus **3**.84–97; **5**.107–122
— cum īnfīnītīvō **11**.168–179; **25**.2
— (post prp.) **6**.97–107; **35**.181–193
— (= *ad* —) **6**.110–111,114–115; **20**.123; **25**.52,99
—/ablātīvus (post prp. *in, sub, super*) **7**.14,17; **22**.91; **35**.200–213
āctīvum/passīvum **6**.122–139; **35**.65–81
adiectīvum (dēcl. I/II) **12**.155–171
— (dēcl. III) **12**.172–185
— (comparātiō) **13**.168–176
adverbium **35**.102–126
— (*-ē/-iter*) **18**.194–212
— (*-nter*) **30**.33,35,82
— (*-ō*) **17**.12; **20**.63; **24**.12,59,100
— (comparātiō) **18**.206–212; **35**.121–126

C
cāsus **35**.19–28
comparātiō (adiectīvī) **13**.168–176; **35**.30–37
— (adverbiī) **18**.206–212; **35**.121–126
comparātīvus **12**.199–225
— (adverbiī) **18**.206–207,210,211
coniugātiōnēs I–IV **35**.232–237
coniūnctiō **35**.155–175
coniūnctīvus praes. **27**.182–235
— imperf. **28**.191–232
— perf. **32**.226–273
— plūsquamperf. **33**.194–236
— (*cum* —) **29**.76,79; **32**.176; **33**.109
— (dubitātīvus) **28**.184; **29**.22,23,51
— (hortātīvus) **30**.87,120; **32**.176–177
— (*interrogat/nescit num/quis* —) **29**.106,117, 128; **31**.82,84
— (irreālis) **33**.73–76,82–85,181–182,208–214
— (optātīvus) **31**.182,183,196; **32**.157,183; **33**.67, 71,166
— (*ut/nē* —) **29**.204–218

D
datīvus **7**.106–121; **8**.46,116; **10**.58; **17**.79
— (possessīvus: *esse*) **12**.6–10; **14**.64,77,86
—(verba: *pārēre*...) **12**.75,82; **15**.64; **16**.82; **17**. 109; **19**.104; **21**.119; **27**.122,123; **28**.16,110, 158; **29**.80,83,85,161,185; **30**.33,104; **31**.55, 90; **32**.77,101,117; **33**.29; **34**.35,40,126,217
— (agentis: apud gerundīvum) **31**.159,210–211
dēclīnātiō I **9**.89–99
— II **9**.100–113
— I/II (adiectīvum) **12**.155–171
— III **9**.114–127; **10**.166–183
— III (neutr.) **11**.148–167
— III (adiectīvum) **12**.172–185
— IV **12**.144–154
— IV (neutr.) **21**.(36–38)
— V **13**.152–168; (*rēs*) **14**.(111-114)
dēclīnātiōnēs I–V **35**.224–231
dēpōnēns, verbum **16**.152–165; **35**.79–81
— — (ind. praes.) **17**.187–193
— — (ind./īnf. perf.) **24**.26,27,54,80,81,88,101
— — (imp.) **25**.146–154

E
esse: ind. praes. **15**.143–153, imperf. **19**.168–184, fut. **20**.176–188; coni. praes. **27**.195–209, imperf. **28**.201–213

F
fēminīnum **2**.96,101–102
ferre (ind. praes.) **22**.105–111
futūrum **20**.167–207
— part. & īnf. **23**.157–178
futūrum perfectum **30**.161–201

G
genetīvus **2**.105–121
—/accūsātīvus **25**.22,46,51,77,86,88,122,125, 130; (*oblīvīscī/meminisse*) **25**.126; **32**.126,156
— (locātīvus) **6**.114–115,120–121
— (*numerus* —) **2**.47,56
— (*multum/paulum* —) **16**.9,61,62,117; **27**.38,41
— (partītīvus) **12**.64,65; **17**.14; **19**.30
— (*plēnus* —) **7**.43
— (quālitātis) **12**.158; **19**.33; **22**.16; **31**.101
genus (nōminis) **35**.13–18
— (verbī) **35**.65–81
gerundium **26**.147–162
gerundīvum **31**.206–219
gerundīvum/gerundium **33**.80,94–98,116

H
hic haec hoc **7**.43,85.90; **8**.212–223

I
ille -a -ud **8**.135–211
imperātīvus **4**.106–121; **5**.139–156
— (verbī dēpōnentis) **25**.146–154
— futūrī **26**.81; **33**.237–248
imperfectum ind. **19**.164–208
— coni. **28**.191–232
—/perfectum **21**.152–158
indicātīvus/coniūnctīvus **27**.185–190
—/imperātīvus **4**.106–121
īnfīnītīvus praes. **10**.133–165
— perf. **21**.166,175–176,202
— fut. **23**.157–178
interiectiō **35**.214–221
īre (ind. praes.) **15**.166–167
is ea id **8**.135–211

L
locātīvus **6**.114–115,120–121; **15**.81; **21**.20; **25**.132; **27**.66

M
masculīnum **2**.95,99–100

N
nē -eris! **32**.162,183,199,211,215,243,254
neutrum **2**.97,103–105
nōmen **35**.7–37
nōminātīvus/accūsātīvus **3**.84–97
numerī **4**.9–10; **17**.19–35
— (*prīmus, secundus...*) **13**.2–6,54
— (adv. *semel... -iēs*) **18**.118–126,134
— (*singulī, bīnī...*) **30**.73–74; **33**.2–3
numerus (nōminis) **1**.85–106; **35**.19–22
— (verbī) **5**.139–156; **35**.82–85

P
participium **35**.127–154
participium praes. **14**.134–150
— perf. (pass.) **21**.193–196
— fut. **23**.157–165
passīvum **6**.122–139; **35**.72–74
perfectum ind. **21**.159–206
— īnf. **21**.166,175–176,202
— coni. **32**.226–273
—/imperfectum **21**.152–158
persōnae **15**.130–139; **35**.50–53,97–100
— verbī (āct.) **15**.130–170
— — (pass.) **17**.154–162
plūsquamperfectum ind. **24**.120–161
— coni. **33**.194–236
positīvus (gradus) **35**.33
posse (ind. praes.) **15**.169–170
praepositiō **6**.97–109; **35**.176–213
praepositiōnēs + abl. **5**.136; **35**.194–199
— + acc. **6**.97–107; **35**.181–193
— + abl./acc. **35**.200–213
praesēns ind. (āct.) **15**.130–170
— ind. (pass.) **17**.154–193
— coni. **27**.182–235
—/praeteritum (imperf.) **19**.155–162
praeteritum v. imperfectum et perfectum
prōnōmen **35**.38–56
prōnōmen relātīvum *quī* **3**.69–82; **8**.135–211
prōnōmina dēmōnstrātīva: *hic* **8**.212–223; *ille /is* **8**.135–211
— interrogātīva *quis/quī* **8**.135–211; *uter* **14**.12,
— persōnālia *ego,tū,nōs,vōs* (nōm.) **15**.132–133
— possessīva *meus/tuus* **2**.66–79; *suus* **4**.19; *noster* **11**.131; *vester* **12**.25

Q
quis/quī quae quid/quod **8**.135–211

S
sī/nisi+coni. **33**.73–76,82–85,208–214,220–225
singulāris/plūrālis **1**.85–106; **35**.19–22
—/— (verbī) **5**.139–156; **35**.82–85
superlātīvus (*-issimus*) **13**.167–176
— (*-errimus, -illimus*) **18**.73,84,102
— (adverbiī) **18**.206–212
supīnum I **22**.123–130
— II **22**.131–135

T
tempora (verbī) **19**.155–162; **20**.166–171; **21**.151–158; **35**.86–96

U
ut/nē/ut nōn + coni. **29**.204–218

V
velle (ind. praes.) **10**.75,76; **20**.55,56,64,73
verbum **3**.98–103; **35**.57–101
vocātīvus **4**.100–105, **19**.93–94; **21**.30

NOTAE

=	idem atque (pōnitur inter vocābula quae eandem ferē rem significant)
↔	contrārium (pōnitur inter vocābula quae rēs contrāriās significant)
<	factum ex (pōnitur inter vocābula quōrum alterum ex alterō factum est)
|	haec nota pōnitur ante litterās quae in dēclīnātiōne adduntur

abl	ablātīvus	*īnf*	īnfīnītīvus
acc	accūsātīvus	kal.	kalendae
āct	āctīvum	*loc*	locātīvus
a. d.	ante diem	*m, masc*	masculīnum
adi	adiectīvum	*n, neutr*	neutrum
adv	adverbium	*nōm*	nōminātīvus
cap.	capitulum	nōn.	nōnae
cēt.	cēterī -ae -a	pāg.	pāgina
comp	comparātīvus	*part*	participium
coni	coniūnctīvus	*pass*	passīvum
dat	datīvus	*perf*	perfectum
dēcl	dēclīnātiō	*pers*	persōna
dēp	dēpōnēns	*pl, plūr*	plūrālis
f, fēm	fēmininum	*praes*	praesēns
fut	futūrum	*prōn*	prōnōmen
gen	genetīvus	*prp*	praepositiō
īd.	īdūs	s. d.	salūtem dīcit
imp	imperātīvus	*sg, sing*	singulāris
imperf	imperfectum	*sup*	superlātīvus
indēcl	indēclīnābile	*voc*	vocātīvus

FORMAE MVTATAE

A
ab-lāt-abs-tul-< au-ferre
āct- < agere
al-lāt- at-tul- < af-ferre
C
cecid- < cadere
cecin- < canere
cēp- < capere
cruc- < crux
D
ded- < dare
dī diī diīs dīs < deus
didic- < discere
dīx- < dīcere
dō < dare
duā- duae < duo
duc- < dux
dūx- < dūcere
E
ea eā eae < is
ea- eandem < īdem
eam eārum eās < is
eam eās eat... eant < īre
ed- ēd- < ēsse
ēg- < agere
eī eius(-dem) < is īdem
eō eōrum eōs eum < is
eō eunt eunt- < īre
eō- eun-dem < īdem
er- < esse
F
fēc- < facere
fit fīunt < fierī
fīx- < fīgere
frāct- frēg- < frangere
fu- < esse
G
gener- < genus
gess- gest- < gerere
H
ha- hīs ho- hu- < hic
I
ī īb- < īre
iēc- < iacere
iī iīs < is
iī iistī iit... iērunt < īre
iuss- < iubēre
L
lāt- < ferre
later- < latus
lēct- < legere
lēg- < lēx
libr- < liber
locūt- < loquī
lūc- < lūx
M
mā-vīs -vult < mālle
merc- < merx
mī < meus
mīs- miss- < mittere
mixt- < miscēre
mōr- < mōs
N
nec- < nex
noct- < nox
O
ob-lāt- -tul- < of-ferre
oper- < opus
ōr- < ōs
P
pāc- < pāx
ped- < pēs
pepul- < pellere
posit- posu- < pōnere
pot- potu- < posse
prō-fu- -su- < prōd-esse
Q
qua- quo- < quī/quis
quan- quen-dam < quī-dam
R
rē rēbus < rēs
rēg- < rēx
reī rem rērum < rēs
rūp- rupt- < rumpere
S
scid- sciss- < scindere
secūt- < sequī
sim sīs sit... sint < esse
strāt- strāv- < sternere
sum sumus sunt < esse
T
tetig- < tangere
tract- trāx- < trahere
tria tribus trium < trēs
tul- < ferre
V
vect- vēx- < vehere
vī vim < vīs
vīc- vict- < vincere
vīs < velle
vīx- < vīvere
vōc- < vōx
vol- vult vultis < velle